SHOUT
SHARE
IT

S631-A14

ANNALES

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

1828 — 1829.

S. 641.

ANNALES

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

a. d. VIII Februarii [illegible] *ad a. d. VIII Februarii* [illegible]

RECTORE MAGNIFICO

IANO BAKE.

ACADEMIAE ACTUARIO

GERARDO WTTEWAALL.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. et J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
[illegible]

ANNALES

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

a. d. VIII *Februarii* MDCCCXXVIII *ad d.* VIII *Februarii* MDCCCXXIX.

RECTORE MAGNIFICO

JANO BAKE,

ACADEMIAE ACTUARIO

GERARDO WTTEWAALL.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXX.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

inde a d. Februarii MDCCCXXVIII, *ad d. Februarii* MDCCCXXIX.

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS,

JANUS BAKE.

ACADEMIAE ACTUARIUS;

GERARDUS WTTEWAALL.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM PROFESSORES.

J. BAKE.
J. H. VAN DER PALM.
M. SIEGENBEEK.
S. J. VAN DE WYNPERSSE, propter infirmam valetudinem rude donatus.
J. NIEUWENHUIS.
H. A. HAMAKER, Legati Warneriani interpres.
P. HOFMAN PEERLKAMP.
C. J. C. REUVENS.
J. GEEL, Professor Honorarius.

MEDICI.

M. S. DU PUI, propter aetatem septuagenariam rude donatus.
G. SANDIFORT.
J. C. B. BERNARD, rei medico-militaris in Regno Belgico Inspector.
M. J. MACQUELYN.
J. C. BROERS.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.

JURIDICI.

N. SMALLENBURG.
H. G. TYDEMAN.
C. J. VAN ASSEN.
H. COCK.

THEOLOGI.

J. VAN VOORST, propter aetatem septuagenariam rude donatus.
J. CLARISSE.
L. SURINGAR.
W. A. VAN HENGEL.
N. C. KIST.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

S. SPEYERT VAN DER EYK.
G. WTTEWAALL.
C. G. C. REINWARDT.
J. DE GELDER.
J. VAN DER HOEVEN, Professor extraordinarius.
P. J. UYLENBROEK, Professor extraordinarius.

LECTORES.

N. G. VAN KAMPEN, Literarum Germanicarum.
A. H. VAN DER BOON MESCH, Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum.

MAGISTER ACADEMICUS.

G. KNIPPENBERG, Artis Gladiatoriae.

* * *

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

habendarum à die 16 Septembris 1828.

RECTORE MAGNIFICO

IANO BAKE.

FACULTAS PHILOS. THEOR. ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. **BAKE** interpretabitur cum HERODOTI lib. VI et VII, tum SOPHOCLIS *Antigonam*, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora X.

Explicabit CICERONIS libros III. *de Oratore*, iisdem diebus, hora IX.

Historiam Veterum Literarum, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Exercitia Philologica et Paedagogica moderabitur, die Martis, hora V et VI,

J. H. VAN DER **PALM**, Grammaticam Hebraeam docebit, diebus Lunae Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Antiquitates Hebraeas enarrabit, iisdem diebus, hora IX.

I Samuelis librum cursoria lectione explicabit, die Veneris, hora I.

Coranicis lectionibus vacabit, die Martis, hora V et VI.

Discipulis, qui superiori anno scholis in Canticum Canticorum operam dederunt, de hujus libelli forma et argumento, ut et de locis difficilioribus animadversiones dictabit, die Martis, hora I.

M. **SIEGENBEEK** Patriae Historiam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Stili Belgici praecepta tradet iisdem diebus, hora XII.

Eloquentiam Belgicam docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora I.

Eloquentiae exterioris exercitiis vacabit, die Veneris, hora XII.

J. NIEUWENHUIS Philosophiam Theoreticam, in primis Metaphysicam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Psychologiam et Logicam tradet, die Jovis, hora XII et Veneris, hora X.

Historiam Philosophiae Antiquae enarrabit, die Mercurii, hora XII et die Veneris, hora XI.

Doctrinam educationis et institutionis theoreticam, diebus horisque Auditoribus sibique commodis.

H. A. HAMAKER Jeremiam Philologice et Critice interpretari perget, initio facto à Cap. XX. vs. 7, adhibitisque ROSENMULLERI in hunc scriptorem Commentariis, diebus Martis et Jovis, hora I.

Arabicae, item Chaldaicae et Syriacae linguae praecepta tradet, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Wakidaei libellum à se editum, nec non Hamasam cum Tebrizii scholiis interpretabitur, diebus Martis et Jovis, hora IV.

Bar-Hebraei Chronicon Syriacon explicabit privatissime, die Jovis, hora V—VII.

P. HOFMAN PEERLKAMP explicabit Historiam humanitatis Antiquorum Populorum, adjecta rerum gestarum brevissima commemoratione, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Exercitationes Latine scribendi et loquendi instituet, die Veneris, hora ipsi et auditoribus commoda.

C. J. C. REUVENS Antiquitatem Romanam explicabit secundum Compendium FUSSII V. C., diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII et die Veneris, hora XI et XII.

Scholas de Historiâ Artium habebit, die Saturni, hora I.

J. BAKE et P. HOFMAN PEERLKAMP praeërunt Disputandi exercitiis publicis, die Martis, hora III.

FACULTAS MEDICA.

M. S. DU PUI Selecta Capita Theoretico-Practica Chirurgiae dabit, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Anatomiam Chirurgicam, hiberno tempore docebit, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora V.

Lectiones Theoretico-Practicas, quae Scientiam atque Artem Obstetriciam spectant, habebit, die Veneris, hora XI et XII.

Medicinam Legalem explicabit semel septimanâ quâvis, per sesqui horam, postmodum indicandam, et a scholis Juridicis, et Medicis vacuam.

Disputationibus Publicis, Medicinae ambitum spectantibus, lubenter vacabit, horâ dein indicandâ.

G. **SANDIFORT** Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Physiologiam, Anatome comparatâ illustratam, iisdem diebus, hora IX.

Methodum Secandi Cadavera, quotidie, hiberno tempore, ab horâ III ad V.

M. J. **MACQUELYN** Pharmaciam, ad Pharmacopaeam Belgicam applicatam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Therapeiam Generalem ordine nosologico explicabit, simulque vires et usum Remediorum docebit et hasce Institutiones ad Exercitationes clinicas in Nosocomio Academico applicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora IX et die Veneris, hora X.

Item disputationes publicas, de variis Medicinae partibus habendas, moderabitur diebus et horis, auditoribus commodis.

J. C. **BROERS**, Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ejusdemque Praxin in Nosocomio Academico singulis diebus, hora XII.

Operationes Chirurgicas, hiberno tempore, horis dein indicandis.

Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora X.

Medicinam Forensem, diebus et horis, auditoribus commodis, dein indicandis.

C. **PRUYS VAN DER HOEVEN**; Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora I et die Veneris, hora VIII.

MedicinamPracticam cum exercitatione in Nosocomio Academico singulis diebus, hora XI.

Historiam Medicinae tradet, diebus Lunae et Mercurii, hora IV.

FACULTAS JURIDICA.

N. SMALLENBURG, Pandectas, secundum WESTENBERGIUM, tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X.

Institutiones, iisdem diebus, hora XI.

Primas Lineas Juris Civilis Belgici, à se editas, explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

H. G. TYDEMAN, Encyclopaediam Juris (sive Introductionem ad studium Jurisprudentiae universae et singularum illius partium) tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

Statisticam Patriae describet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora I.

Oeconomiae Politicae principia, ad librum ex Anglico suâ curâ conversum, diebus Martis et Jovis, hora XI.

Historiam Politicam recentiorem, duce HEERENIO, enarrabit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XI et die Veneris, hora XII.

C. J. VAN ASSEN, illustrabit Historiam Jurisprudentiae Romanae, duce J. A. BACHIO, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Docebit JUSTINIANI Institutiones, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Explanare perget GAJI Institutionum Commentarios, die Jovis, hora X.

Interpretabitur Digestorum Libros, duce WESTENBERGIO, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Tractabit separatim locum de Delictis et Poenis, interpretando Digestorum Libros XLVII et XLVIII, et Codicis Librum X, die Jovis, hora IX.

Tradet Elementa Juris Civilis Attici, die Veneris, hora VIII.

H. COCK, Jus Naturale tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora I.

Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX.

Jus Publicum et Gentium, diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora IX.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. VAN VOORST, quantum per aetatem et valetudinem licebit, praecepta Hermeneutices et Critices Novi Testamenti tradet, diebus Lunae et Jovis, hora XII.

J. CLARISSE, Theologiam Dogmaticam et Apologeticen docebit, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX.

Theologiam Moralem, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Encyclopaediam Theologicam, diebus Veneris et Saturni, hora VIII.

Exercitia Oratoriae Sacrae moderabitur, die Lunae, hora I.

L. SURINGAR Theologiam Dogmaticam docebit, diebus Lunae, Martis et Jovis, hora X et Jovis, hora XI.

Theologiam Naturalem, diebus Lunae et Martis, hora XI.

Oratoriae Sacrae exercitiis praeërit, die Mercurii, hora I.

J. CLARISSE et L. SURINGAR moderari pergent exercitia de quaestionibus argumenti Theologici disputandi, die Veneris, hora IV.

W. A. VAN HENGEL Epistolae PAULI ad Romanos *Dogmaticam*, quae dicitur, partem (Cap. I—XI.) interpretabitur die Martis, hora IX et diebus Mercurii et Veneris, hora X.

Doctrinae Christianae ad normam *Catechismi Heidelbergensis* auditoribus tradendae rationem commonstrabit diebus Mercurii et Veneris, hora XI.

Theologiae studiosos provectiores, tum ad *curam pastoralem* habendam, tum sigillatim ad *dicendum pro concione populi*, collocutione familiari instituet, die Veneris, hora V et VI.

Orationibus Sacris praeërit, die Jovis, hora I.

N. C. KIST, Historiam Ecclesiae inprimis antiquam enarrabit die Martis, Mercurii et Veneris, hora XII et Saturni, hora IX.

Historiae Ecclesiasticae veteris monimenta quaedam, inprimis IGNATII epistolas, explicabit, die Lunae, hora XI.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

S. SPEYERT VAN DER EYK Mathesin Sublimiorem docebit, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Physicam, experimentis illustratam, tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XII.

G. WTTEWAALL Oeconomiae Ruralis principia tradet, diebus Martis, Jovis et Veneris, hora I.

In usum studiosae juventutis, quae Jurisprudentiae, in primis Oeconomiae Politicae operam dat, Oeconomiae Ruralis capita selecta interpretabitur diebus Veneris et Saturni, hora VIII et IX.

Culturam et Usum Plantarum tradet, horis deinceps indicandis.

C. G. C. REINWARDT Chemiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lunae et Mercurii, hora I.

Plantarum Historiam illustrabit verno et aestivo tempore matutino, hora VII.

Historiae Naturalis quaedam capita exponet, horis postea indicandis.

J. DE GELDER, tradet elementa Geometriae, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Trigonometriam rectilineam et sphaericam, ejusque usum in Astronomiâ et Arte navigandi aliisque disciplinis, provectioribus discipulis explicabit, diebus Lunae, Martis et Veneris, hora I.

Calculum Differentialem et Integralem, diebus Lunae et Mercurii, hora IX.

Mechanicam analyticam, diebus Martis et Jovis, hora IX.

Theoriam probabilitatis, quam vocant, et insignem ejus usum in vita civili tradet, quarum lectionum horas in commodum Auditorum constituet.

Phil. Theor. et Literarum Candidatis, Geometriam et Arithmeticam Universalem initiis repetitis explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora XI.

Partem Theoreticam et Practicam Paedagogices ad disciplinas Mathematicas relatae, futuros Gymnasiorum praeceptores docebit, horis deinceps indicandis.

J. VAN DER **HOEVEN**, Prof. Extraordin. Historiae Naturalis elementa exponet, diebus Lunae et Mercurii, hora XII.

Zoologiam tradere perget in usum provectiorum discipulorum, diebus Martis et Jovis, hora I.

Osteologiam comparatam docebit, die Veneris, hora XI—I.

P. J. **UYLENBROEK**, Prof. Extraord. Physicam docebit, secundum compendium a Cl. BIOT editum, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, hora VIII.

Physicam et Astronomiam Mathematicam, tradet iisdem diebus, hora XII.

Astronomiae elementa exponet, diebus iisdem, hora X.

Arithmeticam Universalem explicabit, diebus Martis, Mercurii et Jovis, hora I.

N. G. VAN **KAMPEN**, Litt. Germ. Lector, excerpta et auctoribus classicis Germanicae prosae orationis explicabit, Florilegium suum secutus, cui titulus: *Handboek der Hoogduitsche Letterkunde*, Vol. II. (mox edendum); die Jovis post meridiem, hora V—VII.

Grammaticam Germanicam H. BAUER (*Vollständige Grammatik der neuhochdeutschen Sprache*) exponet die Veneris, post meridiem, hora IV.

A. H. VAN DER **BOON MESCH**, Chymiae Technicae Lector, Chymiae doctrinam ejusque in artibus usum latine exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora III.

Chymiam Medicinalem et Pharmaciam docebit, diebus Martis et Jovis, hora VIII.

G. **KNIPPENBERG**, Academicus Artis Gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

ACTA ET GESTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

1828. Die 7 Martii. Lectae sunt litterae Ill. Curatorum, quibus Rectorem et Senatum certiores faciunt, ex Regis decreto Virum Doctissimum JACOBUM GEELIUM Bibliothecarium secundi ordinis, constitutum esse Professorem Honorarium.

Die 11. Octobris. Vir Cl. JOANNES VAN VOORST in Auditorio Majori sacri muneris semi-secularia celebravit solenni Oratione *In memoriam beneficiorum Dei decem lustra in se collatorum.*

1829. Die 16 Januarii. Ex lege confectus est catalogus Virorum Cll., qui ad gerendum, in sequentem annum, summum Academiae Magistratum, Regi Augustissimo Candidati proponendi sunt.

Nominati quoque sunt quatuor ex quibus unus e Lege Regia eligendus esset in annum sequentem Actuarius.

Prior Catalogus per Litteras latino sermone scriptas cum Rege, uterque autem cum Ill. Academiae Curatoribus communicatus est.

Die 24 Januarii. Lectae sunt litterae Ill. Acad. Curatorum, quibus communicatur Regium decretum, quo Facultati Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Professor extraordinarius adjungitur Vir Doctiss. A. H. VAN DER BOON MESCH, hactenus Chymiae Technicae Lector.

1829. Die 5 Februarii. Recitatum est Regis Augustissimi decretum, quo Rector Magnificus in annum sequentem designatur Vir Cl. MICHAEL JACOBUS MACQUELYN. Designato Rectori Assessores adjuncti sunt;

Viri Clarissimi H. G. TYDEMAN,
L. SURINGAR,
G. WTTEWAALL,
C. J. C. REUVENS.

Die 9. Februarii. Rector Magnificus cum Senatu communicavit, in concessu Curatorum, Rectoris et Assessorum designatum esse Actuarium Virum Cl. JANUM BAKE, qui Rectoris Magnifici munus depositurus in Auditorio Majori solennem habuit Orationem, *de praecipuo consilio quo Veteres Literae colendae sunt.*

Cetera ex more antiquo et legibus regiis hoc die praestanda, feliciter peracta sunt.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

PUBLICE DEFENSARUM,

à die VIII Februarii MDCCCXXVIII ad diem IX Februarii MDCCCXXIX.

1828.

d. 11 Februarii. *Dissertatio Juridica, de Causis, quae tollunt Delicti Imputationem*, cum laude defensa, a Diderico Henrico Wicherlink, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 16 Februarii. *Specimen Juridicum, de Obligationibus quae quasi ex contractu nascuntur*, cum laude defensum, a Jano Guilielmo van Hoogstraten, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 21 Martii. *Specimen Juridicum, de Jurejurando Suppletorio*, defensum a Ludovico Adolpho Noiset, Charoloregiano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 26 Martii. Dissertatio Statistico-Juridica, de Venatione et Jure Venationis in Provinciis nostri Regni Septentrionalibus, cum laude defensa, in Auditorio Majori, ab Hermanno Cornelio Jacobo Hoog, Dordraco-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1828.

d. 17 Aprilis. *Dissertatio Juridica, de Excusationibus Tutorum, secundum Juris Hodierni principia*, cum laude defensa, a Martino Adriano Hartman, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 26 Aprilis. Disputatio Juridica, de Tabellionis (Notarii) officiis, quatenus in Novo Codice Civili Belgico exponuntur, cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Siboldo Schmolck, Haga-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 9 Maji. *Dissertatio Juridica, ad Articulos 421 et 422 Codicis Poenalis Gallici*, cum laude defensa, a Hugone Repelaer, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 14 Maji. Disputatio Juridica, de Judaeorum sub Caesaribus conditione, et de legibus eos spectantibus, cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Davide Henrico Levyssohn, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 4 Junii. Dissertatio Juridica, de Hugonis Grotii in Jure Criminali meritis, cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Joanne van Riet Jun., Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 5 Junii. Disputatio Juridica, de Conditione Resolutoria, quae tacite contractibus bilateralibus inest, defensa in Auditorio Majori, a Cornelio Themmen, Ommelando-Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1828.

d. 19 Junii. Dissertatio Zoologica, de Tardigradis, cum laude defensa, in Auditorio Majori, ab Antonio Brants, Amstelaedamensi, pro Matheseos Magisterio et Philosophiae Naturalis Doctoratu.

d. 20 Junii. Disputatio Academica, de Amoso, magna cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Theodoro Guilielmo Johanne Juynboll, Roterodamensi, pro Doctoratu Theologiae.

Eodem die. Disputatio, de Libri Apocalypseos argumento, sententia et auctore, magna cum laude defensa, in Auditorio Majori, ab Henrico Engelino Weyers, Hollando ex pago Winkel, pro Doctoratu Theologiae.

d. 21 Junii. Dissertatio Juridica, de moderanda Poena, cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Justo Casparo Carolo Henrico van Lynden, Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 23 Junii. *Dissertatio Juridica, de Juribus Peregrinorum in Belgio*, cum laude defensa, a Philippo de Kanter, Zalt-Bommelia-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 23 Junii. *Specimen Historico-Politicum, de Provinciae Groninganae Regiminis forma antiqua et nova*, cum laude defensum, a Ferdinando Folef von Innhausen und Kniphausen, Mitwolda (ad occidentem) Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 24 Junii. Dissertatio Theologica, de Judaeo-Christianismo ejusque vi et efficacitate, quam exseruit in rem Christianam seculo primo, magna cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Davide van Heyst, Amstelodamo-Batavo, pro Doctoratu Theologiae.

1828.

d. 24 Junii. Dissertatio, de Theodosii Magni in rem Christianam meritis, magna cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Jano Henrico Stuffken, Amstelodamensi, pro Doctoratu Theologiae.

d. 25 Junii. Dissertatio Juridica, de Privilegiis Urbium cogendi mercatores ut mercium vendendarum gratia forum suum adeant, vulgo *Stapelregt*, magna cum laude defensa, in Auditorio Majori, ab Antonio Zacharia Hanlo, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. Specimen Juridicum, exhibens doctrinam Halleri de Fundamento Summi Imperii, cum laude defensum, in Auditorio Majori, a Theodoro Francisco Maria Antonio Gisleno de Pelichy, Brugensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 26 Junii. *Dissertatio Juridica, de Testamento Publico*, cum laude defensa, a Carolo Josepho Vercauteren, Brugensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, de Emtione Venditione secundum Codicem Napoleonticum*, cum laude defensa, a Guilielmo Jongejan, Briellensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 27 Junii. *Specimen Juridicum, de Injuriis secundum Codicem Poenalem*, cum laude defensum, a Johanne Antonio Roessingh Udink, Enschede-Transisalano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Specimen Juridicum, de Termino moto*, cum laude defensum, a Cornelio Petro Wicherlink, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d.

1828.

d. 28 Junii. *Dissertatio Juridica, ad locum Codicis Civilis de Emtione Venditione atque speciatim ad art. 1583*, cum laude defensa, a Rutgero Jano toe Laer, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Specimen Juridicum, continens quaestiones aliquot ex Jure Romano et Hodierno*, cum laude defensum, a Bernardo Gutberletho Snethlage, Hengeloa-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Specimen Juridicum, de Magistratuum delictis, qui potestate sua abusi sunt, e principiis Juris Hodierni*, cum laude defensum a Gerardo Abrahamo Salomon Huygens, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, exhibens Quaestiones e Jure Romano et Hodierno*, cum laude defensa, a Cornelio Wiersma, Franequera-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 30 Junii. *Specimen Juridicum, exhibens Quaestiones aliquot ex Jure Romano et Hodierno*, defensum, a Joanne Henrico Daniele Schenkenberg van Mierop, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Historico-Juridica, de Collegio quod in Rhenolandia viarum et aggerum supremam curam gerit* (Hoogheemraadschap van Rijnland), cum laude defensa, a Jacobo Jano van Halteren, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 1 Julii. *Dissertatio Medica, de Signis Morborum, quae petuntur ex Oculo*, cum laude defensa, a Johanne Cornelio van der Burcht van Lichtenberg, ex pago Prinsen-Hagen, pro Doctoratu Medicinae.

1828.

d. 4 Julii. *Dissertatio Pathologico-Chirurgica, de Cura Aneurysmatum ope arteriarum ligaturae*, cum laude defensa, a Jacobo Baert, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Medicinae.

d. 22 Septembris. *Specimen Academicum, de Sanctitate Legatorum*, cum laude defensum, a Petro Six, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, de Crimine Stellionatus*, cum laude defensa, ab Alberto Jongkindt, Meppeliensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 4 Octobris. Specimen Academicum, exhibens Commentarium Geographicum in Arrianum de Expeditione Alexandri, magna cum laude defensum in Auditorio Majori, a Petro Ottone van der Chys, Delphensi, pro Doctoratu Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

d. 21 Octobris. *Specimen Juridicum, de Auctoribus et Sociis Delictorum*, cum laude defensum, a Guilielmo Adolpho Wernero van Haersolte, Transisalano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 1 Novembris. *Specimen Juridicum, de Sigillis imponendis ac tollendis*, magna cum laude defensum, a Samuele Hartogh Heys, Delphensi pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 17 Novembris. *Dissertatio Juridica, de Quasi Delictis*, defensa a Georgio Guilielmo Frederico Suringar, e pago Beetsterzwaag Frisiae, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 28 Novembris. *Specimen Juridicum, de Conjugum in Bona Dotalia Juribus*, cum laude defensum, a Samuele Schuurbeque Boeije, Zirizea-Zelando, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1828.

d. 10 Decembris. Dissertatio Medica, de Homine interno et externo, cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Jano Rudolpho Heller, Steenbergensi, pro Doctoratu Medicinae.

d. 12 Decembris. Dissertatio Juridica, ad Juris locum de Cessione Bonorum, magna cum laude defensa, in Auditorio Majori, ab Arnoldo Jacobo Theodoro de Bordes, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. Specimen Academicum, de Jacobo Catsio JCto, magna cum laude defensum, in Auditorio Majori, ab A. G. C. Alsche, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 13 Decembris. Dissertatio Historica et Literaria, de Athenarum conditione sub imperio Triginta Tyrannorum, magna cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Daniele Tieboel Siegenbeek, pro Doctoratu Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

Eodem die. Dissertatio Juridica, ad Titulum Pandectarum de Fideicommissariis Libertatibus, magna cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Daniele Tieboel Siegenbeek, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 15 Decembris. *Dissertatio Medica*, *de Febre hydrocephalica*, defensa a Georgio Frederico Collier, ex provincia Staffordiensi Anglo, pro. Doctoratu Medicinae.

Eodem die. *Dissertatio Juridica*, *continens Tituli de Hypothecis secundum novum Jus Belgicum expositionem*, cum laude defensa, a Joanne Versfelt, Sylva-Ducensi Brabanto, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d.

1828.

d. 15 Decembris. *Dissertatio Juridica, de effectibus justarum Nuptiarum ratione conjugum*, defensa a Constantio Eduardo Josepho de Brouwer, Mechliniensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 19 Decembris. *Specimen Juridicum, de jure Repraesentationis, secundum principia Juris Hodierni*, magna cum laude defensum ab Henrico Abrahamo Certon, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

Eodem die. *Dissertatio Juridica, de Patria Potestate, secundum novi Codicis Belgici principia*, magna cum laude defensa, a Francisco Laurentio Certon, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 20 Decembris. *Specimen Juridicum, de Praescriptione Juris Criminalis*, defensum a Guilielmo Maria Huygens, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 22 Decembris. *Dissertatio Juridica, de Transactione secundum Jus Hodiernum*, magna cum laude defensa, a Jano Henrico Telders, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1829.

d. 7 Januarii. Dissertatio Juridica, de Procuratoribus Judicialibus, cum laude defensa, in Auditorio Majori, a Petro Mabé Jun., Harlemensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 10 Januarii. *Dissertatio Historico-Critica, de Aristide, ejusque in Rempublicam Atheniensium meritis*, magna cum laude de-

1829.

defensa, a Petro Epkema, Enchusa-Westfrisio; pro Doctoratu Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

d. 30 Januarii. *Dissertatio Obstetrico-Medica, de Convulsionibus Parturientium,* cum laude defensa, a Cornelio Josepho Crielaers, Walovico-Brabanto, pro Doctoratu Medicinae.

JUDICIA FACULTATUM DE CONSCRIPTIS HOC ANNO COMMENTATIONIBUS,

AB ACTUARIO PRAELECTA
D. IX FEBRUARII MDCCCXXIX.

I.

ORDO PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM

Unum responsum accepit ad quaestionem philosophicam anno superiori propositam, cujus hoc argumentum est:

> » Ita explicentur diversae Adsensûs formae, quae dicuntur *Scientia*, *Fides*, *Opinio*, ut inquiratur primum in cujusque naturam, rationem » et potestatem; deinde quare certa collocanda sit stabilisque fiducia in » Rationis humanae auctoritate; denique, quam late pateat haec Rationis auctoritas cum *constitutiva*, tum *normativa*?"

De responso sic judicarunt omnes Ordinis socii, nonnulla quidem in eo reprehendenda videri. In prima scilicet dissertationis parte desiderari accuratiorem diversarum adsensûs formarum investigationem, non quidem ex historia philosophiae, sed ex ipsa hominis natura petendam, ad modum celeberrimi KRUGII, aliorumque recentiorum, qui de hoc argumento scripserunt, philosophorum; deinceps ad tertiam hujus commentationis partem non ita responsum esse, ut recte intelligatur, quid sit auctoritas rationis constitutiva et normativa, et quam late pateat haec ipsa facultas duplici hoc sensu explicata. Verumtamen magnam in hac dissertatione cerni diligentiam, eruditionem philosophicam haud vulgarem, orationem Latinam satis correctam, et argumenti explicationem subtilem atque perspicuam. Omnium igitur consensu visum est, hujus disputationis auctori praemium tribui posse. Aperta schedula insignita lemmate: *Prudentum victrix ratio*, prodiit nomen PETRI JOSEPHI LEMOINE, Leodiensis et in Academia Leodiensi Studiosi.

II.

JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ad quaestionem:

Quaenam sanior est Humorum Pathologia, nostris temporibus admittenda?,

Hoc anno iterum ab Ordine Medicorum propositam, *tres* datae sunt Responsiones, quarum prior hoc lemmate erat inscripta: *In sanguine fons est vitae*, etc. DURETUS.

Altera TULLII ornata sententia: *Opinionum commenta delet dies* etc.

Tertiae denique subscripta erant sequentia PLINII verba: *Res ardua vetustis novitatem dare*, etc.

Quarum *prior* parvo labore, et brevi, ut videtur, temporis spatio conscripta, nec lucidum ordinem habet, nec accuratam doctrinam, neque eam ratiocinationis vim atque firmitatem, quae in hac praesertim quaestione solvenda requirantur.

Alterius auctor industriae magis quam judicii laude commendabilis, plurima colligit ad rem parum vel nihil facientia, neque ex iis, quae ad ipsam pertinerent efficit, quae tandem sanior sit humorum pathologia nostris temporibus admittenda.

Tertia denique, etsi multis dotibus duabus prioribus antecellit; tum accurata magis doctrina, tum ordine rerum propositarum, tum ingenii potissimum sagacioris indiciis, quam plurima tamen habet vituperio digna. Etenim displicet manca admodum pathologiae scientia, displicet impudentia auctoris, qui obscoenam foedamque experientiam referre non veritus est.

Displicet maxime temeraria ista, et polemica scribendi ratio, qua non ea, quae juvenem imprimis decet, modestia viros doctos, sententiae suae adversarios, aggressus est.

Universi scriptores commentationum perperam judicasse videntur, nos *apologiam* voluisse Pathologiae Humoralis, qui unius veritatis spectavimus investigationem, minime vero hujus illiusve doctrinae defensionem; id quod perspicue satis ipsius quaestionis verbis declaratum arbitramur.

Quapropter Medicorum Ordo nulli harum Commentationum Auctori palmam dandam esse existimavit.

III.

JUDICIUM ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ad propositam quaestionem:

» Instituatur disputatio de HEINECCII meritis in restitutionem Legis Papiae Poppaeae et de novis juris fontibus, quibus doctrina de hac amplissima Lege illustrari possit",

Tres Ordini oblatae sunt commentationes.

Prima his erat inscripta verbis:

— — — *Fluitem dubiae spe pendulus horae.*
HORAT. *Epist. Lib. I. Epist. XVIII. vs.* 110.

Hujus scriptionis auctor varia Legis capita ab HEINECCIO restituta referre potius, quam de hujus meritis in restitutionem Legis, deque novis, quibus illustrari possit, Juris fontibus disputare visus est. Accedit oratio neque pura neque perspicua.

In *altera* dissertatione, cui haec adjecta erat tessera: *Legi Juliae et Papiae Poppaeae tam multa JCtorum responsa, tot Patrum sententiae, tot Veterum fragmenta implicata sunt*, caet. Ordo laudat accuratam totius argumenti tractationem, industriam plane singularem et magnam doctrinae copiam, bonorum scriptorum usu comparatam, sed minus ei placuerunt operis distributio non satis idonea, tum dicendi genus nec bonitate nec simplicitate commendabile. Doluit sane Ordo, quod auctor ipse professus est, ob adversam ejus valetudinem, ultimam operi manum apponi non potuisse. Quod si auctori facere licuisset, sique tota scriptio limatiore cura castigata fuisset, forte praemium tulisset. Ordo tamen eum evocandum esse judicavit, qui publice laudis testimonium acciperet, sed nullum adhuc ab eo responsum tulit.

Tertia commentatio his erat signata verbis: *τὰ τῶν πρεσβυτέρων ἐπιχειρήματα ἀρχὴν ἐνδίδωσιν οἰκεῖαν* caet. Ea, duabus prioribus justo locorum ordine et argumentorum dispositione, haud dubie antecellens, in simplici et modesto sermone adferebat diligentiam et rerum expositionem claram et perspicuam. Imprimis autem exercitatioris stili color et judicii magis firmati vigor placuit. Huic igitur disputationi praemium assignandum Ordo censuit. Aperta autem schedula et instituto examine auctor ejus repertus est: ANNE MAURITIUS CORNELIUS VAN HALL, Juris Candidatus, in Athenaeo Amstelaedamensi.

IV.

JUDICIUM FACULTATIS THEOLOGICAE.

Ad propositam antecedenti anno de loco *ad Rom. VIII Cap.* 22. quaestionem, quinque Facultati oblatae sunt responsiones, his symbolis notatae:

I^a^. *Efferendus sensus e S. Libris, non aliunde inferendus.* Ernesti.
II^a^. *Humanitatis est vel non facere quae non optime possis, vel facere quae non pessime facias.* Cicero.
III^a^. *Omnes in ultimum diem spectant.* Seneca.
IV^a^. *Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*
V^a^. *Spes bona dat vires.*

Judicavit Facultas, in singulis quidem harum commentationum auctoribus laudandam esse, quam in interpretando huncce locum praestiterunt, industriam; *tertiam* tamen commentationem scriptorem prodere in arte interterpretandi et in linguae latinae usu haud satis exercitatum; *secundae* vero et *primae* inprimis commentationis auctores majorem longe exhibuisse cum interpretandi tum latine scribendi facultatem, sed, in exponendis maxime et dijudicandis variis interpretum sententiis, ultra id quod postulaverat quaestionis ratio, operam collocasse.

Caret hisce vitiis, quae *quarto loco* commemorata est responsio, his insignita verbis: *Magnus ab integro* caet. cujus auctor et propter concinnam et elegantem cum loci tractationem, tum argumenti dispositionem, eximie est laudandus.

Ad accuratiorem vero quod attinet hujus loci explicationem et desideratam interpretandi simplicitatem, ceteris omnibus palmam praeripuisse visus est auctor *quintae* commentationis, pro nomine suo hoc lemmate utens: *Spes bona dat vires.* Huic itaque praemium decernere Facultas haud dubitavit. Reserata est schedula et nomen prodiit

JANI REGNERI WERNINCK, Theologiae Studiosi in Academia Lugduno-Batava.

Quartae autem commentationis auctorem, quem utpote victori proximum, testimonio honorifico publice condecorandum censeret Facultas, per Ephemerides invitavit ut nomen suum profiteretur. Cui Facultatis desiderio satisfecit ornatissimus: ALLE MEENDERS CRAMER, Athenaei Illustris, quod Amstelodami floret, et Seminarii Theologici Teleiobaptistarum alumnus.

V.

JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Ad quaestionem *Chemicam* unum responsum acceptum est, inscriptum verbis: *Zonder mij enz.*

Quae scriptio cum multa contineat de Minerarum Ferri analysi Chemica et ad ejusdem metalli metallurgicam historiam pertinentia satis accurate conscripta, eo magis dolendum est, auctorem quaestionis propositum neglexisse, ita quidem, ut prior pars quaestionis imperfecte neque accurate sit tractata, nimisque Mineralogiae imperitum arguat auctorem. Neque posterioris partis tractatio Facultati satisfecit, neque denique sermonis puritate haec scriptio commendatur.

Ad quaestionem *Zoologicam:*

» Systematice enumerentur species indigenae Reptilium ex ordine Batra-
» chiorum, addita unius saltem speciei anatome et praesertim osteogra-
» phia accurata, non ex aliorum scriptis desumta, sed ab ipsa natura
» petita",

duas accepit Facultas Commentationes, alteram his **BLASII** verbis inscriptam: *Habet Rana quod curiosum fatiget, licet adspectu vilis ac ciconiarum victima;* alteram hoc lemmate distinctam: *Discens, non docens;* utramque laudibus suis non destitutam, posteriorem tamen festinanter nimis neque satis accurate conscriptam, ita ut in anatomica parte multa eaque gravissima desiderentur. Prior vero responsio et sermonis elegantia se commendavit et Auctoris industriam, studii assiduitatem ingeniique felicitatem probavit egregie. Physiologiam quoque anatomicis descriptionibus adjunxit Auctor, et in osteologica parte etiam Osteogenesin perscrutatus est, quemadmodum addito commentationi gyrini sceleto, quod ipse confecerat, Facultati probavit. Has ob causas non dubitavit Facultas egregium hujus responsionis Auctorem praemio condecorare.

Aperta schedula, nomen prodiit **HECTORIS LIVII VAN ALTENA**, Philos. Natur. et Math. Candidati in Athenaeo Franequerano.

Alteram vero scriptionem cum in parte systematica species rectius distinctae et nonnullae, quas omiserat prorsus prioris scriptionis Auctor, enumeratae sint, cumque accurate conscripta sit Osteologia, quam, additis iconibus pluribus, aeque ac Myologiam illustravit Auctor, laudis accessione et honorifico testimonio dignum judicavit Facultas. Auctor hujus commentationis est: **PAULUS JACOBUS LEDEBOER**, in hac Academia Med. Studiosus.

PRO-

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

D. IX. MENSIS FEBRUARII

A. MDCCCXXIX.

INDICTI.

Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae ex Augustissimi Regis Edicto d. 2 mensis Augusti A. MDCCCXV. N°. 14, omnes Academiarum Belgicarum Cives, et Athenaeorum alumnos in annum sequentem ad certamen Literarium invitant et evocant, et propositas a singulis Ordinibus Academicis quaestiones promulgari jubent.

Quaestio ab **ORDINE MEDICORUM** proposita:

Quid contulerunt Chirurgi Batavi ad doctrinam herniarum augendam, et perficiendam?

ORDO JURECONSULTORUM hanc proponit Quaestionem:

Generalibus Oeconomiae politicae super pecunia numerata sive moneta principiis succincte expositis, describatur praesens systema monetarium Regni Belgici, et cum illo quod in Republica Belgii Foederati proxime obtinebat, comparetur.

ORDO

ORDO THEOLOGORUM quaerit:

Qua ratione *Libertas* Dei distinguenda sit ab ejus *Independentia?* Num de illa Dei proprietate satis constet? An prorsus tolli possit species pugnae, quae illam inter atque internam et absolutam Naturae Divinae necessitatem intercedere judicatur? Et quinam ex perversis de hoc attributo Divinitatis opinionibus, ut antiquitus, ita et recentiori memoria, prognati sint errores?

ORDO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM sequentes proponit Quaestiones:

E MATHESI.

Origo integralium singularium explicetur, eorumque usus in theoria curvarum quibusdam exemplis illustretur.

Ex ASTRONOMIA.

Praecipue explicentur et inter se conferantur methodi, quibus altitudo poli, tam terrâ, quam mari, accuratissime definiatur.

E PHYSICA.

Exponantur et dijudicentur variae cum observandi, tum computandi rationes, quibus quantum vaporis aquei in atmosphaerâ, vel aëre quocumque, contineatur, determinari possit.

E CHEMIA.

Instituatur aquae marinae analysis accurata, et inquiratur quaenam sint ejus principia constituentia perpetua, quae contra accessoria et minus constantia; tum quibus utrorumque Jodium et Bromium sint accensenda? exponatur denique, qua ratione singula illa principia separentur et depurentur.

E BOTANICA.

Exponatur natura et diversitas lignorum fabrilium usitatiorum. Inquiratur quibus e causis singula ad certos, alia ad alios usus aptiora sint et magis idonea.

ORDO PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM sequentes ponit Quaestiones:

E PHILOSOPHIA.

Quum vetustissima Graecorum philosophia poëtarum carminibus contineatur, quaeritur quaenam praecipuae fuerint eorum opiniones, cum de Deorum naturâ et providentiâ, tum de reliqua omni philosophia physica atque morali, inde ab antiquissimis Graecorum theologis, usque ad eos poëtas, qui septem sapientum aetate floruerunt.

E LITERIS.

Balthazaris huydecoperi in linguam literasque Belgicas merita explicentur.

Commentationes, Latinâ tantum oratione conficiendae, et aliâ, quam auctorum manu nitide describendae, ante diem 1 Novembris hujus anni mittuntor ad Virum Clarissimum **janum bake**, Academiae Actuarium, ita ut nullis ab Academiae parte faciendis expensis detur locus. Lemmate autem omnes inscribendae, iisque adjungendae sunt Schedulae obsignatae, Auctorum nomina et pronomina integris literis continentes, eodemque exteriore parte lemmate insignitae.

Universa vero concertationis ineundae, et dijudicandae ratio cognosci potest ex Edicto Regis, supra dicto, art. 205—213.

IANI BAKE

ORATIO,

PRONUNCIATA D. IX. FEBRUARII ANNI MDCCCXXIX,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

CURATORES ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE, QUIQUE HUIC COLLEGIO AB ACTIS ES, VIRI ILLUSTRISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUI IN HAC REGIONE, ET IN HAC URBE, VEL IURI TUENDO: VEL CIVIUM NEGOTIIS PUBLICE CURANDIS PRAEESTIS, QUIQUE HIS COLLEGIIS AB ACTIS ESTIS, MAGISTRATUS AMPLISSIMI, VIRI HONORATISSIMI!

PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM QUARUMVIS DOCTORES CONSULTISSIMI!

CIVES ACADEMICI, SANCTA MIHI NECESSITUDINE CONJUNCTISSIMI, LAUDATISSIMI ADOLESCENTES!

AUDITORES QUOCUMQUE ORDINE, LOCO, AUT MUNERE ORNATISSIMI!

A quo tempore qualemcumque industriam mihi in gravi hoc et honorifico erudiendae iuventutis munere explicare concessum est, haud exiguam profecto voluptatem cepi ex illo otio, quod in optimis studiis tum libere colendis, tum apud alios excitandis totum consumere liceret. Sed quum magna me spes teneret, si nec imprudenter, nec segniter nimis ei provinciae praefuissem, fore ut sepirem quodam modo et confirmarem laudatissimarum artium existimationem, lateque sparsis quasi quibusdam seminibus omnis virtutis et honestatis, consequerer ita eam auctoritatem, quae et grata mihi, et rei publicae ad decus et famam fructuosa futura esset; hanc spem cogitationum mearum non praeciderunt quidem novissima tempora, sed haud mediocriter conturbarunt, opinionisque fiduciam, tamquam somnianti visum, ingrato strepitu excusserunt. Nondum deficit causam bonorum vox; hodieque sunt, qui honestatis moderationisque validissima fundamenta posita esse censeant in disciplinarum studiis non sordide et avare cauponandis, sed laute liberaliterque ornandis. Nondum evulsa radicitus est ea cogitatio, si munitionibus aggeribusque patriae solum continere, si opificiis et mercaturis civium opes confirmare utile est, eruditionis laudem, quam haud minori partam industria a maioribus traditam accepimus, acriori etiam animorum contentione tuendam esse nobis et propagandam. Nondum debellata est penitus ea sententia, esse quamdam humanitatis excellentiam, quam sine his literis attingere non liceat. Sed qui clamores auditi sint male sedulorum, neminem latet. Ecquem vestrum non graviter commoverunt contumeliae insigni cum auctorum dedecore iactae in eam studiorum disciplinam, quae una et rei gravitati, et bonorum exspectationi, et vero patriae voci satisfaciat? Ecquem non taedet istius avaritiae dicam, an petulantiae, omnia ad officinae sordes, aut ad tabernae modulum revocantis, in ea re quae stare, nedum vigere, nisi in lautissima et honestissima ingeniorum agitatione non potest? Vestrum studium, Viri Clarissimi, qui mecum hanc Musarum sedem, illustre Batavi nominis ornamentum, pro virili tuemini, nulla, certo scio, vel convicia retardabunt, vel franget indignitas. Sed huius res agitur iuventutis, cuius causa non nunc demum suscipienda est nobis, sed recepta iam pridem est: huius agitur Academiae auctoritas, quae in ipso discrimine condita vindicandae dignitatis, numquam ad tantam famam crevisset, nisi praeceptis institutisque anteponendam utilitati dignitatem esse perpetuo iudicavisset: ipsa denique agitur patria, cuius in maximis opibus nullum tamen maius umquam fuit decus, quam ea bonarum artium disciplina, quae gratuitum excitaret honesti amorem, neque ad turpem ambitionem, aut ad sordidum quaestum abiici cuncta pateretur.

Miramini fortasse, A. A., hanc primam ingressionem meam, e tristi, quantumvis iusta, querela petitam potius, quam ex huius diei opportunitate ductam esse. Sed quae tandem oratio potest bene de eventu sperare, praeter eam quae ex intimis animi sensibus proficiscatur? aut quae causa erat cur dolorem meum atque indignationem reprimerem? Quum praesertim viderem primum mihi apud eos sermonem fore, quos eadem molestiae iniuriaeque societas coniungeret, ut, si oratio mea futura praecipue esset, sensum ac voluntatem vobiscum communem habiturus essem: tum quod intelligerem posse me conferre dolorem ad eam sententiam explicandam, quam, quum diu in animo infixa, sed involuta quodammodo fuisset, latrando isti magis quam dicendo mirifice excitassent. Neque enim aut hujus cathedrae modestia, aut vestri consessus gravitas, aut huius muneris, quod iam mihi deponendum est, amplitudo inanem aurium oblectationem quaerit, multoque minus illam voluptatis effectricem orationem mihi vel natura concessit, vel ingenii mediocritas conciliavit. Sed consideranti mihi multorum audaciam et arrogantiam, quorum in dies crescere videtur auctoritas, visum est totum conferre me ad eorum studiorum tum rationem vindicandam, tum dignitatem, quae multi vestrum pari mecum animo colitis, quaeque si quisquam contemneret, non ad audiendum me huc venisset. Vestra igitur fretus suffragatione, A. A., ostendere studebo *hoc polliceri praecipuum veterum literarum disciplinam, ut eam qui rite sequatur, ad orationis facultatem excellentem proficiat.* Qua causa suscipienda intelligo, quam in grave discrimen venturus sim. Quippe non satis erit probasse me idoneis argumentis id quod spectavi; quod mihi commune est cum reliquis omnibus, in quacumque disputatione versentur; sed hoc etiam postulabitis, ipse ut exemplo meo ostendam exsistere illam artem ex his studiis, esseque hanc praecipuam laudem, cuius ea nomine commendentur. Grave profecto onus exspectationis vestrae! cui sustinendo ita me imparem esse certe scio, ut paene nunc etiam hanc voluntariam et otiosam loquacitatem deponere satius arbitrer. Verum tamen periclitabor in re difficili ingenii vires; maloque ipse minus disertus videri, quam causam, iustam praesertim et honestam deserere. Tantum vos oro, ut mecum ipsi anquiratis quae recte et subtiliter defendi possint, neque ex patroni infantia de causae existimatione statuatis.

Nulla est doctrina rerum honestarum, nulla ars aut exercitatio, quin, quum humani ingenii perfecta sit calliditate et inventis, magno cum humanitatis colatur emolumento et perpolitione. Et profecto humanitatis illius praestantia, quo tendere omnes oportet, nisi si quis pecudum more praesentis tantum voluptatis, neque ullo praeterea, fructu movetur, alendis excolendisque continetur iis bonis, quorum praeclarissimo munere divina providentia humanam subornavit naturam. Sed neque simplex ea laus est, neque parem eius sibi vindicant partem omnes disciplinae. Disputari multum solet, unde tandem artes et doctrinae ortum habuerint; utrum inveniendarum causa a necessitate quadam et indigentia repetenda, ut essent quasi ministrae vitae communis et civilis, aut naturae adiutrices, an sponte effloruerint e pulchri quodam et venusti insito sensu, quem secuti homines oblectandi potius honestatem, quam vitae praesidia spectaverint. De quo in quamcumque partem statuatur, hoc certe negari non poterit, et nullam esse doctrinam ita necessariam, quin ad mansuetiorem illam magisque otiosam considerandi voluptatem extolli possit, neque ullius artis adeo inanem esse oblectationem, quin arctissime cum primis illis naturae fundamentis et principiis sit coniuncta. Verum aliud est, in quo plurimum distant inter se disciplinae. Earum quippe aliae multarum rerum cognitione continentur, non illa quidem sine insigni industriae et acuminis laude ac perfectione, sed cuius tamen fructus omnis in praesenti potissimum utilitate consumitur: aliae minime quidem scientiae cognitionisque operam negligunt, sed nisi opus quoddam perfecerint, cuius oblectatio ad plures pertineat, posterosque etiam in sui admirationem rapiat, officio suo satisfecisse non existimantur. Unde intelligere possumus, non tantum has cum illis dignitate aequandas esse, sed difficultate etiam superiores. Docti enim nomen facile is tuetur, qui primum ea, quae ante alii invenerunt, complexus est, tum eadem suo quodam invento, quantumvis exiguo, auxit et perfecit: quod quis est qui vel mediocri ingenio attingere non possit? Artifex contra non is laudabitur, qui permulta didicerit, sed qui suo ingenio eiusmodi opus condiderit, quod cum eorum, qui ante fuerunt, perfectissimis monumentis possit de palma contendere. Atque huius postremi generis excellens illa orationis facultas est, cuius disciplinam e veterum literarum studio arcessendam esse dixi.

Sed in primis intelligendum est, sic in praestantissimis illis naturae bonis numerandam esse orationem, ipsamque eius extremam ac perfectissimam laudem ita conferri ad exquisitas humanitatis dotes exornandas et perpoliendas, difficile ut sit decernere, quibus in ea finibus a necessitate segregetur voluptas. Igitur explosum diu est vetus illud, Socratis propagatum auctoritate, quemque satis in eo, quod sciat, esse disertum: similiaque multa, quae feruntur, ab eodem scilicet fonte perfecta, primum perperam intellecta sunt a plerisque, Socratis peculiare consilium ignorantibus, et suavissimae vim ironiae; deinde eorum scriptis ad nostram memoriam tradita, qui, quum haec in praestantis virtutis contemtum et ludibrium explicarent, ipsi divino quodam artificio dicendi usi sunt. Constituantur sane angusti illi indigentiae fines in iis disciplinis, quae praesentem quaerunt utilitatem, et extrinsecus iudicantur; non utitur minuta illa computatione studium virtutis et ingenii quaedam elaboratio. Nam qui dicere nihil aliud esse putant, praeter sensa mentis explicare, lepidum fortasse aliquid excogitasse sibi videntur, quo exiguam, aut ancipitem certe eius facultatis relinquant existimationem; quippe, ut concedant recte illud, et sic ut decet, fieri sine aliquo studio non posse, opificii tamen eam artem similem esse quodam modo, quod aut tractare, aut deponere liceat, nullo prudentiae, nedum humanitatis incommodo. Hi, videtis, in quanto errore versentur. Sicut enim equus et arbor appellantur nominibus definitis, et suum cuique genus et formam adsignantibus, eodem modo sentire ac dicere appellari putant, discreta a se invicem, ac genere diversa: neque intelligunt ita alteram alterius ope confirmari facultatem, ut debilis altera futura sit, et imperfecta, et manca, sine alterius societate. Quid enim? Regi orationem, et gubernari, et exsistere totam dicemus ex intimis animi sensibus: quin parem vim in ipsam mentem habeat oratio, dubitabimus? Non est ita. Nihil est in mente, quod non occultum, et obscurum, et implicatum maneat, donec orationis ope detegatur, illustretur, enodetur, primum tacita commentatione, tum magis etiam intentissima dicenti exercitatione. Tantaque est mentis humanae imbecillitas et inopia, ut non dicam aliorum, sed ne suam quidem vim agnoscat et percipiat, nisi sensibus ipsa se suis subiiciat, inque ea imagine elaboranda quantum fieri potest studii ac diligentiae ponat.

Proferri sic aliquantum istos necessitatis fines videtis, A. A.; sed modum tamen quemdam requiri sunt qui existiment, neque opus esse ut in orationis copia, et ornatu, et elegantia elaboretur; paucis enim verbis, iisque communibus et simplicibus satis patefieri mentem posse; ultra etiam si quis progrediatur, metum esse ne corrumpatur potius intelligentia, quam adiuvetur. Spoliare hoc quidem est naturae opes, non explicare thesauros, neque eius simulacri, quod in animo quisque suo conditum et consecratum tenet, agnoscere praestantiam ac divinitatem. Mathematicis hoc concedatur, ut nihil praeter certas numerorum notas requirant, quippe quae diligentissime id, cuius causa inventae sunt, referunt; sicut in rerum permutatione signato argento utitur vita communis. Non dicam nunc brevitatem illam et simplicitatem insigni constare studio, si quidem simul et perspicua futura est, et explicandae sententiae idonea. Sed longe pleraque et maxima eorum quae mente agitamus non utuntur paucis aut firmis verborum signis: quumque nitantur fere principiis minus evidentibus, et in opinionis inconstantia positis, oratio ipsa quam vaga et fusa atque indefinita sit, apparet. Imitatur profecto mentem nostram oratio: neque imitatur tantum, sed quasi venatur, studioseque indagat. Quid igitur est illud sentire et cogitare? Si cui hoc daretur; quale veteres in fabulae imagine comminiscebantur; ut oculorum acie mentem adspiceret, dii boni! quantam hic opinionum turbam cerneret, et seriem et varietatem, quantum affectuum tumultum et perturbationem huc atque illuc rapientium, qualem horum omnium, in partititione quamvis inaequali, concursationem et permixtionem et confusionem, nihil ut, ne minimum quidem, tangere posses, quin reliqua simul permulta moveres, quibus illud nititur, et quodam quasi assiduo comitatu circumfusum est. Huius tu ubertatis et redundantiae imaginem et moderationem tribus verbis comprehendere sperabis? Neque cogitabis non satis esse explicare quid sentias, sed etiam quo modo, singularumque sententiarum innumeras esse quasi figuras et habitus, ut recte appellant rhetores, sed omnes e diversis animi affectibus diversisque modis cogitandi profectos? Non agnosces vel locupletissimae linguae vix tantas esse opes et tam flexibilem compositionem, ut omnia omnino sensa mentis expleat, omnibusque sentiendi amfractibus accommodetur? Ignoras denique mansuram illam turbam, neque ipsi tibi habilem, neque aliis profuturam, nisi orationis delectu, et ordine, et varietate structurae certam ei formam et speciem induas, occulta elicias, involuta evolvas, obscuris lucem affundas, compescas turbulenta, segnia excites, distinguas confusa, itaque et ex temetipso melior doctiorque evadas, et aliis prosis ac placeas? Sic demum extabit illa tua mens, quae, sublatis iis quae contemnis, aut nulla omnino erit, aut perexigua. Hoc qui negligunt, attenditis fortasse ipsi, quam ridiculi sint in omni vel deliberatione vel disputatione. Quippe audimus nonnumquam, quorum brevia et incondita verba, ut Pythiae illius Delphicae, in versum redigere necesse sit, et in sententiae quamdam speciem; aut qui ita pronuntiant, ut dicas somniasse eos aliquando aliquid, sed non amplius intueri visum, nobisque maximam partem divinandum relinquere. Sint sane multa, quae brevitate verborum absolvantur; adeo ut nutu ipso nonnumquam, et motu et gestu perfecta animi sententia aperiatur. Quid? quod silentio etiam sua et gravis significatio constat. Aiacem apud inferos compellat Ulysses, blandisque verbis offensionem ex armorum iudicio susceptam lenire studet: nihil ille respondet, torvoque vultu inter reliquas mortuorum animas recedit. Dubitamusne tamen, quae sentiat? Utinam nonnullorum tam diserta oratio esset! Sed pingere istud poëta, non tradere existimandus est.

Oratio autem illa, quam diu iam quaerimus, sit profecto mentis quaedam imago, non aliorum tantum causa, sed nostra etiam ipsorum diligentissime elaborata. Videtis enim quo progrediamur, ipsam secuti necessitatem. Pictores solent, ubi aliquam formam aut situm in tabula proponere conantur, non paucis iique meris uti coloribus, sed permultis, quibus permiscendis saepe, et varie temperandis, tum etiam ita collocandis, ut sibi invicem opem ferre videantur, naturae similitudinem imitari student; neque omnia certis definitisque lineamentis absolvere, sed exeuntibus quasi et evanescentibus coloribus formas relinquere magis, quam describere. Non dispar artificium eius est, qui mentis illam imaginem verbis reddere vult. Sed in hoc uno distat; quod illi imitantur ea, quorum exempla certe demonstrat plene et perspicue natura, is contra qui dicit, hac ipsa demum exercitatione eruit illud et intuetur, quod imitandum sumsit, obscuratum ante, et latens in tenebris, ignavum, otiosum, neglectum. Ecce iam, quum imprudenti mihi artificii mentio exciderit, non pugnabo vobiscum de verbo, et in voluptatis migrasse nos fines confitebor: sed cuius, per deum, voluptatis? Nonne eius, sine qua praestantem humanitatis laudem attingi non posse censendum est? Quid postulat aliud Delphicum illud praeceptum? Quodsi enim nosse se quisquam sine tacita commentatione et consideratione ingenii nemo potest, multo hanc etiam superabit oratio, in gravissimis quibusque rebus studiosissime excolenda. Non reconditum, non quaesitum est, quod dico. Quid est enim illud, docendo discimus, quod et ore usurpamus quotidie, et re experimur; quid est, inquam, aliud, nisi ut tum melius planiusque scire nobis videamur, quum scientiam verbis enunciare necesse est? Multa sane sunt, quorum disciplina locupletamur et emendamur, quae videmus, quae audimus, quibus perpetuo fere cingimur et obsidemur, denique magistri, qui hoc ipsum profitentur: sed parum ista proficere necesse est, nisi domesticus ille accedat doctor, qui vel insita foveat et eliciat, vel instauret exerceatque aliunde accepta, id est, oratio. Apud Platonem interrogat pusionem quemdam Socrates de rebus, quas numquam ille didicerat; qui tamen gradatim ita respondet ad faciles quaestiones et aptas, ut ea ipsa, quae ignorare videbatur, planissime dicat: quo utitur argumento vir incomparabilis, quae discamus meminisse nos e superiori quadam vita. Quanto fecisset melius, si orationi hoc tribuisset, ut ostensis verborum nominumque tamquam signis agnoscat ipsa se mens humana, et e sopore expergiscatur, et quasi vivere incipiat, quum ad ea se applicuerit, quorum facultatem nobis minime otiosam aut lusoriam tribuit natura!

Si nullum omnino modum servari nullosque fines quaeri oportere huius artificii dixero, A. A., concurrent undique ad arguendam sententiae audaciam, et odiosum rhetorum genus obiicient; quorum artem qui sequatur, furere hunc et insanire, non dicere contendent; sobrietatem enim et parsimoniam et sanitatem laudari, non eam orationem quae tum rerum inanis sit, tum impudenter exsultet. Sed calumniari hoc est; nisi forte, posteaquam philosophi extiterunt qui virtutum officiorumque partitiones invenirent, subtiliterque singula genera, nominibus etiam impositis, persequerentur, ab ipso officio aut virtutis studio abstinendum est. Sordeant sane ista ornamenta, et cincinni, et calamistris inusta oratio, ubi ex illorum magistrorum aemulatione profecta est. Sed nihilo ista minus naturam ipsam attingunt, quam quae in summa severitate dicuntur. Non commemorabo eorum sermonem, quos nulla tangit artificii suspicio, rusticorum et opificum, plenum illum similitudinum, translationum, figurarum omnis generis, maxime ubi acrius commoventur animi. Vestrum ipsorum testor sensum, numquid in Sophoclis sublimitate, aut in Demosthenis amplitudine offendatis? Nullone ipsi vos agitari sensistis impetu, ut aliorum infantiam ac tenuitatem superaretis, ut conderetis aliquod opus, cuius in praeterita etiam et obsoleta utilitate considerandi honestissima voluptas relinqueretur? Aut, si qui humi strati tantum adspicere non poterunt, aliorum conatus suo torpore retardabunt? Tantum concedite, nihil in hoc genere aspernandum esse, quod quidem vel modum non excedat, vel proprium cuiusque sit, neque fictum et aliunde assumtum. Hoc est illud decorum, quod numquam ita appellavissent homines, nisi multa animadvertissent, quae minus decerent, contraque aut ieiuna et mutila et obscura et abiecta, aut odiosa, deformia, tetra et foeda essent. Non minus in dictis et in omni literarum artiumque genere, quam in factis et consiliis ea suprema norma est: neque huic officio satisfacit, qui ab omni conatu abstinet, quaeque a natura attulerit bona contabescere inertia patiatur; sed is laudatur, qui et subire periculum audet, et in summo quamvis studio nulla tamen in re offendit, non satietatem, non fastidium movet, contra clamores et illustres illas significationes excitat, eaque condit, quae in summa etiam orationis communione similis eventus desperationem afferant cunctis.

Descripsi illam vel laudem, vel exercitationem, vel virtutem et excellentiam, ut mihi videtur, cuius disciplinam dixi a veteribus esse petendam. Quo loco operam dandam esse intelligo, ne ambitiosius quam verius causam defendere videar. Socrates apud Platonem narrat Menexeno, se quum audiret publicam laudationem eorum qui in bello pro patria ceciderant, splendidaque oratione Athenarum praedicari fortunam, mirabiliter abreptum fuisse patriae admiratione, in peregrinos etiam qui adfuissent superbum fuisse, verbo, prorsus de solito more tamquam praestigiis captum deflexisse, vix ut quarto die post resiperet. Talem artem neque ego profiteor, nec, si teneam, uti velim. Sed placandi mihi primum sunt, si qui contemni a me recentiorum literas putant. Superstitionis hoc est, non sani iudicii et recti, unice remotis delectari, nostris et propioribus non commoveri omnino. Verumtamen ut sint haud pauci, qui veterum virtutes feliciter aemulentur; qui cursus ab illis inde temporibus habuit initium, quibus in lucem revocati et propositi veteres sunt; potiorem tamen vetustae aetatis auctoritatem esse contendo, ei quidem qui non in turba latere, sed emergere nomenque ad posteritatem tradere cupiat. Invidiosa profecto est illa veterum cum recentioribus contentio. Neque talem a me exspectate disputationem, quae et apud eos, qui utrosque norunt, otiosa futura, et apud eos, qui alterutros, parum fidei habitura sit: qui autem neutros tenent, quid his faciemus, nisi rogemus ut paullisper hinc facessant? Sed illud constat, unam quamdam et certam laudis illius formam esse, aeternis fundatam prudentiae, ingenii, decori venustatisque principiis. Hanc si oculis adspicere liceret, unus foret omnium ad eam cursus, eademque omnibus spes esset extrema consequendi. Sed, ut reliquarum artium, in quibus humanitatis praestantia expromitur, quae sensibus subiiciuntur exempla, ut de Homeri carmine dixit Horatius, *planius ac melius Chrysippo et Crantore dicunt*; par est conditio eius excellentiae, quae in orationis perfecta specie versatur. Exigua solet esse vel acutissimarum disputationum vis, maxima contra auctoritas eorum quibuscum vivimus. Quorsum haec? nempe ut intelligatis quibus de causis et veteres multo sint recentiorum exemplis anteponendi; et sine illorum assidua commentatione egregium quid sperari non posse. Nullum fere est literarum genus, quin domesticas afferat notas eorum temporum, in quibus explicatur. Contendite nunc mihi, quaeso, recentiorum conditionem cum veterum illorum, qui florentibus Athenis fuerunt, et cum perpaucis de Romanis; neque enim adeo demens sum, ut quidquid quoquo tempore Graece Latineve scriptum sit, eodem nomine commendandum existimem. Nos, quum vix e medii aevi stupore et inficetiis emersissemus, obrui coepti sumus literarum quadam immoderata illuvie: eaque intemperantia ac prope turba incredibile dictu est quantum offecerit paucissimorum virtuti. Nihil poterat aliud exspectari ab illa vitae tum publicae, tum privatae conditione. Utraque quam confusa et implicata, quam prope dicam abiecta et perversa postea fuerit, videtis ipsi, quam immenso intervallo a naturae simplicitate deflexerimus, quantum de singulorum dignitate imminutum sit, quanta labes adhaeserit ex immoderato luxuriae et utilitatis studio. Ne forma quidem rerum publicarum excluditur ex illa consideratione, et civium certis locis ordinibusque descripta conditio: siquidem in prudentissima etiam, quam hodie probare solemus, temperatione civitatis, servantur multa *veteris vestigia ruris;* in quae ingrediendum est omnibus, sive agimus quid, sive cogitamus, sive dicimus, insigni cum iactura eius quod vere simplex et elegans, et rectum habendum est. Quorum omnium tanta vis est, et tam late contagio patet, ut propter exemplorum multitudinem ne recte quidem fieri, quae secus fiunt, existimentur, facinusque audax suscipere videatur, qui his consuetudinis inveteratae claustris et imperio expedire sese, orationisque genus ac formam consectari intelligitur puram, integram, liberam in primis et hominis praestantia dignam. Quod in praecipua literarum commendatione apud veteres ponebatur, ut extaret urbanitas quaedam, huius laudis locum hodiernis temporibus invasit illud dicendi genus, quod a fonte unde manavit haud inepte aulicum appelles, nostri homines, nominis abusu, civile vocant. Noliti arbitrari, A. A., ullam turpiorem pestem bonarum literarum studio importatam esse. Pariter enim animum atque orationem corrumpit, et ita ad obsequium flectit, abiicitque propemodum ad servitutem, ut nervos ipsos honestatis incidere, nativumque cogitandi dicendique leporem opprimere videatur. Quid disciplinas dicam earum rerum, quae gravissimae habentur? In quibus facile erat ostendere sic omnia ad utilitatem et ad scientiae superbiam referri, eaque infinita cupiditate sic exhauriri vires ingenii, non ut iusta supellectili instrui videantur plerique, sed ut gemant sub pondere rerum, penitusque exarescat urbanitatis flos. Philosophia, ut huius utar exemplo, quin acute subtiliterque colatur a multis, quis dubitat? Sed, dii boni, quae deliria propagat! Quam horrido conclusionum comitatu stipata incedit! Quam devium et molestum et spinosum orationis genus consectatur! Hoc tamen philosophandi furore, et quodam vanitatis tactu colorari longe plurimos, quamvis reluctantes, videmus, quorum audiendorum aut etiam legendorum exantlare aerumnam possimus, et excerpere utilitatem; liberalem oblectationem, quae perfundat animum atque intima caritate devinciat, frustra quaeremus.

Quid contra veteres? Graecorum quidem literae quum ab ipsis ortum et incrementa habuere, tum egregie cum ea societatis conditione conspirant. Non loquor nunc de Homero, cuius divinitatem ut multi proverbii loco in ore habent, ita sentire nemo poterit, nisi qui exuat plane huius aevi consuetudinem, et quasi reveterascat. Sed illa cogitate tempora quibus Sophocles et Thucydides et Plato et Demosthenes fuere. Societatis forma ea erat, qualem decebat esse eorum, qui superata barbarie et excussa tyrannide naturae vigorem ac simplicitatem retinuissent, et, in egregia prudentiae maturitate, nondum in confusum quoddam et perplexum genus ordinandae rei publicae degenerassent. Leges, instituta, mos maiorum, nihil non integrum et incorruptum erat. Iuris summa aequalitas, auctoritas penes omnes, potestas iis concessa, quos ipsi cives delegissent. Splendor omnis in publicis et aedificiis, et caerimoniis consumebatur, privatorum vita in primis civilis, victus vultusque moderatus. In artibus disciplinisque, quae quidem publice probarentur, reconditi nihil; aliunde si quid eius generis esset allatum, velut in aliud solum translatum amittebat fastum et inanem iactantiam, Atticam contra sanitatem et sanguinem adsciscebat. Literarum denique non paucis beatisque patebat aditus, sed nusquam prope praeterquam in luce et in foro, aut in conventibus circulisque celebrabantur. Quum igitur isti non poësin solum excoluissent, sed tamquam adulta aetate solutam quoque orationem, virilem magis et libero homine digniorem ita perfecissent, nihil ut supra cogitari posse videretur, summa tamen constabat orationis cultae et perpolitae cum naturae veritate consensio, nihil admittebatur odiosum, aut putidum, aut quaesitum, aut portentosum. Quid autem nos? Sicut in cultu et vestitu solemus esse attenti, primum ne incomti e cubiculo foras egrediamur, tum ut illum ipsum apparatum non quidem ad naturae usum dignitatisque rationem componamus, sed ad hodiernae consuetudinis longe inficetissimae obsequium regamus; ita ubi ad dicendum scribendumque accedimus, spreta veritate, comtum quoddam, ac civile, et doctum videlicet in oratione consectamur, in quo saepe quales ipsi simus non apparet.

Non ipsa literarum monumenta utriusque aevi contendi inter se, A. A., sed ne in sola fortunae temeritate ac naturae quadam libidine posita videretur illa veterum excellentia, efficere studui. Nihilne igitur tot hominum ingenia qui post extiterunt, nihil paucorum etiam egregia contentio perfecit et absolvit, imperfectum ante, nec elaboratum? Respondebo tum, si mihi aut qui Polycleti signa, aut, ut recentius memorem exemplum, qui Rubensii tabulas potuerit arte aequare indicaveritis. Valeat illa progressio in multarum rerum cognitione et scientia: minus attingit ingenii vim et felicitatem, cuius perfectissima opera, quantumvis aetate remota, intueri oportet eum qui vero ducitur laudis amore. Non desperabit ille, si omnem industriam intra imitandi spem continuerit: superare qui conatur et impune exsultare posse sperat, is demum turpissime labitur vanitatisque poenas dat perridiculas.

Praemunienda haec erant, A. A., atque anticipanda priusquam explicarem hoc quod initio posui, illius vel artis vel virtutis facultatem praecipuum esse, quod in veterum literarum disciplina spectari oporteat. Meane culpa est, si permulti iique minime contemnendi huius sententiae adversarii exoriuntur, an ipsorum perversitas et inconsideratum studium? Nulla quidem inter nos contentio est utrum abiicienda sit ea disciplina ad inanem iactantiam et speratorum vanitatem, an exornanda ad decus, et ad eum humanitatis fructum, quo uno nomine possit vere gloriari. Sed illustriora quaedam et graviora sibi isti reperisse videntur, quae prae ceteris consectari deceat. Quum enim necessarium horum studiorum officium cum vero fine ac proposito confundi a multis viderent, circumspicere coeperunt homines acuti et industrii, quo a vulgi invidia studia sua defenderent. Hinc igitur magnifica illa, et tragica propemodum, civilem prudentiam esse extremum illud, e veterum illarum civitatum vicissitudinibus percipiendam; aut totum etiam antiquitatis nomen et perfectam imaginem, quam velut in vitam revocandam esse; aut philosophiam et ingenii humani de gravissimis rebus placita ac somnia; aut naturae vim, ac divini numinis opinionem e fabulis et sacrorum institutis caerimoniisque eruendam. Macti virtute, qui tam praeclara spectatis! Itaque superbiunt isti, et vultu supercilioque freti interclusas illudendi conviciandique vias putant: nobis etiam istis veluti larvis induti terrorem incutere student et de gradu deiicere. Quasi dubium esse posset, quin aut magni illa facienda sint, aut egregia plane conferant veteres quibus ea illustrentur. Sed eodem modo tamen errare videntur, quo nostris diebus libelli inscripti sunt *de Platone medico*, et *de Ovidio iurisconsulto*. Quid enim perspicuum magis est quam aliarum artium sic effici ministram hanc literarum disciplinam, non ipsius constitui finem? Concedamus igitur historico aut geographo aut antiquario aut philosopho nostrae disciplinae usuram, ut nulla potest sine ullis literis constare scientia: sed ne invadant proprium huius disciplinae nomen et propositum. Duo sunt prae ceteris, quibus verum cuiusque disciplinae finem iudicare solemus. Primum eiusmodi sit necesse est, ut ipsa se contenta esse possit, neque aut aliunde sperandi fiduciam arcessat, aut in alienae artis comitatu ac ministerio delitescat. Videtis autem, spero, in quem angustum locum universae vel historiae, vel philosophiae isti veterum literarum propositum includant. Alterum sine quo recte constitui finis non potest hoc est, ut ex universa disciplina exoriatur, neque alius aliam partem vel contemnat, vel exosculetur. At quid isti? Involabit historicus in Catalogum Navium; sed quid, quaeso, faciet aut dolore Andromachae, aut Nausicaae pudore? Pragmaticus ille Thucydidem tenebit et Demosthenem: Pindarus ubi, et Euripides? Suum appellabit philosophus, parens ille, ut sibi videtur, omnis eruditionis, Platonem, cumque eo fortasse coniunget Appuleium: sed quum illius suavitatem et lumina imaginum omittet, in paucas contractis pagellas quibusdam placitis, tum Herodotum et Sophoclem negliget. Una profecto est orationis virtus et ingenii praestantia aequabiliter per omnia illa veterum monumenta fusa; qua detracta, ista etiam quae graviora multis videntur vix poterunt vim gravitatemque retinere, contra nuda, exilia, ieiuna, arida sint necesse est. Adducamus aliquando, qui isto animo est, ad lautas et instructissimas epulas. Non dubito quin statim convertat se manumque iniiciat aprino capiti, aut acipenseri, ac perscrutetur utriusque ossa ac nervos, praedicans naturae varietatem et fabricam artificiosam, aut etiam orae vel maris indolem unde advecta illa erant. Sed aequi et elegantis convivae esse dicetis haec aliis curanda relinquere, neque in tanto coqui artificio, aut in hoc convivii apparatu et suavitate, in ipsa etiam confabulandi dulcedine et hilaritate magnopere anquirenda esse. Quid, ubi tabula picta consideranda proponitur? Vestimentorum genus et materiam intuebitur, aut supellectilem et stragula, aut situs ornamenta; negliget lucis et umbrae temperationem, non attendet quo modo naturae affectum et praestantem indolem referre aut gignere artifex potuerit, ad postremum discedet tamquam a picto tabernae cuiusdam insigni, non voluptatem, non salutarem illum e praestantis operis consideratione dolorem domum reportabit. Scilicet paratiora quaedam, et solida, quaeque tamquam manibus contrectari possint, nec facile cuiusquam, ne indoctissimi quidem, curam effugiant, haec igitur venantur, his pascuntur; reliqua, quippe eruditioris observationis, otiosa iis videntur, et nugae, et tenuiora quam quibus magnum videlicet animum moveri oporteat. Quae sententia; nam hoc tertium est quo finis constituendi ratio regenda est; ea igitur sententia ubi latius serpet audacioresque patronos nacta erit, interitum afferet aliquando, non enim reticebo, A. A., gravissimo huic studio veterum literarum. Quid antiquitus, labente vera eruditione et inclinato studio illarum laudum, factum sit, videtis. Neque enim desidiae cuiusdam aut ignorantiae facinus fuit, sed eiusdem erroris et arrogantiae, ut altero iam post Christum seculo excerpi et in angusta rdoctinarum compendia includi coeperint nobilissima quaeque de veterum scriptis; nihil quippe dignum existimabatur hominum cognitione, nihil operae pretium esse, quam quid traderetur scire, quo illud diceretur modo perparum interesse. Ne hodie quidem deesse suspicor quos Herodoti nativa simplicitas haud ita magis quam Ioannis Tzetzae delectet stupor, quique Pontificum Annales Ciceronis Laelio redimere cupiant. Improba sane cupiditas! Ergone hic literarum flos, et ingeniorum proventus, quibus merito gloriatur recentior aetas, veterum quorumdam magistratuum descriptioni, aut vectigalium investigationi, aut sacrorum explicationi debentur? *Quo usque tandem Catilina*, et *Arma virumque cano*, haec, inquam, erant quae excitarent e sopore, haec quae ad intermortuam prope humanitatis laudem studiumque revocarent.

Hoc animo vos oportet, ornatissimi adolescentes, Graecae Romanaeque venustatis intueri monumenta, nullamque defugere industriam aut contentionem similis laudis consequendae. Metuitis fortasse, ne quis in hoc studium perficiendae orationis intentus graviora illa, quorum tamen cognitio et laudabilis et fructuosa est, omittat. Vanum timorem! Disciplinarum studia, in tanta singularum amplitudine et in his humanae industriae finibus, fieri potest ut alia aliorum societatem excludant, perpauci ut reperiantur qui plures una complectantur: non utitur his angustiis exercitatio bene, apte, compositeque dicendi, potiusque cuiusvis scientiae extrema perpolitio est. Haec profecto studia sunt quae latissimum ingenio cursum aperiant, haec quae ipsum hominem tamquam magis humanum reddant. Quae si nullam aspernantur aetatem pariterque comitari et complere possunt omnem, vobis omnium maxime conveniunt. Minus vestram aetatem, opinor, infecit pravae consuetudinis auctoritas, minus invasit insatiabilis quaedam et avara doctrinae cupiditas, ut hominum sermones admirationesque fugiatis, et consectemini cognoscendi voluptatem umbraticam, putidam, balbutientem denique aut prope mutam. Iacet, mihi credite, et sordet immensa quamvis doctrina hoc studio neglecto, stat contra splendidissimeque nitet ubi oratione culta, copiosa et ornata propagatur, quae vel ignavissimum sua potest vi ad industriam excitare. Haec sunt porro verissima praesidia et copiae quibus defenditur res publica, quae parum opis in bonorum consilio aut nutu habitura est, nisi summo orationis delectu, exquisitissimis verborum sententiarumque luminibus, omni ingenii contentione et artificio oppugnatur malevolentia ac debellatur improbitas. Vos tandem, quorum animus non satiatur hoc praesentis fructu utilitatis, quique praestantis facultatis igniculos mature deprehensos excitare in vobismetipsis audetis, qui mente concepistis perfectissimam artis imaginem, tenete hunc cursum laudis, intuemini illa naturae et ingenii simulacra in veterum monumentis extantia; mortales ipsi, ea relinquite, quae immortalitati debeantur; firmate eam stirpem virtutis, ex qua laetissimi gloriae fructus gignantur. Hoc ubi tenebitis, habebit aliquando vos res publica non artium opifices, sed disertos patrii nominis vindices; habebunt literae illustria exempla gratiae et venustatis; habebit haec Academia, in cuius stadiis ad omnem humanitatem erudimini, vos pignora famae, testimonia disciplinae, et adversus invalescentem barbariei insolentiam firmissima propugnacula.

Laudabili sane instituto, A. A. H. H., ab eo qui annua hac potestate abiturus est postulatur, ut Academiae conditionem describat novissimamque historiam pro rei dignitate commemoret. Magna profecto est Academicae disciplinae vis in gravissimas rei publicae partes, multumque ea, si recte servatur, ad privatorum felicitatem, patriaeque decus valet. Verum ea bona aut non sentiuntur a multis, aut sunt etiam qui volentes scientesque non agnoscant: quos non dedocendos suscipit haec publica rerum Academicarum commemoratio, sed et vobis tribuitur hoc quodcumque est officii, et omnibus qui suam, non alienam, causam agi existimant in bonarum artium studiis, et auctoritate, et praesidiis. Non tamen ambitiose mihi dicendum puto, ut ille apud Athenienses publicus laudator, sed ita ut quum modestiae, tum brevitati consulam.

Nam ut a rebus inanimatis initium ducam, et ab hoc ipso, in quo considetis, *loco*, nulla praeter modestissimam orationem argumento conveniet. Amplissimi quippe Academiae Curatores, quum novi splendidiorisque aedificii condendi spe ac facultate decidissent, nihil amplius a Summo Imperante impetrare potuerunt praeter veteris aedificii refectionem et amplificationem. Quod opus aestate superiori susceptum, haud ita longe jam a perfectione abest. Quale sit, videtis ipsi. Non splendori et ornamentis, sed propemodum commoditati ac necessitati prospectum est. *Bene est, nihil amplius oro*, ut ait ille: et grati sumus, et illustrium Quinquevirorum studium curamque laudamus. Scilicet servavimus hoc e pristina democratica veteris rei publicae disciplina, facile ut feramus talem parsimoniam et modestiam: et perhonorifice senserunt de Academia nostra Curatores, firmioribus niti radicibus famam nostram, quam laxis sumtuosisque aedibus, et laqueatis tectis, et co-

columnarum ordinibus, et propylaeorum fastu. Suum quippe locum ac dignitatem tuetur bona mens in corpore quamvis deformi, frustraque virtutis eruditionisque defectum occultat vel pulcherrima corporis membrorumque species. Maneat igitur nobis haec bonorum inaequalitas; et si claudicare necesse est, nostro more non tolerabile tantum, sed invidendum etiam incommodum reddamus: *propria haec nobis munera faxit deus!*

Propius multo studia doctrinae attingunt ea praesidia, quae non indoctis tantum spectaculo et oblectationi, sed vobis, A. A., utilissima instrumenta sunt, et tanquam invitamenta inexhausti studii in gravissimis disciplinis collocandi. In his principem locum tenet *Bibliotheca Publica*, nisi amplitudine et praestantia, certe utilitate quam pariter praestat omnibus. Egregia praestita opera est ut copiae cum latentes explicarentur, tum confusae disponerentur. Quantum ex annuorum subsidiorum mediocritate accesserit, nil attinet memorare. Verum si de vulgaribus et parabilibus copiis palmam concedit nostra exterorum Bibliothecis, haud infimum tenet locum in thesauris, quorum pretium statuitur paucitate eorum qui tenent. Quam partem ita non neglexit Rex noster, ut splendidissima potius liberalitate beaverit. In principibus Arabum historicis numeratur *Ibn Khaldoun*, qui Sec. XIV exeunte, et sequentis initio floruit. Magni operis, quod condiderat, hucusque pars prior tantum innotuerat, cuius exempla feruntur MSS. tum hic, tum in aliis Europae bibliothecis. Erat tamen hoc fragmentum eiusmodi, ut qui harum literarum studio delectantur facile agnoscerent viri eruditionem et prudentiam plane excellentem, neque cum reliquorum Arabum ingenio confundendam. Hamakerus V. Cl., ut primum integri operis consequendi spes facta est, gnaviter ut ea expleretur operam dedit. Nam quum per Humbertum, qui publica legatione in Africae oras Septentrionales profectus erat conquirendis vetustae aetatis monimentis, rescivisset in paucis exemplis Khaldouniani operis unum integerrimum ac splendidissimum esse penes eum ministrum Regni Tunetani, quem istic Mamlouk Bashki appellant, huius coëmendi mandatum accepit Humbertus, qui in hoc negotio insignem explicuit tum prudentiam, tum constantiam. Paucis his mensibus perlata ad nos sunt illa 5 volumina, habitu prorsus regio. De argumento nolite a me quidquam exspectare; sed debebitis hoc etiam Hamakero, cuius exspectationem vel prima tractatio egregii operis haud parum superavit. Non deërunt nobis, certo scio, tali doctore, qui exquisitas in hoc genere Bibliothecae copias ad communem literarum utilitatem, et ad patriae decus conferant.

Verum ut domestica bona non reticere honestum, sic turpe in primis est alienam negligere liberalitatem. In Warneriano Legato erat Interpretatio Turcica Bibliorum Manuscripta. Hanc iam pridem commodaverat Academia Societati Biblicae Magnae Britanniae, quae edendae eius provinciam primum Dietzio Berolinensi, mox eo mortuo Kieffero commiserat, Professori literarum Turcicarum, eiusque linguae Interpreti apud Regem Christianissimum. Ad finem perductum est opus sanequam difficile, non sine egregia Kiefferi laude: editionisque typis descriptae splendidissima nobis exempla, una cum Codice, remisit Nobilissimus Teignmouthius, Societatis Biblicae praeses.

Alia sunt, quae praeter ordinariam amplificandi opportunitatem, nihil tulerunt. Veluti *Nosocomium Academicum* quam fluxis et inconstantibus, et caducis copiis constet, nostis, quae nonnisi ex alienis morbis vitiisque colliguntur. Non reticenda tamen eruditorum querela, de annuis subsidiis ante biennium imminutis. Nulla quaeritur luxuria, sed iustus aegrorum numerus, et exemplorum copia, unde quaevis praecepta illustrari ipsique adolescentes informari possint, ad diligentem illam naturae observationem, quae magna pars est eius disciplinae. Prisca igitur liberalitas ut redeat, vehementer optandum est.

De *Theatro Anatomico* nihil dicam nisi hoc, indefessam esse Sandifortii nostri V. Cl., industriam. Quod quale sit, norunt periti. Igitur tuetur hic thesaurus locum suum in principibus per omnem Europam.

In praecipuis Academiae nostrae ornamentis *Hortus Botanicus* est, nobile Brugmansiani ingenii monumentum. Huius quum tanta sit elegantia et mundities, ut ignaros etiam advertat, cunctos naturae admiratione percellat; tantae praeterea opes, ut vel remotissimos terrarum orbis angulos sibi tributarios habere videatur, insigniter eae hoc anno cumulatae sunt accessione plantarum rarissimarum, maxime palmarum ex utrisque Indiis allatarum.

Physicorum etiam *instrumentorum* theatrum crevit haud spernenda accessione: eademque liberalitas si continuatur, habebit aliquando haec disciplina, quo cum ad utilitatem, tum ad rei gravitatem, utatur. Pariterque consultum est *Oeconomiae Rurali:* cuius causa quum magnus numerus instrumentorum et exemplorum collectus esset, in quavis agriculturae parte notabilium, satis ampla accessione ista hoc anno locupletata sunt.

Museum illud *Historiae Naturalis* opibus studiisque destinatum, quis ignorat? Non continetur eius fama patriae nostrae finibus, sed exterorum etiam iis qui lautissime talia procurant admirationem et invidiam parit. Est haec laetissima Academicarum opum propago, nunc Temminckii, viri in paucis celeberrimi, ingenio et industriae commissa: quo factum, ut hoc etiam anno plurimum aucta et dotata sit. Neque enim deposito naturalis parentis nomine, tamen reipublicae, tamquam adoptivae parentis nomen et familiam splendide sustinet et commendat ditissimus thesaurus.

Aliud est Museum tabularum Chalcographica arte descriptarum, magnam partem ex legato Royeriano, cui praeest Humbertus Supervillianus, Vir eruditissimus. Huc accesserunt multa, quibus completur historia illius artis; neque enim ad inanem ostentationem, aut ad indoctorum lusum totum hoc comparatur, sed ad severam indagationem, a quibus initiis insignis artificum dexteritas tam longe progressa sit.

Museum Antiquarium ingentes nactum est accessiones: quatuor simulacra lapidea Indica: tum artis Etruscae, urnas lapideas fictilesque Georgiorum Volaterranorum: ut iam numerus omnium, quae hic servantur, ad sexaginta excurrat. Splendidissima autem incrementa habuit Classis Aegyptia, primum ex reliqua parte monumentorum Lescluzii Brugensis; postremum in nostro Museo repositum est Museum Anastasii, Consulis mercatorii Sueciae Regis in urbe Alexandriae Aegypti, dignitate proximum à Museo Drovettiano, penes regem Sardiniae, sed praestantius Museo Saltiano, penes Galliae regem. Continentur autem hoc thesauro ultra 5500 monumenta cujusvis magnitudinis, e quibus, exempli causa, haec memoranda sunt partim è granite, partim è basanite, partim è lapide calcaneo: sacellum monolithon, ara magna, sarcophagi quatuor magni; columnae quadratae quatuor; integrum sepulcrum tribus parietibus; stelae 80; tum magnus numerus vasorum ex alabastride; statuae colosseae duae, plures humanae magnitudinis; papyri scriptae ultra centum, graecae, copticae, rituales funebres, scripturae demoticae, aliae insignis momenti: mummiae 25, quorum numerus sic ad 30 crevit; postremum ingens suppellectilis copia. Neque reticendum est, in hac ipsa urbe coëmta fuisse ectypa gypsea viginti anaglypharum columnae Traianae quae Romae est: et ex dono Warringtoni Consulis Mercatorii Britannici apud Tripolitanos, series urnarum vitrearum et plumbearum. Satis, opinor, ex hac vel brevissima commemoratione intelligi poterit, in multis partibus ita crevisse Museum nostrum, ut cum locupletissimis per Europam conferri mereatur. Sed apparebit hoc magis, amplioresque harum divitiarum fructus extabunt, si iustum et vastum aedificium his opibus explicandis conditum erit: idque cum ipsius rei, tum Reuvensii nostri causa vehementer optamus.

Absolvi de studiorum praesidiis, quibus publica liberalitas, et doctissimorum virorum industria hanc Academiam ornarunt. Sed nullius essent ista momenti, nisi essent tum qui curarent cuncta ac prudentissime administrarent, tum qui uterentur vel docendo, vel discendo. Et Curatores quidem, Viros Amplissimos partim salvos hic adesse, partim non valetudinis gravi quodam casu, sed aliis rebus distentos abesse, in primis gaudemus. Pergite, Viri Gravissimi, sic ut facitis, Academiae commodis consulere. Pergite nos vestra cura et benevolentia complecti. E multis, quae sustinetis, reip. muneribus nullum esse arbitror quod lubentius geratis, nullum in quo minus molestiarum exhauriendum sit: quodque praecipuum est dignitatis vestrae ornamentum, sitis nobis perpetuo malorum averrunci, haud minori nobis religione colendi, quam datores bonorum. Incolumes porro vos habeat Academia, habeat patria, plurimis illa nominibus vobis obstricta!

Et vos laetus intueor, Viri Clarissimi, collegae coniunctissimi. Exegimus hunc annum sine clade nostra. Maiores etiam natu salvos ac prope vigentes vel hic cernimus, vel novimus certe non nisi aeris intemperie deterritos hinc abesse; neque abutentes otio ad desidiam, sed conferentes totum ad studiorum commodum et Academiae famam. Puteanum et Palmium, quorum nuper affecta paulo valitudo fuit, convalescere novimus, et brevi ad muneris officia redituros vehementer optamus. Voorstium ante hos paucos menses audivimus quinquagenarii muneris sacri et professorii memoriam celebrantem oratione ex hoc ipso loco dicta, qua divinae providentiae beneficia in se collata praedicaret. Quanta consensione tum confluxerint propinqui, fa-

familiares, amici, discipuli, omnes denique qui istam dicendi opportunitatem sibi quoque et Academiae laetandi materiam existimarent, nostis. Non excurram in tuas, VOORSTI, laudes: sed meo ore horum omnium, qui adsunt, votum pronuntiabo: faxit Deus ut et tu aetatis bene, et prudenter, et ad multorum utilitatem actae conscientia diu fruaris, et nobis vegetae senectutis tuae suavitas et usura impertiatur quam diutissime!

Non mansit tua domus illaesa, CLARISSI, sed gravissimo casu afflicta est. Quidni enim nostram putemus, quam tu fecisti in filio dilectissimo, Academia Groningana in doctore celeberrimo, iacturam? Foverat Theodorum tuum Leida; excellens doctrinae studium, acre ingenium, incredibilem industriam probarant — quid dico probarant? — stupentes admirati erant magistri; gloriata erat haec alma ingeniorum fautrix et parens praeclaro ad patriae laudem partu, invidere paene coeperat Groninganis tam laetae segetis messem! . . . . Nosti cetera: quid enim tuum vulnus exulcerare necesse est? Tantum intelligas, si quod ad luctum minuendum pertineat, nondum eluxisse calamitatem, sed gravi desiderio nunc etiam moveri bonos omnes, qui optimam causam tam firmo praesidio orbatam esse ferunt molestissime.

De BENNETO me dicere minus Academiae causa, quam praeclara viri virtus iubet, et vero quae nobis cum eo intercessit necessitudo. Qui, quum Medicinae disciplinam primum Harderovici, tum hic secutus esset, non sibi in practicorum iactatione et occupationibus diu haerendum putavit, sed incredibili incensus studiorum ardore mox totum se ad naturae investigationem tradidit. Attulerat à natura ingenium excellens, iudicium subtile, sensum etiam quemdam peculiarem, quo acerrime animadverteret quid interesset inter pulcrum ac turpe: fortuna utebatur propitia, nullam ut discendi opportunitatem, vel propter rei familiaris dispendium, vel propter temporis iacturam, vel propter locorum intervalla, recusaret. Quo factum, ut, quamvis unam scientiae voluptatem sequebatur, neque celebritatem aucupabatur, nihilo magis lateret, sed mature iam ad professoriam cathedram expeteretur. Hoc quidem tum detrectavit; sed quum ex nova Academiarum lege, peculiaris disciplina postularetur Oeconomiae Ruralis, nemo visus est cui in hac Academia maiori iure haec provincia decerneretur, praeter BENNETUM. Designatus a. 1815, acceptaque conditione, naturali quadam vel animi modestia, vel, ut ipse etiam memorare solebat, corporis incommodo impeditus, primum ab Oratione Inaugurali, mox etiam à scholarum habendarum negotio deterritus est, donec repudiaret locum, quem quin egregie ornaturus fuisset, nemo dubitaverat. Reliquum tempus aetatis iam gravescentis transegit quidem in continuis studiis earum rerum, quas toto animo complexus erat; sed intestinum quoddam corporis malum, tum indoles ad melancholiam et terrorem proclivis, multum ex illius otii suavitate et fructu detrahebant. Succubuit tandem doloribus ac morbi violentiae vir egregius die 9 mensis Septembris superioris anni, ipsi quidem suo tempore, bonis artibus immaturo sane, quippe quas ingenti eruditionis thesauro multum ornare potuerat. Qui casus tum ea de causa luctuosus fuit, tum plurimis acerbus, qui in optimi viri prudentia, affabilitate, et insigni quadam urbanitate acquiescere solebant.

Sequitur ut de civibus Academicis videamus. Qui locus mihi duplex erit; primus de veteribus, alter de iis qui nunc sunt. Veteres, dicat quis, quid ad nos? Tantum profecto, quantum ad ipsos haec Academia, unde profecti in ipsam tamquam aciem rerum gerendarum, suam quisque Spartam ornarunt, magno cum universae societatis emolumento. Cuius temporis in doctrinarum scholis traducti recordatio quam gravis, quam iucunda videatur maioribus natu, hoc ipso anno intellectum est, in Hagani conventus celebritate, veteribus commilitonibus gratissimam adolescentiae memoriam instauraturis. Nihil dicam de ipsius consensionis honestate, nihil de numero et amplitudine eorum qui interfuerunt, nihil de Rege nostro, cuius tanta pietas fuit, tanta huius Academiae caritas, ut cuius pridem fuisset alumnus, nunc etiam in civium subselliis ordinibusque sedere voluerit. Vidistis ista vos, qui interfuistis, nec sine exquisita quadam animi voluptate vidistis. Sed quo magis nobis vindicaremus ea, PALMIUS effecit, quem ut suum appellat cuncta patria, ita nos vere nostrum ducimus. Quanto fuit tum omnium studio auditus! quum divini Numinis pie graviterque commemoraret beneficium, et Academicae disciplinae vim ac salubritatem, quanta in singulorum vitam ac mores fuisset, diserte ornateque celebraret. Fuit eius oratio quum ad patriae amorem, tum ad studia eruditionis confirmanda efficacissima: erat omnino ille dies non laetus magis iis qui intererant, quam splendidus et honorificus Academiae Lugduno-Batavae, parenti et altrici tot carissimorum capitum; qui multiplici laude patriae famam ac dignitatem ornatissime tuentur.

Ecquos interius huius rei commemoratio attingit, quam vos, Ornatissimi Adolescentes, qui nunc earumdem virtutum eodem in loco imbuimini praeceptis et institutis? Sic enim vos alloqui decet, non tamquam pecoris de numero, qui insigniter crevit hoc anno, gloriari. Turpis ratio, nec nisi pragmaticorum quorumdam et politicorum, si diis placet, minutis ingeniis concedenda! Cum singulis vestrum mihi sermo est, sive deni estis, sive centeni. Sed incendi vos oportet tam illustri caritatis et grati animi exemplo. Vetus est illud à sapienti viro dictum, beatum esse neminem ante mortem: ne laudatus quidem quisquam antequam satis magnam absolvit eius itineris partem, quod tendit ad verum honorem certamque laudem. In quo cursu quam pauci reperti sunt semper, quos numquam vel gradum retulisse, vel in avia deflexisse constaret! Praeclare iam cum his agitur quorum vitae, tamquam serenitati, rarissime vel inertiae, vel erroris nubes offecerit. Ut enim non unius morbi casu perpetua valetudinis gratia tollitur, ita laudabilitas diuturnitate et ex maiori parte iudicanda est; neque qui semel laudatus erit, satis sibi ad laudem prospexisse putandus est. Sed non aetas tantum vestra, cuius proprium hoc est, ut et libentissime laudemini, et hac una ratione maxime ad laudem excitemini, sed indoles etiam vitaeque modus hoc à me postulat, palam ut vobis hanc voluptatem impertiam. Magnum iam est complures extitisse hoc anno, quorum praeclara industria, editis doctrinae speciminibus, iustam bonorum omnium et intelligentium admirationem excitaverit. Sed maius hoc, magisque ad vos pertinet, multas officii, probitatis, moderationis, et beneficientiae partes egregie à vobis expletas esse. Quarum laudum quum ea natura sit, non ut subito et sponte erumpant, neque agnoscantur à plerisque multoque minus efferantur et venditentur, ego vobis publice earum testis sum et praedicator, quem neque latuerunt, et per huius anni vicissitudines et occupationes haud raro dulcissimo sensu compleverunt. Non integra mansit vestra sodalitas, sed afflicta unius alteriusque amissione. In medio studiorum cursu sublati sunt magis, quam diem obierunt, iuvenes hi, VAN RIETSCHOTEN HAGENS, MACQUELYN, REYNEN, VEERMAN, quos vel aetatis flos commendabat, vel morum honestas ornabat, vel propinquorum spes anxie investigabat, quo tandem evasuri essent. Sit iis terra levis! Vos justa iis persolvistis, non sine ea cogitatione, ut omnia humana sint fragilia et caduca, suum tamen vitae bene ac moderate actae constare praemium. In primis mementote Batavos esse vos, eiusque nominis gloriam maiorum vestrorum constitisse industria, probitate, modestia, fortitudine, constantia: quae virtutes nisi ornant ingenii felicitatem, aut quamdam sollertiam, nulla erit Batavorum praecipua commendatio, sed in vulgari delitescent ambitione, non quae laudem, sed quae fructum tantum et emolumentum sequatur. Cogitate huius Academiae disciplinam et instructissima praesidia accepta referri oportere Regi nostro, sine cuius prudentia, et voluntate, et studio aut nulla ista, aut perexigua ac dissipata forent. Nam quod civitatis nostrae pacto constituitur, haec ut Regi commissa essent, nihil vult aliud nisi hoc, ut regio consilio, et regia munificentia sustentarentur, neque in populari aut sedulitate, aut avaritia, aut superstitione denique corrumperentur penitusque interirent.

Et Regia quidem liberalitas efficit, ut vos mihi potissimum celebrandos commendet hodiernus dies, carissimi iuvenes, qui ex industriae eruditionisque certamine praemia reportastis. Magnum dicerem hoc esse, quod perfecistis, nisi dum verbis extollerem vestram virtutem, re vera frangere ac debilitare vererer modestiam et candorem, sine quibus sordet vel extrema doctrinae perfectio. Gloriosum appellarem praemium hoc, quo ornandi estis, nisi multorum contemnere sic viderer egregiam contentionem, sed qui idem vel secuti, vel consecuti minus sunt. Nolite enim dubitare in frequentissima illa corona, quae vestrae laudis concelebrandae causa huc confluxit, cuiusque suffragatio ex ipsa hac assiduitate et studio clarissime intelligitur, complures esse, quibus testes simus excellentis et ingenii et industriae. Probabitur horum virtus, certo scio, aliis locis et temporibus, et vel fugientem consequetur aliquando gloria, neque cuiusquam dimittet pudorem. Quod vos reputare oportet. Non *sat patriae Priamoque datum*, ubi semel enituistis. Fovendus vobis est ille ardor animi, ex quo haec orta contentio est. Alendum porro ingenium multis aliis partibus doctrinae; informandus plane animus ad eam praestantiam humanitatis, quam qui assecuti erunt, poterunt illud Pelei ad Achillem praestare praeceptum, ut sint *oratores verborum, actoresque rerum.* Sed quid in his moror? Quasi non perspectum mihi sit ita sentire vos, et eo quo decet animo splendidum hoc appetere laudum vestrarum theatrum. Jam igitur accedite ad me, ornatissimi iuvenes, ut quisque vestrum suum nomen renuntiari audiet a Viro Cl. qui Senatus Academici acta curat. Te rogo, Cl. Wttewaall, ut singularum Facultatum recites iudicia, de Commentationibus quae ad te hoc anno perlatae sunt.

Nulli tibi superandi fuerunt competitores, ornatissime **LEMOINE**, sed ipsa quaestionis, quae ad explicandum posita erat, difficultas. In qua contentione si repulsam tulisses, vanitas fuisset arguenda, aut certe notanda stultitia. Nunc, ubi victor discedis, quid est quod laudem, nisi philosophiam tuam, id est insitum et verum studium sapientiae, non illud latens in solitudine, sed disserendo et anquirendo patefactum? Sic decet certare bonos ac prudentes, utri alteros vincant candore, veri honestique studio: tuque recte facies, si levitatis, si calumniae et pravae ambitionis certamen aliis relinques te multum deterioribus. Quo magis gratulamur Leodio celeberrimam Academiam, in qua non defuerunt tibi egregii horum studiorum auctores. Redi ad tuos hoc ornatus praemio; pergas exaedificare illud, quod instituisti opus, neque dubites quin tali studiorum et voluntatum consensione maturandus aliquando sit ille fructus, quem communis patriae nomine exspectamus!

Sunt plerisque communia quaedam ad industriam invitamenta, ornatissime **VAN HALL**; sive quis sibi deberi hoc, sive patriae existimet, sive denique vehementem quamdam cognoscendi sequatur cupiditatem. Tu praecipuum hoc habebas, ut parentis tui, viri gravissimi multisque nominibus spectabilis, ut universae domus tuae laudi famaeque responderes, tuasque vires in commune quasi gloriae patrimonium conferres. Sustinuisti arduam tantorum nominum exspectationem: dignum te praestitisti tam illustri agnatione et necessitudine. Hoc est illud vere generosum, quod in familiis et stirpibus praedicari solet, ut honestatis omnisque virtutis et officii excellens quaedam tractatio parentum ac maiorum exemplo propagetur et confirmetur. Tuum porro est consulere, ut praemium hoc non sit tibi desidiae latebra, sed initium et incitamentum ad maiora et illustriora.

Salve WERNINCKI, iuvenis ornatissime, et cum salute mea hoc accipe praemium. Quum ad illam quaestionem explicandam te accingeres, non tu quidem hoc, quidquid est, auri cogitasti, neque huius diei solemnitatem, aut huius loci augustam prope sed severam simplicitatem: sed vero tu eruditionis amore, nativo discendi flagrasti ardore. Quod ut de aliis confido, de te vere affirmare possum, cognito mihi, et in paucis probato. Circumfusum te cernis lectissimis aliarum Academiarum alumnis; cui suum decus suumque locum in hoc laudum theatro committeret Leida, digniorem te haud facile reperisset. Nunc meum accipe vale, id est, persevera in hoc pietatis, modestiae omnisque humanitatis cursu: sic efficies ut imprudentem et nec opinantem aliquando te vera gloria consequatur!

Tali victore secundas obtinere, ornatissime CRAMER, neque laudes tuas dedecorat, neque nostrum in te animum infirmat. Habe industriae tuae testimonium luculentum. Tu ne in his consiste, sed ultra audentior ito.

Non ita effudi verba, ornatissime VAN ALTENA, nulla ut quibus te affarer suppeditarent. Ecquem non disertum redderet laudatissimorum iuvenum adspectus? Aut quae virtus maiorem sui concitat amorem, praeter eam quae iuvenilem ornat aetatem? Aut quo denique animo hanc Academiam recordari putas, quantum Frisiorum ingeniis semper debuerit? Hoc tu praemio ornatus docebis nullum esse tam remotum patriae nostrae angulum, unde non evolare liceat ad doctissimorum virorum celebritatem, et, ut poeta dixit, volitare per ora virûm. Sit nobis haec parta victoria tua obses reliquae voluntatis: huiusque diei honorem ita studeas honestare, ut iaceat prae novis deinceps et maioribus laudibus.

Claudis agmen, ornatissime LEDEBOER, sed iuvenum laudatorum, laudatus ipse. Sint hae primitiae honorum, quos si ex ingenio tuo augurari licet, postea duplicabis.

Extremum hoc mihi fuit, deque ceteris, quae muneris imponeret necessitas, longe illud gratissimum. Tibi MACQUELINE, V. Cl., quem mihi Regia auctoritas successorem dedit, trado huius magistratus honores et insignia. Gratulor tibi muneris amplitudinem: certissime auguror, prudentiam tuam, et vigilantiam, et consilii abundantiam, columen fore Academiae validissimum, cuius nomen ego tibi, quantum per me fieri potuit, illibatum transmitto. Quamobrem suscipe hoc, quidquid est molestiae, alacriter, perfer fortiter, gere moderate, quo animo cognovimus te omnes in plurimis iisque difficillimis, quae gessisti, muneribus. Mihi iam superest ut Academiae Lugduno-Batavae fortunam et conditionem divinae providentiae pie commendem. Huic enim acceptum feremus si in tanta opinionum temeritate et iactantia sanam tuebitur sententiam Rex noster iure dilectissimus: huic item, si bonorum mens non quassabitur nonnullorum vanis dicam, an astutis ratiunculis: huic denique, si ingenia studiaque non opprimentur, laxata disciplina, et revocata barbarie. Averte à nobis, Deus Optime Maxime, hanc calamitatem, et diutissime tuere hanc bonarum artium sedem, Batavae libertatis monumentum, seminarium sapientiae, firmamentum honestatis! DIXI.

INCREMENTA
MUSEI ANTIQUARII,
G. WTTEWAALL, V. Cl. Rectore,
anno 1827—1828.

Tantis museum antiquarium divitiis hoc anno locupletatum est, ut temporarium tabernaculum operis lignei ampl. Academiae curatores libenter exstruendum curaverint; in quo nunc demum, ordine aliquo dispositis monumentis reliquis, quibus in altero aedificio spatium non sufficit, judicari potest quantae capacitatis novum justumque museum rerum ipsa copia flagitet.

Quatuor vero potissimum classes sunt monumentorum, quibus museum crevit. *Indica*, *Punica*, *Aegyptiaca* et *Etrusca:* omnes, si Aegyptiacam excipias, praecipua musei nostri, prae omnibus fere aliis vicinarum regionum, ornamenta.

I.) *Indica* classis habet insignem imaginem deae *Durgae*, magnitudinis paullo infra humanam, ex eodem templo Javanico, unde tria alia simulacra biennio abhinc dissertatione peculiari explicare conatus sum; — tum deum Ganesam, mediae magnitudinis; inscriptionem veteris linguae *Javanicae*, quae *Kawi* vocatur etc. omnia lapidea.

II.) *Punica* classis, monumentorum e solo et ditione Carthaginiensi, unica adhuc inter omnia Europae musea, nova inscriptione cum anaglyphe magni ad antiquitatem emolumenti ditata est (*).

III.) Classis *Aegyptia*, aliorum principum museorum nondum aemula, sed par museis secundariis quibusvis, accepit magnam rerum copiam:

In his papyros funebres *undecim;* mumiam humanam duorum loculorum integerrimorum, animalium vero plures; stelas sepulcrales lapidis calcarei 24, tabulas sepulcrales in ligno pictas, vasa *Canopica* ex alabastrite, e lapide calcareo, et fictilia item ad 25.

Idola minora lapidea, fictilia, aenea, maximo numero. In lapideis aeneisque com-

---

(*) Quam edidit postea cum Punicorum verborum interpretatione Latina HAMAKERUS, Vir Clarissimus, in *Miscellaneis Phoeniciis* T. II. n. 2. a quo dissentientes conjecturas nostras de monumenti significatione brevi tempore proponemus.

complura sunt praestantia, etiam aries lapideus, fere bipedalis longitudinis.

Supellectilem diversissimi generis uberrimam et in his quasdam res rariores.

IV.) Classis *Etrusca* hodie fere unica est cis *Alpes.* Nam museum Britannicum quae ex hoc genere habet, sunt inferiora, et numero et praestantia; caetera musea fere lapideis monumentis carent. Praestantissimo enim coëmto *Coratiorum* (*Corazzi*), nobilium Cortonensium, museo privato, complura e celeberrimis, quamvis mediocris molis, monumentis, quibus et artificium, et lingua Etrusca novissimo saeculo illustrata sunt, in Lugdunensem nostram sedem migraverunt.

In aeneis simulacris, quae ad 200, et ultra, numerum adsurgunt, eminent puer et puella mirandi operis, duo heroes, omnes altitudinis unius pedis et ultra, tum gryphi duo minores, candelabra duo, quae partim a COLTELLINO, peculiari libello, partim a LANZIO, aliisque viris doctis, sunt illustrata.

In reliquis sunt multae urnae vel lapideae vel fictiles, quae cum aliis aliunde hoc anno comparatis, fere 25 numero aequant. Inscriptiones *Etruscae* plerisque aeneis praestantioribus illis monumentis et urnis sunt additae. Supellex Etrusca multa et rarissima.

— Tandem praeter has classes potiores, Graeca et Romana supellex, vel minora monumenta, maxima copia ad museum pervenerunt.

In his silentio praeteriri non debet egregium equitis E. B. VAN DEN BOSCH, praefecti militiae navalis Belgicae, *donum* monumentorum sepulcralium, juxta Tripolim Syrticae inventorum, in quibus, praeter alia plurima, sunt multae ollae sepulcrales vitreae integerrimae, sesquipedali fere altitudine, et urnae plumbeae, quorum monumentorum quantum sit a raritate pretium, unusquisque facile intelliget.

C. J. C. REUVENS.

INCREMENTA
MUSEI ANTIQUARII,

J. BAKE, V. Cl. Rectore,

anno 1828—1829.

Quae hoc anno museo Academico accesserunt incrementa spectant classem *Indicam* et *Etruscam*, sed longe nobilissima pars est *Aegyptiaca*.

I.) Classis *Indica* accepit quatuor simulacra lapidea, duo dei Sivae, et duo janitorum templi alicujus: inter quae singula utriusque generis sunt magnitudinis humanae.

II.) In classi *Etrusca* praestanti *Coratiorum* museo, anno superiori coëmto, accesserunt jam reliquae omnes *Georgiorum*, Volaterranorum, urnae lapideae, fictilesque, ita ut harum urnarum numerus jam ad 60 excurrat.

III.) *Aegyptia* classis primum aucta est reliqua parte monumentorum *Lescluzii* Brugensis, quorum ultra partem dimidiatam jam anno 1826 accesserat. Sed praeterea in museo nostro repositum est museum *Anastasii*, consulis mercatorii Sueciae Regis in urbe *Alexandria* Aegypti, grandi pecunia emtum, quod divitiis et dignitate proximum est a *Drovettiano* museo a Rege Sardiniae emto, et praestantius videtur quam *Saltianum*, emtum a Galliae Rege. Quae copiae cum 5500, et ultra, monumenta cujusvis magnitudinis complectantur, intelligitur facile, nos singulatim omnia persequi non posse. Ita et nunc et *dehinc perpetuo* summaria rerum descriptione defungemur.

Complectitur museum hoc omnes monumentorum, quae in aliis museis comparent, classes. Inter majora monumenta sunt *sacellum monolithon* e granite, ex *Aegypto* inferiore; ara magna, e granite; sarcophagi quatuor magni e granite, basanite et lapide calcareo; columnae quadratae quatuor; fere integra cella sepulcralis, tribus parietibus, ad humanam magnitudinem, et duabus columnis constans, multa etiam quae enumerari non possunt.

Inter monumenta reliqua sepulcralia stelae sunt *octoginta*, in quibus *duodecim*, quinque aut sex pedum altitudine; ita stelarum numerus ad *centum et viginti* crevit. Huc referri merentur stelae ligneae pictae; vasaque ex alabastrite, magno numero, et insigni pulchritudine ac diversitate formarum.

Sta-

Statuae colosseae calcareae *duae;* humanae magnitudinis aut paullo infra *tredecim;* in his una e basanite viridi, tres e granite, reliquae calcareae; minores, pedis, aut bipedalis magnitudine, complures: inferioris magnitudinis permagnus numerus.

Papyri scriptae, si omnia fragmenta, et lintea quoque scripta mumiarum, (*viginti quinque* fere numero) in censum veniant, sunt *centum et triginta;* in his *undeviginti* papyri Graecae, et inter has, contractus a BÖCKHIO editus; papyri rituales funebres ad 40 pedum longitudinem aut paullo infra, quatuor aut quinque; una pedum *57*, magnitudine ex omnibus museis secunda; contractus scripturae Demoticae, cum adnotatione τοῦ γραφείου, sive *registro graphico* Graeco, complures; duae papyri maximi momenti, quarum altera versionem vocum demotice scripsarum in literas Graecas continet; altera maximam partem Graece scripta est: utraque vero, ut brevi ostendere conabimur, librum ritualem Magicum continet. Ita papyrorum numerus ultra *centum et quadraginta* crevit.

Pauci etiam lapides atramento scripti inveniuntur: e quibus unus carmen Moïsis Graece (Exod. XV.) continet.

Mumiae *viginti quinque* praestantissimae et omnis generis et aetatis, in quibus sunt duorum, trium, et una quatuor loculorum; etiam una e gente Corneliorum Polliorum Thebaica, cum inscriptione Graeca, aetatis Trajani, virginis, cujus frater in museo est *Parisino*, reliqui cognati in *Britannico*, et fortasse *Taurinensi* et *Berolinensi.* Ita harum numerus aliquantum ultra *triginta* crevit. Inter mumias animalium diversissimorum crocodilus est 8 aut 9 pedum longitudine.

Supellectilis omnis generis innumerabilis copia adest. In hac sunt aurea et gemmis instructa ornamenta, mundus muliebris et phylacteria prorsus ditissima: instrumenta agriculturae et opificiorum variorum, scripturae, musices, ludorum, et arma varia.

— Denique non obliviscendum est:

1°.) Singulari fortuna in nostra urbe fuisse coëmta ectypa gypsea viginti anaglypharum columnae *Trajani* quae Romae est.

2°.) Dono WARRINGTONI, consulis mercatorii Britannici apud Tripolitanos, Regi nostro oblato, seriem urnarum vitrearum et plumbearum, quae anno superiore, simili beneficio viri nobilissimi VAN DEN BOSCH, initium sumserat, insigniter locupletatam fuisse.

C. J. C. REUVENS.

⁂

JOANNIS VAN VOORST

ORATIO,

IN MEMORIAM BENEFICIORUM DEI, IN MUNERE PUBLICO, CUM ECCLESIASTICO TUM ACADEMICO, DECEM LUSTRA FELICITER GESTO, IN SE COLLATORUM.

HABITA D. XI OCT. MDCCCXXVIII.

Miramini, Auditores, quis me impetus moverit, ut hic loci in publicum prodirem. Miramini, hominem septuagenarium huc adscendentem videre a nemine rogatum, neque iis causis, quae nostri ordinis hominibus publice dicendi occasionem praebere solent, adductum. Saepius ego in hoc Auditorio, nondum, ut hodie conspicitur, pulchre renovato, sed ex hac ipsa tamen cathedra, et vetustate, et eorum, qui antea in illa verba fecerunt, dignitate suspicienda, ex officio locutus sum. Nunc vero hunc occupo locum, singulari, quae ad me ipsum attinet, ratione impulsus et incensus. Occupo, grati erga Deum Opt. Max. animi publice testificandi causa. Occupo, meae quidem infantiae sensu plenus, sed sine magno tamen tremore; quem praesentia virorum, in omni scientiarum genere versatissimorum, et eloquentiae fama cum maxime celebrium semper incutere solebat. Hunc hodie terrorem pavoremque nescio quomodo imminuat ex pectore loquendi voluntas, de aucupiis verborum atque orationis ornamentis, et omnino de legum et consuetudinum in dicendo observantiâ parum sollicita.

Enimvero est mihi hodiernus dies, si quis unquam alius, singulari modo festus; dies est, celebrandis sacris semisaecularibus dicatus. Et is vester, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI, animus in me benivolus et favor, multos mihi annos, est probatus, ut Vos socios esse velle putaverim solennitatis, quam grata beneficiorum, quae Providentia divina decem lustra in me contulit, memoria offert et jubet. Imo vere testes et socii sensus, qui animum meum hoc die perfundit, totoque vultu et sermone conspicitur, Vos omnes esse vultis, AUDITORES CUJUSCUNQUE ORDINIS HUMANISSIMI, qui una cum amicis, consanguineis et affinibus, hunc actum solennem praesentia vestra condecorare haud dedignamini. Tu inprimis, honoratissime et plurimum venerande NOORDINK, virorum optime, ab eo inde tempore, quum, ante quinquaginta et amplius annos, in hac Academia familiarissime conversabamur, mihi multis nominibus care et summopere dilecte, atque arctissimis jamdiu affinitatis vinculis adjuncte; Vos quoque, numquid dubitem? disciplinae nostrae vel antea vel adhuc alumni, et quotquot insuper huc confluxistis, Academiae cives, hospites, quos sua quemque dignitas, ingenium, virtus et doctrina exornant.

Quoties cogito de vitae humanae vicissitudinibus, et variis meae quoque vitae fatis, cogito autem saepe et multum, Providentiae divinae in gubernandis rebus humanis sapientiam, et immensam erga humanum genus benignitatem admiror, et quo propius ipse absum ab instanti hujus cursus exitu, tanto magis e re mea esse judico, saepius procurationis divinae, quae in singulis meae quoque vitae partibus regendis conspicua fuit, vestigia etiam atque etiam reputare. Hic dies mihi eo consilio valde memorabilis est. Cum peregrinatore me comparo, qui longo confecto itinere, diversa loca, ubi longius vel brevius pro re nata moratus sit, veteres itineris socios, quos ab initio habuerit, sed postea amiserit, novos item, quos identidem acceperit, eos praesertim, qui bonorum et malorum, quae sibi evenerint, participes fuerint, in mentem revocat, de iis, quae in itinere acciderint prospera et adversa, et quae his et illis ansam dederint, nec non de iis, quae viderit et audierit, sedata mente cogitat, eorumque, quae ipse egerit, memoriam recolit. Ego longum quoque vitae iter absolvi. Longum dico, quod mihi vivendi tempus obtigit, cum breviore vulgo plurium meam vitam comparans, quam tamen, tanquam aliquot momentorum seriem, incredibili celeritate decucurrisse expertus sum. In paulo longiore ergo illo curriculo variis in locis commoratus sum. Magnus eorum est numerus, quibuscum hic atque illic vixi. Plerique eorum jam diu obierunt. Pueritiae socius vix aliquis, quantum novi, superest, praeter fratrem carissimum (1); juventutis perpauci. Oculis obversantur imagines plurimorum sodalium atque amicorum, identidem e vita sublatorum. Triste desiderium sui reliquerunt Praeceptores, quibus usus sum, aliique, quibus multa et magna me debere mihi conscius sum. Bene memini, quae mihi inprimis fausta et felicia contigerunt, neque oblitus sum malorum, quorum tamen semper longe minor fuit numerus, quam bonorum. Horum tanta ab ineunte aetate per totam vitam fuit copia, tanta varietas, ut, quoties eorum numeros subducere aggrediar, confundar et erubescam.

Delphis Batavorum lucem adspexi. Parentes honestos, probos ac pios mihi contigisse, in primis et summis vitae meae beneficiis semper habui. Illis ut vitam et quidquid sim, ita et hoc me debere grato animo recordor, quod ad scientiam rerum cognitu maxime necessariarum et sapientiam vitae me, a prima jam adolescentia, adducere omni opera et studio conati sint, et summa prudentia et religione mihi viam aperuerint, qua ad honestum vitae genus contendere, et, quod summopere optabant, ad sacrorum antistitis munus progredi possem, quam votorum summam, supra id quod sperare ausi fuerant, expletam magna cum voluptate suis ipsi oculis viderunt.

Mensis Octobris die undecimo anni superioris saeculi octavi et septuagesimi sacrum munus solenniter auspicatus sum. Obtigit mihi, quod semper magno mihi honori duxi, provinciam publici doctoris populi Christiani ejusdemque pastoris suscipere, et eam adeo vitae et studiorum rationem ingredi, quae publicum divinorum librorum, et sanctissimae iisdem patefactae Religionis interpretem ac vindicem decet, cujus universa huc spectet doctrina et cura, ne quid optimae rei detrahatur, et ut divina ejus vis et salubritas magis magisque elucescat, et ad latissime patentem vitae usum quaquaversum percipiatur. Eo igitur die constitutus sum Verbi Divini Minister in pago Gelriae parum noto, propo Zutphaniam, (2) ubi coetui non valde numeroso viginti menses praefui. In ejusdem deinde regionis oppido Vada (3), bene sito illo et amoeno, eodem munere quindecim menses perfunctus sum. Hinc vero evocatus in magis celebrem et florentem tunc Zelandiae urbem Ziericzeam, cum sex Collegis, me natu multo majoribus, sexennium traduxi. Stationis mutandae occasio non defuit. Mihi vero, in hac tranquilla et persequendis studiis literatis valde apta sede, paulo diutius morari placuit.

Eloqui non possum, quam jucundi et utiles mihi novem illi, et quod excurrebat, anni praetervolarint, quos singulis sacri muneris partibus, in tribus illis coetibus, explendis praecipue dicavi. Quod de annis dixi, ea praecipue ratione transactis, eo spectat, ut intelligatur, me ab illorum verbi divini ministrorum consuetudine discessisse, qui semel ad hanc dignitatem provecti, sibi nihil amplius agendum esse existiment, quam ut tum concionando, tum institutione cathechetica, et curis insuper pastoralibus, quas vocant, populo satisfaciant. Ego vero sic statui, muneris sacri partes omnino latius patere. Profecto non illius solum coetus, cui praefectus sis, rebus inserviendum est, sed unumquemque sacrorum antistitem universae Religionis causae, quoad possit, pro virili parte prodesse oportet. Utinam omnes, qui praeclariora quaeque studiose sectantur, sibi semper cavere possent a noxiis illis furibus pretiosarum adeo horarum, quae non raro incautis surripiuntur, nullo aere redimendae! Equidem, dum hoc munere sedulo occupatus eram, intento in rem Christianam animo, etiam studiis literarum, praecipue sacrarum, debitum tempus dandum esse existimavi. Per totam postea vitam, horum annorum recordatus sum, et hodie laete et pie recordor. (4)

Vix annum octogesimum octavum superioris saeculi ingressus, ad munus Professoris vocatus sum. Primum in Franequerana Frisiorum Academia, novem et amplius annos, Theologiae et Historiae Ecclesiasticae docendae, nec non Concionatoris Academici provinciam sustinui. Quam maxime me praedicavi beatum, qui tunc demum Ordini Doctorum Academicorum admotus essem. Uberrimos nunc vitae in studiis literariis, praesertim Ziericzeae, inter muneris sacri occupationes, quantum fieri potuisset, actae fructus cum insigni voluptate decerpsi, et tanquam renascens ad novum me vivendi genus, florente aetate alacri animo contuli. Quam severa lege et indefesso labore, complures annos, persecutus eram studiorum rationem, jam ex officio sectari, et dies noctesque toto pectore in eam incumbere mihi licuit.

Erat ibi mos, ut non a solenniter primum habita oratione primordia ducerentur academicae institutionis. Jam tres menses ante docendo occupatus fueram, quam data, Curatorum in Academiam adventu, opportunitate, publice verba facerem, *De temporum nostrorum ad promovendam Religionis causam opportunitate.* (5) In explenda vero Franequerae demandata mihi provincia, summopere de sorte mea gavisus sum. Ad studia mea prosequenda admodum profuit Bibliothecae Academicae usus, quam prope aedes meas sitam, singulari favore Curatorum, tanquam meam, quotidie adire et commode adhibere poteram; non illam magna librorum copia praestantem, sed exquisitam, et, quamdiu Franequerae essem, quotannis auctam et insigniter locupletatam. Desiderio meo sufficiens probatissimorum aderat et mox augebatur discipulorum numerus, quibus omni parte prodesse conabar. In quorum numero Te, clarissime SURINGAR, ab initio inter principes fuisse, honoris causa commemoro. Nosti, quo in Te ab eo tempore sim animo, quem ab anno huius saeculi quinto et decimo hic Leidae in Collegarum numero habere mihi obtigit. Memini, Te ante octo et triginta annos, me praeside publice, omnibus applaudentibus, defendisse *Specimen Observationum ad loca quaedam Matthaei*, quod ad excitanda et alenda bonorum adolescentium studia confeceram. (6) Memini, Te biennio post tuo Marte conscriptam *Dissertationem Philologico Exegeticam De diversis vocum nonnullarum Hebraicarum ac Graecarum significatibus in Sacra Scriptura*, ad publicam disceptationem proposuisse, (7) et his tanquam honoris gradibus ad cathedram, quae tunc Lingae erat, jam anno illius saeculi sexto et nonagesimo adscendisse. Sensim Franequerae increscente studiosorum numero, identidem reperiebantur plures, qui Academiae ornamento erant, et deinceps in variis stationibus studiorum laudabiliter institutorum praemia retulerunt. Aderat inter disciplinae nostrae alumnos JOANNES HENRICUS REGENBOGEN, juvenis ingenii non vulgaris, altiora spirans, aliquot annos post ad sacrum ministerium, primum apud alios coetus, deinde Franequeranum vocatus, neque diu post, me aliorsum profecto, in ipsam Academiam, quae ibi adhuc erat, translatus. Docendae illic primum Historiae Ecclesiasticae, dein Theologiae quoque ipsi demandata erat provincia, postea mutatis temporibus, et mutata interea studiorum ipsius via, ab Historia Ecclesiastica ad Universalem transiit, et hujus professionem in hac ipsa Academia Leidensi per breve tempus ad vitae finem praeclare tuitus est. Aderat quoque CORNELIUS EKAMA, qui cum laude absolutis Theologiae studiis aliquot annos in Zelandia Oraculorum Sacrorum Interpretem egit; sensim vero ad studia Mathematica, Franequerae jam vehementer amata, dedita opera promovenda conversus, honorifice oblatam sibi Philosophiae in Academia Franequerana docendae provinciam suscepit. Exstincta vero hac Academia, una cum REGENBOGIO Leidam translatus a peritis harum rerum arbitris cathedra Matheseos et Astronomiae omnino dignus judicatus est. Hos vero clarissimos viros, (proh dolor!) mors immatura nobis ex improviso eripuit. De utroque Academiae Rectores KEMPERUS et SURINGARIUS plura retulerunt. (8) Alios quoque meritissimos viros, quos disciplinae Franequeranae alumnos habui, sapientissimum Numen jam ad sedes beatiores evocavit, caeteris diuturnam et omni parte felicem vitam, qua rei Christianae omni opera et studio honori atque ornamento sint, apprecor. Ego omnibus, praesertim erectioribus ingeniis, studiorum adjutorem et comitem me continuo praebui, tum scholis in omni rei Theologicae genere habendis, tum privatis consiliis et admonitionibus de regia, me judice, studiorum via diligenter tenenda. Etiam in eorum gratiam, postquam animadverteram, disciplinae illi, quam Theologiam systematicam, vel et eximie Theologiam appellant, non eum, qui par esset, a multis tribui honorem, neque justum a studiosis plerisque statui pretium, quum magistratu academico abirem, orationem habui et edidi, *De injusto Theologiae, ad scholae legem diligenter exactae, contemtu.* (9) Ab Academiae Curatoribus approbationis et favoris testimonia multiplicia et honorifica accepi, etiam aucto plus semel stipendio. Et omnino omnia mihi novem annos, conatibus impigris favente Deo, Franequerae feliciter cesserant. (10)

Nubila vero, (sic sunt res humanae!) inciderunt tempora. Velut in patria nostra universa, sic in Frisia praesertim, sensim intestinis motibus et dissidiis funestissimis omnia repleta vidimus et confusa. Re desperata populorum vicinorum opem imploratam, et eo tandem eheu! rem redactam esse novimus, ut regiones Belgicae armis Gallorum occuparentur, et sub libertatis restaurandae praetextu imperio peregrino subjicerentur. Ea tum nostra conditio fuit, ut novus prorsus rerum publicarum ordo introduceretur, nescio quoties mutatus, omnis ille tranquillis literarum studiis summopere infestus. Omnia ad incitas redacta. In Frisia maxime turbata omnia et terribilia. Munere motis Curatoribus Academiae, eorum, qui tum rerum Frisiacarum gubernacula tenerent, consiliis et auctoritate factum est, ut plures ab Academia Franequerana

Professores secederent, partim muneribus moti, partim se ab his sponte sua abdicantes. In posteriorum numero quum ego quoque esse mallem, quam minus ferendis institutis me subjicere, singulari Dei procuratione, quem, totâ vitâ, benignissime mihi prospicientem expertus sum, evenit, ut ab Arnhemiensibus in Gelria, plane insciis illis rerum, quae in Frisia agebantur, Theologiae Professoribus inimica, ut igitur ab Arnhemiensibus, qui me multos annos ante, quum Zierczeae essem, humanissime sed frustra invitaverant, ad ministerium sacrum in sua urbe administrandum, nunc denuo ex improviso vocarer, et gravissimis rationibus impellerer, ad hanc accipiendam invitationem. Equidem inexspectato hoc Providentiae interventu attonitus, non diu repugnans, dolentibus nunc Frisiis, tempori cedendum censui. Neque me poenituit. Ambabus manibus et omnino benivole et honorifice ab Arnhemiensibus, tanquam in hospitio jucundo amicorum veterum, exceptus sum. In quo diverticulo mihi valde caro et utili, integrum annum et amplius, permansi, (11) donec Viri amplissimi, qui tunc temporis res Academiae Lugduno Batavae laudabiliter curabant, me Leidam vocarent, ad *Antiquitatem Christianam et Historiam Dogmatum*, in hac ipsa celebratissima Academia, in qua initium studiorum feceram, docendam. Quo tunc animo essem, quantopere Coelestis Sapientiae vias suspicerem, et quam laete ad nunquam intermissa studia Franequerana reverterer, publice testatus sum, habita mense Junio anni noni et nonagesimi superioris saeculi oratione, *De Scriptorum veterum Christianorum studio prudenter ac liberaliter excolendo.* (12) Inter curatores Academiae erat Vir doctrinae omnis calidus fautor et patronus strenuus, HIERONYMUS DE BOSCH, ipse haud vulgariter doctus. Hujus inprimis eximii Viri, cui nescio quomodo innotueram, benivolentia factum est, ut, quamquam temporum rationes nondum ferrent, ut novi in Academiam vocarentur Theologiae Professores, mihi tamen aeque atque honoratissimis Viris, TE WATERO et RAVIO, sub novis titulis, demandaretur rerum omnium Facultatis Theologicae cura. Nam et TE WATERUS et RAVIUS, suis singuli meritis excellentissimis clari, tunc non amplius dicebantur Theologiae Professores, sed ille *Historiae Ecclesiasticae*, hic *Poëseos et Oratoriae Sacrae* Professor. In me paulo post, peculiari Curatorum decreto conferebatur insuper professio *Exegeseos*

Novi Testamenti. Neque in eo substitit horum Virorum liberalitas. Nam ex Facultate Philosophiae et Literarum creatus Academiae Rector, antequam ex more magistratum Academicum deponerem, Reipublicae rebus sensim in mitiorem partem conversis, novum accepi diploma, quo ad professionem *Antiquitatis Christianae*, *Historiae Dogmatum et Exegeseos Novi Testamenti* ipsa *Theologiae* professio accederet, quam ea ipsa opportunitate habendae orationis Rectoralis, eodem die aggressus sum, postquam dixissem *De Joanne Augusto Ernestio, optimo, post Hugonem Grotium, duce et magistro interpretum Novi Foederis.* (13) Non ego solus tunc in Ordinem Theologorum receptus sum, ut cum Collegis res Facultatis Theologicae publice curare mihi liceret, sed Curatorum aequitate effectum est, ut in suum quoque locum revocaretur BOERSIUS, vir clarissimus. Restitutos eodem circiter tempore ab iisdem esse nostis, in suum singulos, Ordinem, viros celeberrimos, PESTELIUM, KLUITIUM et LUZACIUM. Quarum rerum memoriam dum recolo, dicere non possum, quomodo, cogitando hoc rerum ad fata mea pertinentium cursu, collatorum Dei in me beneficiorum sensu afficiar. Equidem sane non alio consilio harum rerum eventum commemorare volui, quam ut hoc die Vos, AUDITORES HUMANISSIMI, in societatem adducerem reverentiae, qua immensam Providentiae divinae sapientiam et benignitatem, in vitae meae regendo cursu, cum admiratione adoro. Utique me vivente et docente multa acciderunt, ad erigenda et excitanda literarum studia minus apposita. Magnae illae, quas dixi, rerum conversiones, et ortae inde turbae non potuerunt non, praesertim Theologiae studio et Ordini Theologorum, noxiae videri et exitiosae. Deo vero, a cujus nutu omnia pendent, benivole sua auctoritate interveniente, et suae ipsius Religionis causae sapientissime prospiciente, prohibitum est, ne quid ea detrimenti caperet. Suus ergo, etiam difficillimis temporibus, Religioni constitit et intactus mansit honos. Impediri non potuit, quominus Theologicae quoque disciplinae publica auctoritate traderentur. Non defuerunt, qui iis operam darent, et ad sacrum munus praeparari vellent. Acerbissimis temporibus magis auctus quam imminutus est numerus Theologiae studiosorum. Non laeta certe erant tempora, quum in publicum prodirent disciplinae nostrae alumni BORGERUS et AMERSFOORDTIUS, uterque, proh dolor!

in flore aetatis exstinctus. Neque meliora alios ante alliciebant; qui in principum discipulorum nostrorum Leidensium loco numerati sunt, et adhuc merito suo numerantur; HENGELIUM intelligo et sodales, atque his similes, sua singulos laude spectabiles. Insignis est numerus oraculorum divinorum Interpretum, qui ex schola Collegarum et mea, turbulentis illis annis, prodierunt, tunc Academiae nostrae, nunc Ecclesiae ornamenta. Testor Vos, coetus Dordraceni, Hagani, Amstelodamenses, Roterodamenses, alii in omnibus Regionibus Belgicis, qui de facundis et doctis, ex nostra etiam schola profectis, Verbi Divini Ministris gloriari soletis. Vos quoque, cives Leidenses, quibus inter eximios illos, quos omnes magno pretio habetis, Sacrorum Antistites, non minus cari quam caeteri sunt ei, qui e nostra antea schola prodierant.

Haec dum refero, animo obversatur cumulus, quem prosperis vitae meae partibus attulit, ut totius Europae, ita et Regionum Belgicarum liberatio a servitutis jugo, quod sub finem inprimis durissimum fuit et intolerabile, attulit adventus sospitatoris nostri, Celsissimi Principis Arausiaci, tanquam de coelo devocati et nobis redditi, ad res Belgii instaurandas. Quod quale, et quantum, et quam late patens fuerit beneficium, nostis omnes. Vos inprimis, qui anno hujus saeculi decimo tertio, et ante socii eratis multiplicium et dirissimorum malorum, quae multos annos perpessi sumus, et postea socii evasistis felicitatis, cujus cum restituta libertate nos omnes, imo omnes Belgas suos, participes reddidit GUILIELMUS, Rex Augustissimus. Quot et quanta ab Optimo hoc Principe in nos omnes et universam Academiam beneficia redundarunt! Non solum multiplicia pristini temporis resarcita sunt vulnera, sed innumera accesserunt omnis generis bona. Tanquam in novum orbem nos videmus translatos. Cum admiratione conspicimus varii generis thesauros et Musea, quibus immensa Regis munificentia nostram praecipue Academiam ditavit. Undequaque elucet literas et scientias adjuvandi, illustrandi et amplificandi cura, omnibusque et singulis succurrendi et benefaciendi studium. Pro cujus talis et tanti Academiae Fautoris, imo communis omnium bonorum et literarum amantium, ac totius Patriae Patris, salute hoc die sincera facio vota. Deum precor, ut multos annos talem nobis conservet Regem! Talem Regem quam diutissime salrum esse jubeat, cum Regia Conjuge et universa Regia Domo! Utinam nulla unquam Regis tempora redeant adversa! Omnia ipsi ex votis et super vota humana succedant, in uberrimum Patriae emolumentum! Salvos sub tali Rege Deus nobis conservet Viros perillustres, Academiae Curatores, quibus res academica omni parte cara et desiderata est! Quibus ego quoque quam plurima debeo. O me felicem, cui contingat, ea, qua sum aetate, sub tutela talis Regis et talium Curatorum, impenso Dei in me favore, a molestiis senectutis liberum, sine sollicitudine quiete vivere! Haec dum cogito, et felicitatis fastigium commemoro, quod Leidae attingere mihi obtigit, exsultat oratio, Providentiae divinae contemplatrix, quae universum vitae meae cursum ita direxit, ut illo tempore, jam difficili, jam vero opportuno, illâ viâ et illa vitae ratione, quam antea tenueram, ad cathedram Leidensem adductus sim, eamque non sine fructu tot annos sustinuerim!

Sub finem anni quinti et decimi et paulo post nonnulla ad me pertinentia acciderunt, de quibus ante ne per somnium quidem cogitaveram. Anno hujus saeculi octavo iterum creatus Academiae Rector, quum ex more hoc munere Academico abirem, ultima vice, ut tunc res erant, et ego certo statuebam, habueram orationem, *De populari Religionis Christianae disciplina, ex legitimae Sacrorum Librorum interpretationis fonte praecipue haurienda.* (14) Sed ecce, cum adventu Regis, novo rerum Academicarum ordine constituto, evenit, ut mihi post KEMPERUM ex nova lege ordine primo, anno sexto et decimo denuo magistratus Academicus a Rege nostro injungeretur, et natali Academiae sequentis anni die mihi, hoc munus deponenti, a temporum rationibus suppeditaretur argumentum orationis, *De commodis atque emolumentis, quae e singulari Principum Europaeorum, in Religione Christiana his temporibus profitenda, consensu sperare et augurari liceat.* (15) Accessit aliud haud minus inopinatum. Ex Lege Regia, de ordinandis rebus Academicis, Professoribus Theologiae imposita erat provincia Concionatorum Academicorum, per vices a singulis implenda. In quas adeo partes ego quoque in hac Academia veni, et sex annos, prout potui, ad usus propositos, una cum facundioribus Collegis, explevi. His vero finitis, approbante Rege, ab hac muneris parte me abdicavi, successorem nactus Collegam, facultatis oratoriae laude celeberrimum. Praecesserat Regis perhonorificum mihi decretum, quo Bibliothecae Academicae praefectus sum, quod uni ex Theologiae Professoribus obtigerat FRIDERICO SPANHEMIO. Jam aliquot annos ex voluntate Curatorum, vacante loco Bibliothecarii, rerum huc pertinentium curam in me susceperam. Nimirum, me Rectore accidit, ut aedificium, libris et Codicibus MSS. custodiendis destinatum, renovaretur. Jam ex voluntate Regis, novo ordine ponendi et omnino melius digerendi erant libri, pro magna parte in acervum magis congesti, quam ad communem, maxime Professorum, usum accommodati. Non exigua pars librorum plerisque incognita, et vix ullius erat usus. Voluit Rex ut universa, ad commodum omnium Academiae civium usum, magis apta redderetur Bibliotheca. Novus ex omnibus Bibliothecae partibus construendus et disponendus erat Catalogus, et alia multa huc pertinentia, ex votis et consiliis Curatorum, erant curanda. Quae res universa meae praecipue curae ab Illustribus rerum Academicarum Moderatoribus erat commissa. Ego, subsidiis desideratis non plane destitutus, et rei Academicae succurrere cupiens, manum operi admovi, et catalogus omnium librorum Alphabeticus partim mea opera, partim ab aliis, me rem universam moderante, quoad ejus tum fieri poterat, confectus est, ad quod magni laboris opus exsequendum, operam a MEINARDO TYDEMANNO, Viro clarissimo, multos annos novo librorum et MSS. parando et instruendo catalogo insumtam, mea laude omnino majorem, quam plurimum profuisse, grato in immortalia hujus spectatissimi Viri merita animo refero. Ego vero, cum hac re in communes usus agenda a negotiis gravioribus avocari nollem, petii a Rege tanti operis perficiendi socium et adjutorem, virum doctum et peritum, et ad rem persequendam multo magis, quam alii, qui opem tulerant qualemcunque, omni parte idoneum. Cui petitioni Rex benivole satisfecit. Non placuit ei, ut ab opera suscepta ipse desisterem. Sed honorifico decreto desideratum mihi adjunxit adjutorem operis, JACOBUM GEELIUM, doctrinae copia et elegantia praestantem Virum, cui, in hoc sociato labore quantum Academia debeat, equidem justis laudibus efferre non possum. Gratulor Tibi, eruditissime GEELI, approbationem Regis et Curatorum, nec non accessionem tum honoris tum etiam majoris, insignibus tuis meritis omnino debiti, stipendii. Gaudeo quoque de adjuncto Tibi aeque ac mihi late patentis operis socio BERGMANNO, in literis versatissimo Viro, cui ut, in hac re agenda, omnia feliciter succedant, et fausta quaeque eveniant et prospera, ex animo opto.

Dixi de iis, quae mihi, praesertim ab eo anno, quo Franequerae doctoris Academici munus auspicatus sum, ad hunc usque diem, praeter omnem spem et exspectationem, inprimis felicia contigerunt. Quot jam ab eo inde tempore anni effluxerunt! Omnes illi et singuli beneficiis divinis, quorum summa tantum capita attigi, in me copiose collatis insigniti; et vero ii potissimum anni, quos Leidae vivere mihi datum est. Leidae longe maximam vitae partem transegi. Ex voto mihi plerumque hic omnia cesserunt. Vixi in societate Collegarum, omni artium et scientiarum genere expolitorum, quorum benivolentiam quotidie expertus sum, numerosa discipulorum corona eorumque semper amore gaudens. Vixi cum familia, sorte mea contentus. Semel tantum acerba, imo acerbissima calamitas domestica me et meos afflixit, et vehementer contristavit: ad quam tamen, ut oportebat, perferendam, Religionis numquam satis praedicando beneficio adjutus et confirmatus sum. Et hanc ipsam dilectissimae filiae natu majoris jacturam, admodum gravem illam et summopere dolorificam, caeterorum, quos superstites Dei benignitas nobis reliquit, liberorum prosperitate et honorifica conditione, divinum Numen immensum in modum compensavit.

Numerum eorum, quae mihi Leidae praesertim felicia acciderunt, recensere longum sit. Ego annos illos, quae inter Vos publice vixi, quid egerim, quo animo, qua opera, quo studio et quo fructu egerim, qua via et ratione Academiae, cum agendo, tum docendo, vel et nonnunquam scribendo, inservire conatus sim, exponere non libet. (16). Malim, quidquid agere potui et studui, sancte et pie, grato in Deum animo, palam ad hunc omnis boni auctorem referre, et summam ejus in me patefactam benignitatem summis, qua possim, laudibus praedicare. Ad eum refero, ut agendi animum, viresque et opportunitatem, ita et omnes adhibiti laboris successus, et quidquid optatorum ejus fructuum in bonas literas et rem Christianam provenerit. Deum oro, ut etiam me mortuo, sparsa, pro eo quod vires valerent, institutionis meae semina non omni fructu careant. Vestra, in docenda Theologia Collegae clarissimi, Vestra magis fama quam mea, et Vestris magis curis et vigiliis, quam meis, increscat et longe se lateque diffunfundat verae eruditionis et germanae religionis amor, una cum literarum omnium humaniorum et artium liberalium flore et decore!

Dies diem docet. Quae nos hodie agimus, et nobis videmur bene et prudenter agere, alii, qui nobis succedunt, proferunt, emendant et perficiunt. Nolim tamen hac cogitatione in illud de rebus meis judicium deduci, ut me pudeat vel saltem poeniteat ante pro viribus actorum omnium, ac si tam multos annos frustra vixisse, multaque agendo nihil bene egisse, et omnino oleum et operam perdidisse existimandus essem. Profecto non omnis ante a nobis insumtus inutilis est labor, quem ab aliis perfici videas et emendari. Semper in laude ponitur, si quis aliis ad scientiam veri et recti prodesse conetur. Est vero aliorum antiqua tenere et vindicare, et novas simul plura et meliora discendi vias aperire, aliorum easdem prudenter ingredi; aliorum est fundamenta jacere, quibus posteriori aetati datum est novum aedificium superstruere. Non ea certe unica laus est, ut ab antiquis discedas, et tanquam novus homo nova solum detegas et proferas. Mihi quidem ea semper longe major visa est, ut nequaquam opineris te solum sapere, sed ut ab antecessoribus peritis et sapientibus omnis aevi, qui certe non frustra vixerunt, bene dicta et facta tantum non omnia in numerato habeas, et ad plures transferas, et his identidem nova addas et magis probanda, nusquam subsistens, sed sensim sensimque ulterius progrediens, et ad altiora et maxima contendens.

Equidem saepe in hanc cogitationem revertor, et quo diutius vivere mihi mihi per Dei gratiam obtingit, tanto plus et tanto serius hoc animadvertere soleo, *artem longam, vitam vero brevem esse.* De hac brevitate certus, nihil unquam magis odiosum habui, quam otiari, et in acquisitis acquiescere, mecum quotidie reputans, tanto diutius nos vivere et breve vivendi tempus prolongare, quanto magis tempori parcamus, et brevissimum illud vivendi tempus sapienter in rationes nostras referamus. Me quidem de temporis emendi necessitate continuo admonuit numerus ingens, et singulis fere annis adauctus e vita sublatorum aequalium, affinium, amicorum, et, in publico, cum Ecclesiastico tum Academico, munere Collegarum. Quos Vadae, Ziericzeae, Arnhemiae et Franequerae habui Collegas, ante me tantum non omnes obierunt. Unus superest Vir clarissimus JOANNES GUILIELMUS DE CRANE, Professor Franequeranus, nec non Vir plurimum reverendus, JOANNES CORNELIUS BOOT, quo Arnhemiae breve tempus, in sacro munere, Collega usus sum. Hunc Vestrum, Viri clarissimi, Ordinem circumspiciens, quot capita mihi cara desidero! Desidero superstites adhuc, quum Leidam veni, Praeceptores, AEGIDIUM GILLISSEN et DIONYSIUM VAN DE WYNPERSSE. Desidero omnes paene Professores, me natu majores; in Facultate Theologica BOERSIUM et TE WATERUM; in Literaria, praeter WYNPERSSIUM, longe plures, omnes illos mihi desideratissimos Collegas, LUZACIUM, KLUITIUM, WYTTENBACHIUM, MEINARDUM TYDEMANNUM et TOLLIUM; in Facultate Juridica itidem aestumatissimos Viros, PESTELIUM, VOORDAM, KEESSELIUM, HAGEMANNUM; in Medica Viros haud minus celebres, EDUARDUM SANDIFORTIUM, OOSTERDYKIUM, PARADYSIUM, nec non YPEUM et KRAUSIUM. Ne alios memorem, qui per brevissimum tempus inter nos versati sunt, eheu! desidero quoque RAVIUM! BRUGMANSIUM! KEMPERUM! quales viros! quam insignia Academiae lumina et ornamenta! Desidero quoque, proh dolor! BORGERUM! Desidero REGENBOGIUM! EKAMAM! Quibus omnibus me in vivis superstitem fore, equidem haud suspicari ausus fueram. O interminatam Dei in me gratiam, quam toto pectore publice celebro!

Contigit mihi, qui juvenili aetate infirma fuissem valetudine, ad ulteriores, quam qui vulgo sunt, vitae terminos progredi! Deo clementissimo placuit, exitiali illo, etiam Collegis nonnullis, anni septimi hujus saeculi die, singulari Providentia periculo vitae praesentissimo ereptum, et ante biennium ex aegrotatione ad res agendas reversum, metam extraordinariam non solum attingere, sed transgredi! Contigit, hoc ipso die publice verba facere, et beneficia divina in me collata publice debitis laudibus efferre!

Novi equidem, admodum breve mihi vivendi tempus superesse. Unus tantum inter Vos, optimi Collegae, superest me senior. Gratulor ex animo Tibi, cl. DU PUI, vegetam admodum senectutem, et optima quaeque, in diutissimum tempus prolonganda, voveo. Neque valde multi inter Vos sunt, quibuscum, licet aetate minoribus, tamen per longum tempus vixi in Ordine Senatorum. Tecum inprimis, clarissime SMALLENBURG, Vir integerrime, quem jam Franequerae Collegam accepi; Vobiscum etiam, quos Leidae insuper inveni, extra ordinem dignis muneribus ornatos, Viri suis singuli meritis clarissimi, SPEYERT VAN DER EYK et SIEGENBEEK, eodem, quo ego, anno in numerum Senatorum adoptati. Senescentem Vobis singulis aetatem incolumem opto, et omni parte tranquillam et placidam. Te inprimis honoris causa, hac opportunitate, propter muneris connubia compello, honoratissime PALMI, quem longo tempore, in studiis ad Theologos nostros cum maxime pertinentibus, Collegam habui aestumatissimum. Jam ante me hic adfueras, me adventante Rei Publicae causa absens, post in Academiam reversus, cui insigni jam ante ornamento fueras, et quae inde a tempore reditus quantum Tibi debeat, quantum humaniores omnes et sacrae praesertim debeant literae, uno ore praedicamus omnes. Magno mihi hoc die gaudio est, Te provecta, qua et Tu es, aetate omni parte florentem et celebratissimum salutare posse. Et id tanto lubentius me facere publice declaro, quo magis mihi persuadeam, tuae, vir humanissime, amicitiae tuaeque bonae de studiis meis in academicam Iuventutem opinioni multum me debere aestimationis, qua Leidae mihi semper frui licuit. Benignissimus Deus Tibi Tuisque in longos annos omnia in dies magis magisque fortunata esse jubeat et vere felicia!

Ego vero, ut ad me redeam, probe novi, quo longius cum talibus Viris, quos Collegas habui, et adhuc habeo, vivendi mihi concessum est tempus, tanto plus me in discendo proficere, et tanto magis rei academicae prodesse oportuisse.

Deum testor, hoc mihi per totam vitam sancte propositum fuisse, ne tempus auro carius perderem aut dissiparem. Aegre fortasse nonnulli tulerunt nimiam subinde, ipsis judicibus, temporis parsimoniam, cui intentus esse solerem. Ego vero supra exposui, quid de temporis pretio jamdiu statuerim, videlicet cogitationi de artis longitudine et brevitate vitae assuetus. Quantum est, quod nescimus! In quavis scientia quis quaeso desiderata omnia se edidicisse sibi persuadeat? A longe tempore mihi visum est, ab affirmandi temeritate abstinendum esse. Summopere gaudeo, cum a docendi officio sim liber, tanto majorem mihi concedi opportunitatem progrediendi in discendo, dicti SOLONIS memori,

Γηράσκω ἀιεὶ πολλὰ διδασκόμενος· (17)

In principe mihi disciplinarum Philosophiâ innumera superesse scio, ulterius indaganda; in ea praesertim ejus parte, quam SOCRATES e coelo in terram deduxisse fertur, ea nempe, quam CICERO *vitae ducem* dixit, et quam e Patribus Ecclesiae JOANNES CHRYSOSTOMUS tanti faciebat, ut, quum de sapientia et virtute verba faceret, fecit autem frequentissime, passim eximie voce *Philosophiae* affinibusque vocabulis uteretur. (18). Neque ille, Philosophiae illius adjutricem et magistram optimam, Religionem ab ea sejungere solebat, cujus praesidio nemo ad res suas attentus, et de futuris aeque ac praesentibus cogitans, ad rectum philosophiae usum carere potest. Quale et quantum Dei humano generi de coelo traditum donum, in praecipuis veri gaudii fontibus numerandum! E Sacris libris inexhaustus ille sapientiae stabilis derivandus est fons. Ex perenni hac scaturigine nunquam satis disci potest. Nullus studii horum Scriptorum recte intelligendorum, nullus studii praeceptorum vitae bene regendae finis est. Haec animadvertenti tantum abest, ut senectus sit onus, cujus maxime cupiendus sit finis, ut potius diuturnior sit optanda. Nondum dixi de scientiis, quae quam maxime prosunt, ad sanctissima illa afflatus divini monumenta justo pretio statuenda, et ad usus praestantissimos, futurae aeque post mortem vitae ac praesentis, adhibenda, in quibus quo quis nostri ordinis homo magis exercitatus sit, tanto plus adjumenti, ad universum eorum argumentum penitius cognoscendum et ad omnem vitae usum accommodandum, adferre soleant. Eae profecto omnes continuo uberrimam et late patentem discendi praebent materiam. Longum mihi fuit discendi, et subsidiis ad discendum obviis utendi tempus, sed pauca me didicisse fateor; ea certe perpauca sunt, quae dicere ausim me jam satis scire. Jucunda admodum mihi est adolescentiae recordatio, ad quam saepe reverti soleo; dulcis memoria ejus temporis, quum discere coepi, et vero Praeceptorum, quibus in discendi principio usus sum ducibus. Tua inprimis jucunda mihi est memoria, doctissime HOOGEVEENI! A Te, vitae et studiorum duce nunquam obliviscendo, discere coepi. Tu ante sexaginta circiter annos discendi viam mihi primus monstrasti, ab hoc initio ductam, *Labore improbo omnia vinci* (19) Tu exemplo non minus docuisti, quam disciplina, ad optima et praeclara quaeque sectanda calcar admovisti acerrimum. Est adhuc ante oculos tua, Vir gravissime, imago, quam quoties mihi propono, late patentium tuorum in literas, praecipue Graecas, meritorum et beneficiorum multiplicium, mihi quoque collatorum;

memoriam grata mente recolo, nec solum immensae tuae eruditionis, et indefessae in studiis persequendis constantiae, sed et summi candoris et minime fucatae pietatis, magna cum voluptate animo obversatur memoria. Neque mente excidit memoria praestantium virorum, qui in Academia Lugduno Batava, ad monstratam a tali magistro studiorum viam fideliter tenendam, auctores mihi et duces fuerunt. E disciplina HOOGEVEENII me humanissime susceperunt DAVIDES RUHNKENIUS et LUDOVICUS CASPARUS VALCKENARIUS, quales et quanti Viri, nunquam satis laudati! a quibus si non didicerim, quod a magistris tam accurate et omnino excellentis doctrinae disci poterat, non languidioribus proficiendi studiis et conatibus, sed ingenii mei tarditati tribuendum est. *Disciplinae*, quae accesserat, WYNPERSSIANAE, mihi grata quoque admodum in hunc usque diem est memoria. Quantopere eam a longo tempore admiratus sim, Tu nosti, clarissime Collega, qui in disciplinae et famae paternae societatem veneras. Doleo, Te valetudinis infirmitate jam aliquot annos impeditum esse, quominus in inchoato opere progredi potueris. Beatam Tibi jam convalescenti, ab opere quietem sincere opto et a Deo precor. Mihi in scholam WYNPERSSII Patris, sapientissimi viri, ventitanti nova erant et inaudita omnia. Is vero, ut ipse Vir erat acutissimi ingenii, ita nostra discipulorum ingenia acuere et excitare solebat, ad inquirendum et judicandum verum. Non recentiora tantum Philosophemata nobis accurate exponebat, sed in scholas quoque veterum praestantiorum, quos magni faceret, nos introducebat. Ego ex illorum, et omni Philosophiae, studio hunc praecipue fructum tuli, ut intelligerem, a vanitate plurimorum philosophantium mihi cavendum, et omnino parce et non nisi prudenter philosophandum esse, quae mihi postea cautio in Theologiae studio magno usui fuit. Ad illud progressus, primum adii scholam IOANNIS IACOBI SCHULTENSII, cum paucis comparandi Viri, cujus multiplex et exquisita doctrina, quam semper suspexi, mihi multis modis valde profuit. Is me ad fontes Hebraicos deduxit, et interiora mihi monumentorum Orientalium penetralia aperuit, et ad haec studia ita allexit et accendit, ut multos annos quam maxime in deliciis essent. (20) Ab eodem et Collegis, variae et uberrimae doctrinae Viris, ad Theologiam adductus, horum omnium disciplinam diligenter in meas partes adhibui.

De diversis et magnis eorum in me meritis alibi me dicere memini. In quibus hoc non fuit infimum, quod eorum opera inprimis lectu digni mihi innotuerint libri, veteres aeque ac recentiores, et in his exteri aeque ac nostrates, ex quorum assiduo et prudenti usu plurimum in me emolumenti redundavit. Multo magis utilis mihi evasit ipsius Codicis Sacri, tam Hebraei quam Graeci, quotidiana et identidem repetita lectio, de cujus momento, ordine modoque universo admonere solebat SCHULTENSIUS.

Gratus, solenni hoc die, Vestris omnium manibus consecratur discipuli non indocilis animus. Consecro quoque manibus Collegarum, quibuscum in docendi partes veneram, ad beatiores jam sedes translatis, quorum consortium mihi non uno nomine jucundum et utile fuit! Nec minus Vestrum, Optimi Collegae, in quorum societate mihi adhuc vivere conceditur. Cum magna vos veneratione compello, nec minus grato in Vos omnes animo. Quid Vobis referam pro humanitatis et amicitiae tot documentis, quibus me semper prosecuti estis? Quid referam pro praestitis mihi omni tempore officiis, et hodie cum maxime mihi habito honore? Laeto Vos omnes animo adspicio salvos, bene valentes, vegetos; maxime seniores. Omnipotens Deus Vos omnes et singulos, in emolumentum Academiae, cujus ornamenta estis et columina, quam diutissime conservet! Gratulor Academiae ab aliquot annis insigniter auctum talium Doctorum publicorum numerum! Gratulor Ordini Senatorum tot Viros cujuscunque eruditionis laude celebres identidem adjunctos; etiam Ordini Theologorum, in quorum numero etiam Vos, amicissimi Viri, VAN HENGEL et KIST, ex hoc loco, me Collegas salutare posse, pergratum est, et nihil quidem gratius mihi accidere potuit, quam quod Tu, HENGELI, roganti mihi a Rege datus sis successor.

Gratulor Vobis, Theologiae studiosi, tales quatuor viros, suis singulos laudibus inclarescentes, quibus omnibus benignissimum Numen impense faveat! Tibi praesertim, optime CLARISSE, cui denuo inflictum vulnus acerbissimum dolemus omnes, dolet Academia Lugduno Batava haud minus, quam Groningana! Dolet omnis eruditus Orbis. Et Tu animo sis fortis, Dei et Religionis Christi vi fretus! Vobis omnibus, Academiae Cives, gratulor magnam, quae vobis in hac Academia magis magisque suppeditatur, opportunitatem discendi ab exemplo, et multiplici institutione tot celebrium Virorum, de quibus

bus Pallas Batava gloriari potest. Equidem sortem meam admodum felicem praedicare solitus sum, cui contingeret in consortio vivere talium Virorum, a quibus tantum disci possit. Mihi vero discendi tempus ad finem vergit. Vestrum, ornatissimi Juvenes, Vestrum, Commilitones, est discendi tempus. Et Vos ad discendum huc venistis. Non deërunt fructus; non deërunt honores. Vivite felices, mei memores, et me, ut facitis, amate!

Quod reliquum est, pia nuncupo vota, ut Academiae Lugduno Batavae, bonarum mentium altrici, incolumitatem, increscens identidem decus et gloriae perpetuitatem Deus Optimus Maximus largiatur! Cui pro omnibus tota vitâ in me indignum collatis beneficiis, et hujus tanti beneficii accessione, quod hunc diem mihi concelebrare licuerit, sit laus, honos et gloria!

DIXI.

❁

ANNOTATIO.

Ad pag. 4. (1) Optimum Fratrem, D. C. VAN VOORST, plurimum venerandum Doctrinae Divinae Interpretem Amstelodamensem, ejusdemque vindicem meritissimum, virium imbecillitate praepeditum fuisse, quominus festo ipsi valde desiderato interesset, maximopere doleo.

Pag. 5. (2) *Hall.*

Ibidem. (3) *Wageningen.*

Pag. 6. (4) Quum Ziericzeae essem, a. 1785, periculum virium facere coepi, me conferendo ad tractandum argumentum quaestionis ab *Instituti Teyleriani Theologici Moderatoribus* propositae, *De Scepticismi insania et asserendi temeritate in causa Religionis, nec non de media via hanc inter atque illam tenenda.* Styli Latini exercendi gratia, Latine potius, quam Belgice, hanc Disputationem conscripseram. Exstat vero, ex recepta Instituti consuetudine, in Linguam Belgicam conversa, in *Operibus Instituti Teyleriani Theologici*, T. VII. p. 229—330. Anno sequenti fundata *Societate Hagana*, cui proposita esset defensio Religionis Christianae, avide arripui opportunitatem pro sanctissima hac causa concertandi, et a Moderatoribus Societatis probata et praemio coronata est opera, quam impenderam conficiendae Commentationi, *De arctissimo nexu doctrinarum Religionis Christianae, quae eximie Theoreticae dici solent, cum Practicis, et illarum quoque uberrimo usu, et vi quam maxime salutari ad recte et beate vivendum.* Primum locum occupat inter *Commentationes Societatis*, a. 1787. Scripsi paulo post, et ad vulgandum, inter opera Societatis, si non displiceret, misi *Specimen Animadversionem De Authentia et Integritate Euangelii Matthaei, nec non de authentia loci ejusdem libri*, Cap. XXXVIII. 19. Exstat in *Opp. Soc.* a. 1788.

Ibidem. (5) Franequerae, a. 1788.

Pag. 7. (6) Ibid. editum, a. 1790.

Ibid. (7) a. 1792.

Pag. 8. (8) Cl. KEMPER in Orat. *De aetatis nostrae fatis, exemplo gentibus, ac praesertim Belgis, nunquam negligendo*, in *Annal. Acad. Lugduno-Batavae* a. 1815--1816. p. 141, 147. Clar. SURINGAR, Orat. *De variis quae rei Christianae obortae sunt, calamitatibus, in illius commodum atque salutem, divina moderante Providentia, conversis*, p. 17--22. et 34, 35. *Annal.* a. 1826--1827.

Ibid. (9) Prodiit Franequerae, a. 1791.

Ibid. (10) Franequerae quoque, a. 1792, conscripsi Disputationem, *De poenis divinis.* Reperitur inter *Commentationes Societ. Haganae* a. 1794. editas, 1796.

Pag. 9. (11) Exsistebat Arnhemiae, et, ni fallor, etiamnum exsistit Societas Literas humaniores et disciplinas Physicas amantium Virorum. In horum collegio, cui et ego nomen dederam, ne otiosus sólum auditor vel spectator viderer, praelegi a me confectam Commentationem, *De obviis in scriptis Veterum indiciis notitiarum rei Astronomicae, cum Observationibus recentioris aetatis diligenter conferendarum.* Confeci quoque, dum Arnhemiae essem, Dissertationem *De regia* JESU CHRISTI *dignitate et imperio universali.* Edita est Amstelodami a. 1799. De scriptionis et editionis consilio monui in Praefatione.

Ibid. (12) Prodiit eo ipso anno Lugduni Batavorum.

Pag. 10. (13) Lugduni Batavorum, a. 1804.

Pag. 12. (14) Ibid. a. 1809.

Ibid. (15) Ibid. 1817. et in *Annal. Academiae Lugduno Batavae*, a. 1816--1817. Exemplum Foederis, quod Imperatores Austriae et Russiae cum Rege Borussiae inierunt, et cui plerique Principes Europaei, in his quoque Rex noster, nomina subscripserunt, aliaque ad ejus historiam pertinentia, continent subjectae Annotationes.

Pag. 14. (16) Verbo tantum hic noto, me, ad usum discipulorum, brevem Compendii Theologici descriptionem antea saepe mutata subinde forma, dictatam, hic loci, sub titulo *Ordinis* ejus et *Argumenti*, in lucem produxisse a. 1808. Editio secunda prodiit a. 1814. Tertia a. 1827. Ad amicam quoque inter Commilitones disceptationem, edidi *Annotationes in Loca selecta Novi Foederis*, a. 1810. 1811. 1812. et *Animadversiones de usu verborum cum praepositionibus compositorum in Novo Testamento*, a. 1818, 1821. Publicam, me praeside, defensionem laudabiliter sustinuerunt J. AMERSFOORDT, D. RYKE, J. HERDERSCHEE, C. VAN DER LEEUW, et J. B. H. BRUINIER.

Adscriptus socius variarum Societatum, subinde publice verba feci, et scriptiunculas inde enatas in lucem emisi. In editarum numero non fuit oratiuncula, quam ante aliquot annos, in publico conventu *Societatis Literarum Belgicarum* *Lei-*

Leidensis, habui *De meritorum* HUGONIS GROTII *literariorum varietate, et singulorum magnitudine aestimanda et dijudicanda.* Nuper vero consilium cepi ejusdem non multum mutatae lectionem repetendi in conventu *Classis Tertiae Instituti Regii*, et paulo post, adjectis Annotationibus nonnullis, qualecunque opusculum subjeci judicio Classis, id ad edendum inter Opera Societatis desiderantis.

Pag. 17. (17) Exstat JO. MEURSII liber, quem inscripsit SOLON, Hafniae, a. 1632. ubi cap. XXIX hujus sapientissimi Viri *Dicta Praeclariora* congessit, et de ejusdem senectute docte egit cap. XXX. Miror, eum versum, cujus haec, quam attuli, pars est, non attigisse. Memoraverat PLUTARCHUS in *Vita Solonis*, *Opp.* ed. a. 1620. T. I. p. 96. Etiam plus semel PLATO ejus meminit, ex quo CICERO summam dicti repetiisse videtur in *Catone Majori*, cap. VII.

Pag. 18. (18) De frequenti in ejus scriptis, hoc sensu, usu vocum *φιλοσοφία*, *φιλόσοφος*, *φιλοσοφεῖν* affiniumque, nonnulla monui in *Annotatione ad* JOANNIS CHRYSOSTOMI *Selecta*, brevi, si Deo placiturum sit, in lucem proferenda.

Ibid. (19) Vir egregius, cui VIRGILIANUM illud passim in ore erat, mirifice quoque delectabatur, saepe recitando versu Poëtae veteris, quem EPICHARMO tribuit XENOPHON, *Memorabilium* Lib. II. cap. I.

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγάθ' οἱ θεοί.

Pag. 19. (20) Antequam Academiae valedicerem, scripseram Dissertationem Philologicam, *De Correctione Masorethica, qua particula negans in ajentem, et contra, mutatur.* De quo specimine juvenili hortante et approbante SCHULTENSIO, edito a. 1778, omnino benivole eodem anno judicavit optimi Praeceptoris dignissimus Filius et postea Successor, HENRICUS ALBERTUS SCHULTENSIUS, Amstelodamensis tunc Professor, in *Bibliotheca Critica*, a WYTTENBACHIO, Viro clarissimo eodem fere tempore edi coepta, P. III. p. 129--131. Mihi, maturiore aetate, praestita mea in argumento Critici generis opera minus placuit, et de emendata Critices V. T. tractandae via, et aucta in dies supellectile Critica valde gravisus sum. Brevi post absolutam dissertationem ad me pervenit *Editionis* V. T. KENNICOTTIANAE Tomus I et deinde etiam T. II. et innotuerunt de hoc opere judicia virorum doctorum, in quibus summam mihi voluptatem attulit elegantissima et omni parte eximia peritissimi arbitri, H. A. SCHULTENSII censura operis KENNICOTTIANI, et hac opportunitate praemissa disputatio *De Critices Veteris Testamenti tractandae ratione cum pristina tum hodierna*, in *Bibliothecae Criticae* P. I. Aliquot annos post de incredibili hac rerum conversione eandem fere sententiam dixit clar. SCHROEDERUS, in habita Groningae a. 1787. Oratione, *De Critica Veteris Testamenti*, quam, consentiente Auctore, edidit cl. E. SCHEIDIUS, a. 1792. in Opusc. *De Ratione Studii.* P. III. Et sensim omnes hujus studii amantes consenserunt.

* * *

PETRI JOSEPHI LEMOINE,

EX LEODIO IN PROVINCIA LEODIENSI;

PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM
CANDIDATI,

COMMENTATIO

QUA RESPONDETUR AD

QUAESTIONEM A CLARISSIMO PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITERARUM HUMANIORUM ORDINE IN ACADEMIA LUGDUNO-
BATAVA A. MDCCCXXVIII POSITAM:

„ *Ita explicentur diversae Adsensus formae, quae dicuntur Scientia,*
„ *Fides, Opinio, ut inquiratur primum in cujusque* naturam, ra-
„ tionem *et* potestatem; *deinde, quare certa collocanda sit stabilis-*
„ *que fiducia in Rationis humanae auctoritate, denique, quam late*
„ *pateat haec Rationis auctoritas cum* constitutiva, *tum* normativa."

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. IX MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXIX.

PROOEMIUM.

VIRI ERUDITISSIMI!

Inde ab eo tempore, quo primum in philosophiae studiis tabernacula vitae collocare aggressus sum, critica schola maxime ad suam me rapuit disciplinam. Ex omnibus vero eis, quae ab illius scholae principibus agitari solent, quaestionibus, nulla mihi major, nulla magnificentior, nulla denique dignior quam acutissimi viri pertractandam susciperent reperiri posse visa est, quam illa in qua haec versabitur scriptio. In illa enim de firmissimis universae philosophiae ponendis fundamentis agitur, plurimos insuper constat antiquiorum errores ab eadem aut neglecta prorsus aut perperam tractata ortos esse, recentiorem vero philosophiam eidem rectius solutae suam debere praestantiam; itaque ad vestram hanc quaestionem, statim ac a vobis positam legi, non sine ardore quodam juvenili respondere constitui; ter tamen a labore suscepto inchoatoque difficultate rei deterritus, destiti; ego quippe philosophiae tirunculus opus aggrediebar quod non nisi ab hominibus in rebus philosophicis versatissimis bene perfici posse intelligebam, nec poteram non animo reputare me ad vestram respondere quaestionem, qui tum scriptis tum praelectionibus veterem illam elegantiam ac vere *Ciceronianam* puritatem tuemini. Mihi scilicet cum eis maxime philosophis erat negotium, qui ut *Borgeri* nostri verbis utar, in horrido et lutulento dicendi genere se jactarunt. Mox vero cognovi aliter fere accidere non potuisse; in rebus quippe inusitatis verbis inauditis uti oportuit. Quis igitur summos reprehendat viros, qui plurima nova dicentes, plurimis quoque novis usi sunt verbis? Nova itaque verba ipso philosophiae progressu introducta timidius evitare velle putidum credidi, pressumque quoddam scribendi genus, quod a scholae barbariae multis forsitan non longe abesse videbitur, interdum sequendum putavi, ne verborum elegantiae nimium indulgenti res ipsae mihi ut juveni e manibus elaberentur. Sed quorsus haec? .... judicium penes vos est.

Antequam vero ad rem ipsam accedam, quaedam de ratione quam in hac disputatione secutus sum praefari liceat. Sic autem a vobis posita est, *Literatissimi Viri*, quaestio, ut ipsa afferat scriptionis hujus partitionem. Tenebo igitur eum disserendi cursum quem ipsi monstravistis, eritque commentatio haec in duo capita distributa.

In priori capite diversas Adsensus formas quaenam et quales sint exponam, primumque proposita propria sententia, diversas tum veterum tum recentiorum philosophorum de Scientiae, Fidei, Opinionisque natura, ratione ac potestate sententias addita brevi earum dijudicatione subjiciam, quo majorem scilicet scientiae speciem expositio ipsa prae se ferat, quoque magis, quî ad propriam pervenerim sententiam, in aperto fiat.

In altero vero capite quaenam sit et qualis, quam late denique pateat *Rationis* auctoritas, inquiram. Primum Logica duce statuam in universum veram cognitionem nos ac scientiam assequi posse; post Metaphysica docebit juxta intelligibilem sensibilemque mundum humanae patere menti; evincere denique conabor cognitionem sensualem etsi nullo intellectus rationisque conatu ad verae scientiae dignitatem ac potestatem evehi potest, continuo tamen propius ad illam accedere posse, intellectualem vero ac multo magis adhuc a pura ratione profectam cognitionem ad summam omni ex parte perfectae scientiae praestantiam perduci posse, quo per se sequetur « *Certam collocandam esse stabilemque fiduciam in rationis humanae auctoritate.*"

Haec de instituti mei ratione, quam magis adhuc ipsa disputatio explicabit.

⁂

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

CAPUT I.

Prima haec quaestionis propositae pars, etsi primo aspectu facilior esse videatur, non paucas tamen, imo graves, si rem proprius ac penitius consideres, offert difficultates. Equidem historia Philosophiae tum antiquae tum recentioris edoctus multam esse de scientiae, fidei opinionisque natura, ratione ac potestate philosophorum inter se dissensionem magnamque concertationem, omnia prius philosophorum tum veterum tum recentiorum hisce de rebus placita accuratius recensere, inter se conferre, unum alterius ope confutare, unius defectum per alterum explere, ac certo denique ponderare judicio quid in illis verum, quid falsum videretur esse, constitui, quam propriam de tanta re opinionem sisterem probaremque. Cum autem rerum copia plus justo urgerer, primum eo animum intendi ut praecipuas duntaxat seligerem opiniones quibus maxime incumberem. Itaque apud veteres diligentius Aristotelis et Zenonis doctrinas sum scrutatus; inter philosophos vero qui seriore aevo floruerunt, Philonis Judaei et Augustini placita, apud recentiores denique Kantianam, Jacobinam et Schellingianam disciplinas majori cura tractandas esse existimavi. Tot jam diversis sententiis ad pauca capita redactis, causam tanti dissensus explorare non arduus fuit labor, causa autem reperta verum a falso rectius et faciliori opere discernere, meam denique sententiam securius aperire poteram; nec quisquam, ut mihi videtur quidem, modo rem non segniter tractet, doctrinam de scientia, fide et opinione cum metaphysicis placitis arctissime esse conjunctam, ab horumque stupenda prorsus diversitate tantam de illis rebus ortam esse dissensionem, inficias ibit. Sic fidem practicam Kantii genuit metaphysicum de vi ac potestate rationis in rebus ad speculationem pertinentibus *praejudicium;* item opinio quaedam anticipata de rationis humanae imbecillitate suam Philoni et Augustino de fide doctrinam veluti suggessit; sic obscurus quidam sensus, quem fere mysticismum diceres, Eschenmajeria-

nae

nae fidei originem dedit. Ego vero experientia edoctus, ab omni metaphysico dogmate omnique anticipata opinione immunis, initiis ac progressu rationis humanae quam potui diligentissime perspectis, facultatum autem nostrarum ac diversarum cognitionis nostrae specierum natura accuratius investigata, comparatis denique, ut jam supra dictum est, diversis opinionibus inter se, aliisque per alias refutatis propriam elicui sententiam, quam, vobis etsi probatum iri nullo pacto confidere possim, diligentiae tamen meae specimen vos accepturos esse spero; sicque primi capitis materie praeparata, hanc in scribendo rationem sequendam esse putavi.

Expositis primum pro modulo nostro diversarum adsensionis formarum, scientiae, fidei opinionisque natura, ratione ac potestate, explicationem non vanam scientiae speciem prae se ferentem a nobis optimo jure exspectari ratus in ejusmodi imprimis quaestione quae prorsus ad criticam philosophiam pertinet, diversas diversorum philosophorum tum veterum, tum recentiorum recensitas subjicere sententias cum brevi earumdem dijudicatione non abs re esse judicavi, ea maxime mente, ut, qui ad meam de diversis adsensus formis doctrinam pervenerim, in aperto fieret.

Jam vero tempus est ut materiam aggrediamur.

Recte igitur Stoici illi veri videndi cupiditatem homini innatam esse perspexerunt. Mens humana enim continuo ad verum tendit, enititur, nec falsum nisi sub specie veri amplecti potest. Ita vero a natura comparatum est, ut nihil apud nos veritas valeat, nisi vi quadam munita ac confirmata sit, quam nemo mortalium effugere queat, nec quidquam pro vero tenere possimus, nisi ista vi aliquo modo moveamur. Vis ista apud philosophos *certitudo* appellari solet; ille vero, qui eadem motus, aliquid pro vero tenet, *adsentiri* dicitur, quod optime notat vox germanica: *das für wahr halten.* Diu autem attentum rerum scrutatorem latere nequit, non idem omni in re veritatis esse pondus, non eamdem auctoritatem, utpote cujus vis certis in quibusdam rationibus, quae varii sunt generis, omnis est posita. Si quis enim quo sint in loco generis humani cognitiones quaenam et qualis earumdem vis sit et auctoritas attentius consideret, facile perspicit nonnullas notiones ita compositas esse ut singulis et universis probatae sint; longe plures vero singulorum duntaxat tenere mentes, nec pauciores, quamvis non omni ratione destitutas, tamen nec singulis nec universis probatas esse, nec nisi (absit verbo invidia) veluti quodam fiduciario jure proponi permittique; quae sane res formam adsensus triplicem jam indicare videtur. Cum autem in re ad scientiam pertinente empirica ratio minus valeat, Kantianam deductionem sequi satius habeo: „Adsensio, sic disputat ille (1), aut certa est, aut incerta; illa rationibus quae menti humanae satisfaciant, hae vero secus est superstructa. Adsensio certa autem duplex est, prout ejusmodi sit, ut omnium subigat ac moderetur mentes, aut apud singulos tantum valeat; prior *scientia*, posterior *fides* dicitur. Denique si ea detur adsensio, quae nec apud omnes, nec apud singulos valeat, *opinionem* dicam."

---

(1) Vide *Kants* Logik. Einleitung. IX. p. 95—99.

Homo qualis e naturae manu hasce in terras emittitur, in absoluta rerum ignoratione adeoque in absoluto dubio versatur, nec affirmare quidpiam, nec negare potest.

Primo animi impetu modos omnes quibus res quaedam considerari possit, complectitur, sed nondum e dubio emergere potest, in quo demersus jacet; postquam diu circumspectavit, ac tandem eam nactus est rationem qua de re sibi objecta hoc potius quam aliud ferre judicium potest, tum primum aliquid etsi vacillans adhuc proferre audet: absolutum quidem est sublatum, sed non omne dubium; compertum quidem habet hanc de re judicandi rationem humanae menti non repugnare, imo reliquis rem considerandi oppositis modis rationi magis satisfacere; nondum vero persuasum habet illam esse veram; probabilem habet rei cognitionem, non certam; non multum igitur, sed tamen aliquid jam profecit. Ante nesciebat utrum res sibi proposita intra cognitionis humanae terminos contineretur, utrum cum ratione consentiret nec ne; quisnam inter infinite multos unam eandemque rem considerandi modos magis naturae rei congruat; hi jam nunc nodi sunt soluti; jam non est quod scepticismo cedatur locus, uno verbo opinatur homo. Plura tamen adhuc perficienda restant; nec sistere gradum homo potest nisi ea saltem ratione motus, quae ipsi plene satisfaciat, rem pro vera habeat; illum nactus firma jam tenetur persuasione, jam non dubitat, jam sententiam suam de re proferre, suisque dicta rationibus confirmare audet; laetus que verum se tenere profitetur; attamen si reluctanti non cedat, nec cedit ipsi reluctans; ipse igitur de re persuasum habet, sed aliis persuadere nequit; surdis inania canit, si forte quis illius assentiatur dictis, aut credulus acquiescit, aut ea duntaxat mente ut rem ulterius ac certo magis ponderet judicio; *fidem* igitur habet, nec plura. Mox vero studio nobis a natura insito cogitata nostra cum aliis communicandi, sensaque nostra et ipsis infundendi, longius progredi cogimur donec tandem eo pervenerimus ut non modo nos, sed et reliqui omnes non assentiri non possint, ut jam nulli dubio sit locus, pateat veritas integra, error omnis arceatur. Scientia igitur sola (hi enim quos modo enumeratos proposui characteres, nonnisi in eamdem quadrare possunt) scientia sola omni numero absoluta cognitio est; ejus enim necessario naturae est ut summa gaudeat perspicuitate, summo declaretur ordine, summa veritate vigeat, omni denique ex capite objecto suo respondeat, ut scholae utamur termino.

Scientia autem bipartito dividi potest *in omni numero absolutam*, et *in minus perfectam* scientiam. Haec inductione et analogia nititur, a particulari ad universale regreditur, nec in absolutam unquam converti poterit scientiam nisi infinitum experientiae campum totum omnique ex parte perlustraveris, quo eniti homini natura non dedit; illa contra ab absolutis rerum principiis progreditur, omnisque in se consistit; eadem ad perfectum absoluteque verum systema (concessa scilicet principiorum veritate nec non deductionis rectitudine) natura sua ducit; minus contra perfecta scientia theorias tantum profert; attamen meminerit homo se continuo propius ad absolutam rei cognitionem accedere posse, nec unquam a praeclaro suo conatu ac vere liberali studio desistere debere; sin autem spe sua frustretur, postquam diu et multum inutili labore sudavit, solatio sit illud, quod crebro sermone usurpare juvat:

„ Dans un noble projet on tombe noblement. "

Fides ex auctoritate enasci potest; scientia contra omnem horret auctoritatem; sic pueri parentibus credunt, magistris discipuli; universarum gentium aliqua in re consensus fidem quidem, nequaquam vero scientiam per se solus procreare posset.

Scientia e ratione profecta propria vi viget ut ratio; scientia nihil non explicat, omnem rei materiem ac perfectissimo quidem ordine instructam comprehendit, scientia vera nonnisi uniusmodi est, id est nonnisi absolutis rerum rationibus est superstructa; fides vero multiformis non secus ac opinio; sic fidem habemus sensibus nostris et necessario quidem, habemus et alienis certis sub quibusdam conditionibus: habere etiam possumus tum *practicae* tum *theoreticae* rationi si id practicae vel theoreticae necessitates postulent. Hac de re clar. Denzinger in Institut. Logic. §. 1060, sequentia habet: « Mihi videtur, fidem moralem utique ad cognitionem « ducere posse, eamque semper probandam esse tamdiu, quamdiu rationibus theo« reticis contrarium probare nequeamus. Inde vero nondum sequi videtur, ea de « quibus fide morali constet, talia esse debere, ut rationibus theoreticis confirmari « nequeant. Immo si fides moralis nos doceat, esse aliquam veritatem activae facul« tatis causa necessario admittendam, profundius examen rei instituendum est, ut « eadem theoretice probari possit. Ita fides moralis considerata duplicis utilitatis « est. Namque primo sequelas multas e perverso rationis in theoria usu provenien« tes arcet; secundo sublimiorum vestigationum ansam dat, immo philosophorum « conaminibus continuitatem largitur atque impedit, quominus consilio frustrati ab « inceptis desistant. Me vera loqui, experientia probat. Namque quousque philoso« phorum erroribus delati essemus, nisi fides moralis errorum sequelis continuo re« stitisset? "

Nulla perfecta scientia est quin cognoscamus quibus e fontibus sit hausta, quibus mediis adquisita, et quî ad omnem aliam quae dari possit ejusdem rei cognitionem sese habeat, quo facilius vera a falsis, perfectiora a minus perfectis distinguantur. Opinio autem et fides, etsi sine ratione nec sine conscientia viae, qua ad easdem pervenerimus, esse possint, tanta tamen non postulant: etenim consistet opinio recta si admissa rem dijudicandi ratio omni alia proposita ratione rationi magis satisfaciat; fi-

fides viget si qua ratione nobis constet illam esse veram; scientia vero postulat ut aliter rem considerare omni ex capite repugnet. Scientia a ratione, opinio ab intellectu, fides a sensu imprimis originem ducit.

Cognitio sensualis non ultra fidem fere progreditur, nec nisi minus perfectae scientiae vim assequi potest; cognitio intellectualis verae scientiae vim consequi potest, saepe etiam tamen non ultra opinionem ascendit; cognitio rationalis vero natura sua ad absolutam scientiam usque evehitur.

In philosophia autem opinioni qua tali nullus omnino locus esse potest; purae fidei nullus; scientia sola viro philosopho digna. Ne quis tamen inde colligat me opinionem nullam habere, nullam habere fidem; defendo contra jam ex eo probandam esse opinionem, quod statum dubii absoluti tollat, viamque sic ad magis certa sternat, nec parum ad perscrutanda naturae phaenomena veritatemque detegendam conferat; non semel enim novarum observationum ansam dare potest, praeterea observatis inter se conjungendis atque ad unam rationem referendis inservit; fides vero maxime laudanda, quod primus verae certitudinis sit gradus, assensio firmior, necnon scientiae sit longo licet intervallo proxima tamen; per fidem denique non minimam cognitionum nostrarum materiei partem consequimur.

Haec protulisse sufficiat de Scientiae natura, ratione ac potestate; properemus jam ex proposito nostro ad historicam eam expositionem de qua supra diximus. Prodeant igitur primum Graeci illi, ut omnis doctrinae ac germanae eruditionis, ita et Philosophiae verae parentes purissimique fontes.

Eleatae primi de Scientia et Opinione disseruere; illa, sic dicebant, res quid in se sint (*τὰ πρὸς ἀληθεῖαν*); haec vero quid secundum speciem sint (*τὰ πρὸς δόξαν*) docet; scientia absolutam rerum profert cognitionem, opinio vero probabilem duntaxat gignere potest; illius fons una ratio; hujus vero sensus. Eleatis tamen objici potest ipsos verbo tantum istam admisisse distinctionem; Deo quippe soli scientiam, hominibus autem nil praeter opinionem unam concessisse constat.

Plato Atheniensis Xenophanis Colophonii, nec non Parmenidis vestigia premens paulo longius progressus est. Scientia, sic dicebat, necessario vera docet, opinio vero non omni errore caret, nec nisi ea quae apparent tantum capit; scientia circa rerum essentiam versatur, opinio contra circa earumdem generationem; scientia evidentia ac veritate conjunctis conficitur; opinio sola in evidentia consistit (1). Scientia intelligibilia (*τὰ νόητα*) tantum complectitur, ea scilicet, quae sola ratione comprehendi possunt, ac nulli sunt obnoxia dubio; quae semper sunt, non oriuntur; opinio contra visibilia (*ὅρατα*) capit, quae sensibus scilicet subjecta sunt, quae oriuntur, non autem sunt. Id autem praecipue laudi Platoni tribuendum est quod primus de fide disputaverit, etsi perperam ad opinionem referendam putaverit. « Ἀρέσκει οὖν, sic ait, ὥσπερ τὸ πρότερον, τὴν μὲν πρώτην μοῖραν, ἐπιστήμην καλεῖν· δευτέραν δὲ, διανοιαν· τρίτην δὲ, πίστιν· καὶ εἰκασιαν, τεταρτην· καὶ ξυναμφότερα μὲν ταῦτα, δοξαν· ξυναμφοτερα δ' ἐκεῖνα, νόησιν· καὶ δοξαν μὲν, περὶ γενεσιν· νόησιν δὲ, περὶ οὐσιαν· καὶ ὃ, τί οὐσιαν πρὸς γενεσιν, νόησιν πρὸς δοξαν, ἐπιστημην πρὸς πίστιν, καὶ διανοιαν πρὸς εἰκασιαν (1). » Omissis Xenocrate, qui cognitionem a ratione profectam adeoque absolute certam, firmam ac stabilem scientiae nomine ornavit, cognitionem vero partim ad sensum, partim ad rationem referendam opinionem appellavit (2), nec non Epicuro, qui sensum omnis scientiae fontem, opinionem vero intellectus esse censuit (3), confestim ad Aristotelem properare placet qui longe plura ea in re de qua scribimus perfecit; acutius enim scientiae, opinionis fideique naturam perspexit, diligentius quid inter eas differret declaravit, primusque, quod sane magni est momenti, indicasse videtur, ab opinione, a fide ad scientiam usque progredi licere: cujus rei ratio in eo est posita quod psychologicas et dialecticas res penitius caeteris Stagyrites sit perscrutatus. Itaque Aristotelis de diversis Adsensus formis doctrinam accuratius enarrare operae pretium nobis esse videtur. Aristoteles igitur duplicem rerum habebat judicem, sensibilium quidem sensum, mente vero perceptibilium intelligentiam. Phantasiam autem, cogitationem, intelligentiam, scientiam et opinionem sequentibus definit: « Phantasia oritur ex sensus affectione quadam; phantasiae innixa mens sponte agens phantasma quoddam generale profert; quae animi motio *cogitatio* appellatur, quatenus in mente formatur, *intelligentia* vero quando jam experrecta agit. Ex cogitatione et intelligentia oritur notio sive singularium visorum congeries et ad universale quidpiam redactio, in qua consistit *scientia*, quae accurata est et perfecta, nec labi potest; *opinio* autem dicitur, cum anima cesserit phantasiae ex sensu ingeneratae, et viso assensa fuerit (4). »

---

(1) Cf. *Sextus Empiricus* adv. mathem. p. 164—165. Genevae 1621.

« Intelligere et sentire non est idem; scientia errori omnis est opposita; scientia eorum habetur quae recte percepta sunt; scientia ergo non est sine *prudentia*; — iis quae opinamur, *fidem* habemus; fides post se trahit persuasionem, persuasio rationem, ex ratione vero scientia proficiscitur, recta intelligentia prudentiam, scientiam et opinionem veram conficit (5). »

Hac quidem e psychologia desumpsisse sit satis; pauca etiam e dialectica *Bruckero* duce proferamus: « scire esse intelligere quid res sit, et quae ejus sit causa; demonstrationem esse syllogismum scientiam parientem, et hanc derivari a causis veris, primis, immediatis, notioribus; scientiam non dari nisi rei necessariae; demonstrastrationem fieri e conclusionibus aeternae veritatis, nullam scientiam immediate a sensibus oriri, quia in singularibus versentur."

---

(1) Vide *Plato* de Rep. l. 7. p. 273. *Plat.* opp. t. 5, Lipsiae 1818.

(2) Vide *Sext. Emp.* adv. math. p. 165—166.

(3) Ibid. p. 175—178.

(4) Ibid. p. 178—180.

(5) *Arist.* de anima l. 3. cap. 3—4.

Zeno, ut mihi videtur quidem, proxime omnium quos huc usque recensuimus, attigit punctum; ante enim nemo fidem ab opinione distinctam habuerat; ante viderat nemo scientiam inter et opinionem medium tenere fidem, quod ille saltem suspicatus est; in eo tamen peccavit quod opinationem omnem veluti rationis prorsus alienam a sapientia removerit. Quam nostram sequens e Tullio excitatus locus idemque altero Sexti Empirici loco confirmatus sententiam fulciet satis: « Zeno, inquit (1), impulsionem oblatam extrinsecus φαντασιαν appellabat, nos *visum* appellemus licet. — Sed ad haec quae visa sunt, et quasi accepta sensibus, assensionem adjungit animorum, quam esse vult in nobis positam et voluntariam. Visis non omnibus adjungebat *fidem*, sed iis solum quae propriam quamdam haberent declarationem earum rerum quae viderentur (2); id autem visum, cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile (καταληπτον), sed cum acceptum jam et approbatum esset, *comprehensionem* appellabat (φαντάσια καταλήπτικη). Quod autem erat ita sensu comprehensum, ut ratione convelli non posset, *scientiam*, sin aliter, *inscientiam* nominabat, ex qua existeret etiam opinio, quae esset imbecilla, et cum falso incognitoque communis. Sed inter scientiam et inscientiam comprehensionem illam, quam dixi, collocabat, eamque neque in rectis, neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat. E quo sensibus etiam fidem tribuebat, quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus et vera esse illi, et fidelis videbatur; non quod omnia, quae essent in re, comprehenderet; sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura quasi normam scientiae et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur; e quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inveniendam via reperirentur. Errorem autem, et temeritatem, et ignorantiam, et opinationem, et suspicionem, et uno nomine omnia, quae essent aliena firmae et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat."

Locus Sexti Empirici quem supra dixi sequens est: « Stoïci dicunt tria esse inter se conjugata, scientiam, opinionem, et quae est in eorum confinio collocata, *comprehensionem*; scientiam quidem esse firmam ac stabilem et immutabilem a ratione comprehensionem; opinionem vero imbecillam et falsam assensionem; comprehensionem denique, quae inter utramque intercedit, quae est etiam assensio phantasiae seu visionis comprehendentis. Comprehendens autem phantasia, ex eorum sententia,

---

(1) Acad. Quaest. l. 1. cap. 11.

(2) Id est, quae (a) rebus revera existentibus responderent, (b) eas animo secundum omnem naturam praesentes redderent, (c) omnes earumdem notas continerent, ita ut facile a caeteris rebus discerni possent. (*Sext. Emp.* adv. mathem. p. 182 — 185.)

tia, est vera et ejusmodi ut non possit esse falsa. Ex quibus scientiam quidem dicunt consistere in solis sapientibus; opinionem autem in stultis; comprehensionem vero esse communem utrorumque (1)."

Sensim igitur apud Graecos perfecta est doctrina de diversis Adsensus formis, e quibus fides primum prorsus omissa est, post a Platone et Aristotele in medium prolata sed necdum ab opinione separata, denique a Zenone disjuncta etsi minus dilucide; ex quo conficitur, si rem penitius consideres, diversas inter graecorum philosophorum sectas hac in re parum differre. Omnes enim suum scientiae servavere decus ac principatum necnon fidem cum opinione inferiori loco collocandam censuere. Notionum vero rectus inversus est ordo, scientia fidei postponi coepta est, postquam superba Theologia liberum antea philosophiae regnum invasit. Nemo sane non videt me hisce verbis Philonis Judaei, Gnosticorum Christianorumque doctrinas innuere. Philo enim Judaeus, apud quem argutans explicatio aut effrenata phantasia legitimi rectae rationis usus vices gerere solet, postquam scientiam definivit *συστημα ἐγκαταληψεων ἐγγεγυμνασμενων προσ τι τελος εὐχρηστον* (2); addit: « opiniones semper duas secum pugnantes unam distrahere mentem (*ἀμφοτερας τας δοξας ὠδινει μια ψυχή* (3)."

Principatus lubrici sunt, innumeris insidiatoribus obnoxii; honores et gloriae, nobilitas, sanitas, integritas sensuum, robur pulchritudove corporis fluxa sunt, nilque vere bonum in se continent. Solum igitur certum firmumque bonum est fides, qua Deo creditur (4).

Quisquis Deo credit ex animo, in nulla re creata corruptibilique collocat fiduciam, ne in his quidem quibus sibi placet maxime vi rationali sensitivaque. Nam utraque habet suum consistorium; sed rationalis intelligibilia solum considerat, cujus finis est opinatio. Caeterum opinionum instabilitas et vacillatio vel hinc liquet, quod probabilibus tantum argumentis nituntur et vero similibus. Omnis autem similitudo fallax est, cum sit imago tantum rei quam simulat. Itaque fit ut ratio dux sensuum, dum putat eodem modo tractanda intelligibilia, subinde offenset decipiaturque; at cui contigit omnia corpora de sublimi despicere, et soli Deo constanter inniti certissima fiducia, is vere felix est et ter beatus censendus est (5).

Apud Christianos autem fides scientiae humanae defectum veluti explet. Fides enim ipsis ea est per quam credimus rebus ad salutarem doctrinam pertinentibus, quas ratione nondum assequi possumus, ea tamen mente ut aliquando intelligantur. Ejusmodi fides est assensio ante rationem, neque tamen rationi repugnare censent, quia rationis est aliquid verum habere, ut aliquando intelligatur (6).

---

(1) Ibid. p. 166.

(2) *Philonis Judaei* opera, Coloniae Allobrogum. de congressu quaerendae eruditionis causa, p. 347.

(3) Ejusdem de Sacrif. Abelis et Caïni.

(4) De Abrahamo liber, p. 101. p. 302.

(5) De praemiis et poenis, lib. p. 708.

(6) *Augustinus.*

Haec vero, quam Christiani profitentur, fides revera nihil aliud est ac fides historica, eo tantum superior, quod Deo ipsi hominibusve quos ab ipso missos arbitrantur esse credere putent. Bene tamen animadvertendum est, Christianam fidem omni quidem sapientia humana qualis hisce in terris esse solet et lumine naturali comparatur, longe sublimiorem haberi neque tamen supra scientiam universim sumptam evehi, ut multo potius conditionis instar habeatur, qua data ad veram scientiam usque in altera vita eniti valeamus: fidem nullam habent Christiani nisi ea lege ut aliquando in scientiam immutetur. Peccant autem graviter in eo quod fidem ante rationem ac sine ratione consistere posse arbitrentur, quod rationis esse profiteantur ante aliquid verum habere quam intellexerint.

Medio aevo spreta est ratio, spreta scientia; fides, sola fides omnium regina rerum facta est; fide invicta armati, quae ipsas adeo naturae leges evertere poterat, ad ea usque enitebantur sapientiae divinae arcana, profanis hominibus occlusa, mysticis vero et πνευματικοῖς electisque Domini aperta, quae supra, imo contra rationem erant (Scotus Erigena, Taulerus, Bonaventura). Excipias tamen Hildebertum Touronensem qui fidem definivit voluntariam certitudinem absentium, supra opinionem et infra scientiam constitutam.

Accedamus nunc ad celeberrimum Wolfium cujus de scientia, opinione et fide notiones reliquarum subsequentium ansam magna ex parte dederunt. Ipsi autem scientia erat habitus asserta demonstrandi, hoc est ex principiis certis et indubitatis per legitimam consequentiam inferendi; opinio vero propositio insufficienter probata; fides denique assensus quem praebemus propositioni alicui propter auctoritatem dicentis (1).

Wolfii vestigia pressit Immanuelis Kantius, qui mihi excerpenti manum, quamvis festinantem, in se morari cogit. « Assensus (sic disserit summus ille Philosophiae Europaeae restaurator, quo superbiat Germania, faecunda illa philosophorum parens) judicium est quo aliquid pro vero proponitur (2) et quidem ejusmodi judicium, ut objectivis quidem rationibus (quae in omnium mentes vim habeant, resque plane tales quales revera sunt, exhibeant) inniti possit, semper tamen rationes quasdam in animo judicantis positas ipsique proprias (*einiges Interesse*, ut eum Friesio loquar) postulare videatur (3).

Tres autem adsensus species ita, ut sequitur, deducit: adsensio aut certa, aut incerta est, illa rationibus quae menti humanae satisfaciant, haec vero secus est superstructa. Adsensio certa autem duplex est, prout ejusmodi sit, ut omnium subigat

---

(1) Vid. *Wolfii* Logica, parte II, sect. I, cap. IV.

(2) Vide *Immanuel Kants* Logik, einleitung, I, p. 98.

(3) *Kants* Krit. der reinen Vernunft, Method. cap. 2, sect. 3, p. 848. Lipsiae 1799.

ac moderetur mentes, aut apud singulos tantum valeat; prior *scientia*, posterior *fides* dicitur. Denique si ea detur assensio, quae nec apud omnes, nec apud singulos valeat, *opinionem* dicam (1). Opinioni ea tantum vis est, ut id, quod exhibet, esse possit; fides ad rem quae non modo esse potest, sed et quae revera est, spectat; scientia nonnisi rei necessariae datur (2).

Non idcirco tamen opinio contemnenda; et praevium quidem judicium recte praedicatur esse, ex quo conficitur ut eadem initio praecipue disquisitionis omnis magni sit habenda (3), imo opinioni nullus dari potest locus, nisi quid saltem sciam, cujus ope illa cum veritate conjungatur, quae conjunctio minus plena quidem, plus vero quam fictio arbitraria est. Praeterea legem ejusmodi conjunctionis veram esse oportet: quandoquidem si ratione ejus nil nisi opinionem habeam, omnia in ludo duntaxat phantasiae versabuntur sine ulla ad veritatem adfectione (4).

In scientiis a priori, quae nonnisi in rebus necessario et absolute veris versantur, opinari nefas; opineris tantum licet in rebus experientiae subjectis, quas ideo duntaxat mens humana assequi nequit quod limitatis utatur facultatibus aliisque ejusmodi impedimentis obstaculisque arceatur (5).

Scientia perfectam, firmissimam et apud universos homines quidem convictionem profert, rerumque a priori maxime, interdum quoque rerum a posteriori habetur. In usu autem rationis transcendentali (id est, in notionibus rationis in res extra experientiae fines versatas adhibendis) opinari quidem non satis, scire vero nimium (6), adeoque nec supra fidem hic ascendere, nec infra descendere homo potest. Fides in rebus ad experientiam pertinentibus non versatur; fides historica quam habent, nulla est, si quidem illarum rerum scientiam consequi quis potest; nec in rebus a priori cognoscendis versatur, sed in rebus supernaturalibus quae extra scientiam aeque ac ultra opinionem sunt. Fides igitur e rationibus practicis vim omnem trahat necesse est (7). Fides, vera fides quam habeo, *moralis* fides est, aliter fides *necessaria* dicta, fides rationi practicae atque conscientiae morali tribuenda. Etsi neminem res certo ponderantem judicio latere possit Kantianam fidem ex Augustiniana fide non una ex parte enatam esse, nec ab hac fide differre nisi specie illa egregie philosophica quam ipsi Critices auctor addidit; cui assertioni majorem adhuc vim et auctoritatem conciliat recens orta apud Germanos Theologorum rationalistarum secta, qui fidem Kantianam pro praesidio habent, ipsum vero Kantium verum parentem primumque motorem agnoscunt, non possum tamem mihi temperare quin longius exponam qui effectum sit ut Kantius ad ejusmodi de fide doctrinam adductus fuerit.

---

(1) *Kants* Logik. p. 98—99. Kritik. d. r. V. p. 850.

(2) Logik. p. 99. (3) Ibid. p. 100. (4) Krit. p. 850.

(5) Logik. p. 100—101. Krit. p. 850—851.

(6) Krit. p. 851. (7) Logik. p. 101—106.

Kantius nimirum speculationem Rationis nostrae ultra res experientiae subjectas progredi non posse censebat, categoriarum notiones in has tantum adhiberi posse; unde iis duntaxat objectivam quam dicebat veritatem tribuebat, quae sensus testatur esse. Inde sequebatur rationem humanam de rebus supernaturalibus sic dictis, de Deo, de mentis humanae immortalitate ac libertate nihil statuere posse, quo sane ratio speculans in desperationem non venire non poterat; Kantius autem (*par une inconséquence sublime*, ut praeclare dixit mirae spei juvenis philosophus quidam) rationi practicae eam restituit vim qua Rationem speculantem spoliaverat. Ratio practica ad summum bonum ut enitamur invicta vi praescribit; finis autem nobis necessario propositi conditionibus necessario adsentiri debeo, si certo sciam neminem alias conditiones nosse posse, quae ad propositum finem conducant. Itaque fides quam conditionibus illis tribuo *necessaria* est, ut quae aliae esse non possunt, *moralis* autem, quia rationibus practicis innititur (1).

Fides convictionem eam, quae cum aliis communicari queat, nequaquam profert, nec universorum hominum mentes vi veritatis rapit; convictio quam nobis addit, *logica* non est, sed *moralis* duntaxat, nec dixerim, id *moraliter* certum est, sed potius *ego sum moraliter certus.* Fides ita conjuncta est cum sensu morali, ut illa tam firmiter mihi adhaereat quam hic ipse sensus; itaque quo fortior sensus moralis in nobis est, eo firmior fides ac vividior (2). Fides moralis tamen ea non est quae vacillare possit fidei mere doctrinalis instar, nam quamdiu principia morum consistent, non cadet unquam illa (3), nunquam, sic instat philosophus noster, nisi quis eo pervenerit, ut divinae naturae existentis alteriusque vitae ac libertatis notiones rationi repugnare probet, quod ne quis faciat unquam, non est timendi locus (4). Quid de Kantii doctrina de diversis adsensus formis censeam, jam ex iis facile colligi potest quae supra ipse enunciavi. Scientiae longe plura tribuo; fidem autem practicam qualem concipiebat Kantius prorsus rejicio, eam admitto tantum eatenus, quatenus moralibus quibusdam necessitatibus moti aliquid pro vero admittamus, ita tamen ut non ideo de scientia aliquando assequenda desperemus; praeterea et fidem theoreticam quamdam eodem sensu sumptam non abnuto.

Ritter in opusculo: *die halb-Kantianer und der Pantheismus*, ita Kantii doctrinam petit et quidem optimo jure, ut mihi videtur quidem.

« Unicuivis sana mente praedito liquere fidem, quae non in aeternum perdurat amoris instar, intuitioneque debilior est, scientia in aeternum vera infirmiorem esse; illum igitur de nobis bene meriturum esse, qui non fidem tantum, sed et rerum suprasensibilium scientiam dari posse demonstraret (1). Non intelligi posse, cur res quae conscientiae morali innituntur fidem tantum, non scientiam procreare possint; nos libertatis nostrae facto omnium certissimo nobis conscios, *empiricam* rei consequi scientiam, si a conscientiae moralis facto proficiscamur, *speculativam* vero, si conceptui τοῦ ego puri nostri innitamur. Rationi practicae perperam dari principatum; namque notiones Dei, libertatis et immortalitatis mentis humanae factis conscientiae moralis inniti, haec vero non ratione practica, sed theoretica perspici; omnes denique homines illas in aeternum veras habere debere nisi perversis quis utatur animi affectionibus (2). Placitum istud: « suprasensibile sciri nullo pacto posse" omne scientiarum studium ad internecionem dare; constare enim suprasensibile solum esse revera verum, sensibile vero apparens quidpiam duntaxat esse (3). Cognitionem nostram in rebus sensibilibus quidem radicem habere, sed ita tamen ut ad suprasensibile eniti valeamus (4). Eum qui credit duntaxat esse Deum, nihil certi hac de re assequi posse; doctrinam porro eam quae homini qua phaenomeno (id est in hoc aspectabili mundo in quo solo vivit existenti) libertatem denegat, eidem vero qua mundi suprasensibilis in quo non vivit incolae eam tribuit, tum philosophicam tum religiosam morum doctrinam funditus hoc in mundo evertere (5).

---

(1) Logik. p. 102—104, in nota. Kritik. d. r. V. p. 851—852. Kritik der pract. Vernunft, p. 215—262. Frankfurt und Leipzig, 1803.

(2) Logik. p. 103—107. Krit. d. r. V. p. 857. (3) Ibid. p. 855—856. (4) Ibid. p. 853.

Clar. Ritteri verba mihi sufficere videntur ad monstrandam Kantianam de fide doctrinam falsis superstructam esse principiis nec nisi ad errores ducere posse.

Eodem vero fere tempore quo Kantii placita philosophorum mentes agitarent, nova exoriebatur prorsusque discrepans disciplina auspice Henrico Jacobio, qui non pauciores inter Theologos nactus est sectatores. Huic scientia fide infirmior angustiorque videbatur esse; scientia sic dicebat, e ratione (Logica) profecta paucissima tantum docet, fides contra e sensu orta, non rerum finitarum quidem sensu, sed sublimiore illo, qui nonnisi absolute certa complectitur, sensu, e quo excelsior revelatio quaedam, divinitus traditae revelationi dissimilis, exit; fides certitudinem profert sine probatione ulla, brevi opere nobis datam, ab omni liberam errore, innixam suppositione certa atque praejudicio sine illusione, ipso intuitu certam atque summa confidentia dignam. Eadem perceptio est non phaenomeni alicujus, sed illius quod vere est, contemplatio ex scientia ad immediatam persuasionem ducens, visio incomprehensibilis, mysterium aeternum, convictio nullo argumento innixa, nulloque egens argumento. Omnis cognitio vera ad fidem revocanda, qua nempe ea cognoscimus, quae absolute vera sunt; — breviter, scimus ea tantum quae probari possunt; veritati au-

---

(1) *Ritter*, die halb-Kantianer und der Pantheismus, p. 26 — 27.

(2) p. 28 — 29. (3) p. 30 — 31. (4) p. 31 — 32. (5) p. 33 — 34.

autem non deductae credi tantum potest (1). Quod si Kantii de fide doctrina mihi probata non fuerit, Jacobianam fidem non magis probatam habeo. Fides enim sine ratione, nec ratio sine fide consistere potest. Hic autem satius habeo verbis ipsius Ritteri uti (2).

« Aber wie? Das soll nur ein wissen seyn, was bewiesen werden könne, die erkenntniss der grundsätze dagegen, welche beweisen, ein nicht-wissen? So würde ja das wissen aus dem nicht-wissen folgen. Und welchen glauben erhielten wir als dann? Einen glauben an das sinnliche so gut, wie an das nicht sinnliche, einen glauben an die logischen und mathematischen grundsätze, und dieses alles müsse in eine kategorie geworfen werden mit dem glauben an autorität, an vermuthungen, endlich mit dem religiösen glauben. Wie kann mann so das verschieden-artigste vermischen! Der, welcher seinen religiösen glauben feststellen und gegen zweifel sichern will, wird gewiss nicht damit zufrieden seyn, wenn ihm bewiesen wird, glaube sey nöthig; denn wir müssten doch daran glauben, dass jedes ding und jede grösse sich selbst gleich sey. Wenn man von einem glauben an überlieferung, an autorität, ja an seine eigene vermuthung, die zur autorität wird, hoert, dan sieht man noch die verwandtschaft mit dem religiösen glauben, dem kindlichen glauben der kinder an ihren vater, hindurch schimmern; wenn aber von einem glauben an die grundsätze gesprochen wird, welche aus keinen andern grunde geglaubt werden sollen, als weil sie nicht bewiesen worden sind, so hört alle ähnlichkeit des bezeichneten auf; man kann sich die nacktheit des gemachten wortspiels nicht verhüllen."

Quoties gravis summos inter philosophos oritur dissensus, nunquam fere desunt, (quod et hic factum est agente clar. Friesio) qui, illorum placita inter se reconciliare studeant. Itaque Friesius admisso suam intellectui propriam esse assensionem, suam rationi, suasque utrique facultati proprias esse adsensionis formas, in doctrina earum quas intellectus arbitratur esse, a Kantio minus dissentit; in altera vero doctrinae parte ad Jacobium propius accedere videtur. « Etenim scientia, si intellectum spectes, in veris versatur, opinio verosimilia capit, fides autem opinio est, quam necessitatis alicujus causa veram habemus (3)."

Sequentes loci, quorum unus e primo Critices novae volumine (p. 334), alter vero e secundo volumine (p. 81) excitatus est, Kantii scholam redolent:

1. « *Wissen* heisst das fürwahrhalten mit vollständiger gewissheit. — *Meinung* ist das fürwahrhalten eines vorläufigen urtheils (um uns in sachen des gewissens zu leiten). — *Glauben* is das fürwahrhalten einer behauptung durch interesse."

2. « Das wissen führt zur vollständigen gewissheit, meinung und glauben nur zu un-

---

(1) Vide Idealismus und Realismus, Vorrede, p. 4-5. — Briefe ueber die lehre von Spinoza, p. 215. — Von den Göttlichen dingen.

(2) Vide opusc. supra laudatum, p. 30.

(3) Vide *Fries*, Logik. p. 433.

untergeordneten arten einer mangelhaften gewissheit; indem der beobachtenden reflexion noch ergänzungen fehlten."

Sic igitur tres logicas ad reflexionem pertinentes convictionis formas Fries tractavit. Jam vero ad tres convictionis immediatae, quae rationi propria est, species et formas properare modus operis jubet. Hic autem scientia est perfecta quidem, intuitioni vero innixa certitudo; fides autem certitudo ex ipso rationis fonte profluens; illa denique omni numero absoluta certitudo, quae per sensionem (gefühl) sine ullo determinato conceptu oritur, *ahndung* dici potest. Prima *realis*, altera *idealis*, tertia denique *aesthetica* certitudo jure appellatur (1).

Hi vero tres convictionis modi aequa necessariae certitudinis vi muniti sunt; scientia plerumque majori ornata specie reliquis praestare videtur, fides autem nedum incertior sit adsensus, gradu contra omnium est firmissima, si quidem e pura ratione proficiscitur; nec ullius rei teneremus scientiam, nisi qua convictio e pura ratione enata sine sensu prius in mente consisteret. Etiam praesensioni eadem inest certitudinis vis, etsi ipsius objectum perfecte determinare nobis non detur (2).

Non possumus hic non commemorare clar. Calcker qui Friesii doctrinam tanti habet ut ab hac propaganda universae philosophiae germanicae regenerationem ac restaurationem magnam sperandam censeat (3).

Ego vero Calckero nequaquam assentire possum; namque Frisii placita jam inde peccare videntur, quod e doctrinis non una ex parte inter se discrepantibus enata sunt. Huc accedit quod novae critices auctor justo plures praeterque necessitatem protulerit distinctiones, ac veluti schisma quoddam res logicas inter ac metaphysicas duplici posita Ratione intellectuque, perperam introduxerit, ut omittam anticipationis inauditam quamdam facultatem.

Expositis Kantii, Jacobii et Frisii doctrinis Schellingiana et Eschenmajerina placita describenda restant.

Schellingiani autem scientiam a sola ratione petentes, eam volunt universorum tenere mentes; tempori non obnoxiam, aeternam, veram omnique numero absolutam praedicant, ei vero tantum tribuunt qui omnia in uno, unumque in omnibus intueatur, necnon eo usque pervenerit ut materiam et formam, cognitionem et rem cognitam, finitum et infinitum omnino unum idemque esse perspexerit; opinionem vero pro vario tempore variam continuisque mutationibus obnoxiam, ab hominum commentis adeo pendentem, intellectus esse statuunt; fidem denique quam soli sensui adscribere solent, certitudinem singulis propriam (mere subjectivam ut dicunt) definire solent cui nulla alia fides, nec ulla ejusdem fidei forma opponi possit, quaeque homini propria est, qui nondum ad sublimiores pervenit cogitationes; quam vero secum ipsam pugnare asserunt, statim ac scientiae locum usurpat. Haec quidem apud Schellingianos fuit de scientia, fide et opinione doctrinae institutio.

---

(1) Vide Logik. p. 433. Neue Krit. 2ter theil. p. 82 — 85.

(2) p. 83 — 84.

(3) Vide Urgesetzlehre, p. 53.

Exstitit autem philosophus quidam non contemnendus sane, Eschenmayer qui similia Friesio aggressus, Schellingiana cum Kantianis placitis conciliare studuit, ita scilicet ut fidem iterum in supremo constitueret gradu, quin ea rejiceret, quae Schellingio placuerant; opinionem in probabilibus versari, in veris scientiam censet; scientiam Schellingii absolutam non respuit; negat tantum eam nos uno mentis conamine assequi posse, sed continuo propius ad eam accedere nos posse contendit. Ultra rationem vero contemplationem absoluti esse statuebat et fidem eam quidem qua numen divinum ipsum nobis revelatur; nec porro eam ad scientiam accedere sed multo potius scientiam ad ipsam accedere oportere, ut quae per fidem unam non adhibita ratione certa sunt, scientia juvante declarentur (1).

Paucis jam quid de Schellingii atque Eschenmayeri doctrinis censeam, declarem necesse est. Ille procul dubio fidem quaenam et qualis sit, quamque longe a scientia absit recte definit. Qui autem scientiam absolutam sustineat, non video; ut enim caetera omittam, absoluti notio illa, de qua tot et tanta proferre solet miracula, nihil aliud est ac conceptus, puraque abstractio in intuitionem conversa, ut sic omni sublata rerum diversitate ac contrarietate, absoluta earum stabiliatur identitas, quin ratio rem intelligat.

Eschenmajeriana denique fides mihi nullo pacto probata esse potest. Quaenam enim tandem illa facultas est, Ratione superior, ea nos docens, ad quae Ratio, ultra quam homo progredi non potest, frustra eniti studeret!

Ita igitur diversas de scientiae, fidei opinionisque natura, ratione ac potestate sententias enarravi, breviterque quid in ipsis probandum mihi, quid rejiciendum videretur esse, exposui. Jam vero non sine timore quodam me ad hoc quaestionis propositae momentum: « quare certa collocanda sit stabilisque fiducia in Rationis humanae auctoritate » accessisse video; hic imprimis quantum susceperim onus sentio; gravissima enim omnium haec est quaestio, quas unquam ingenium humanum solvendas sibi proponere possit, quaeque tum modo recte pertractabitur, cum philosophia tandem ad summum perfectionis gradum perducta generi humano errorum istam ac praejudiciorum labem, qua adhuc pollutum oppressumque jacet, eluerit ac detserserit.

Huc usque hac in scriptione, Eruditissimi Viri, de Ratione tanquam de ea facultate dixi, in qua certa collocari posset stabilisque fiducia, eamque omnium rerum reginam ac dominam summamque scientiae, fidei opinionisque rectricem ac moderatricem constitui: nunc vero jam quaerendum est quo nitatur fiducia illa, quo jure tantam Rationi tribuamus potestatem auctoritatemque?

---

(1) Vide *Eschenmayer*, Psychologie, Einleitung, p. 4, 120, 128, 307.

Rationem vero eam esse facultatem qua nulla superior est, cujusque imperio ac moderatu reliquae reguntur omnes, demonstrare non conabor; quid enim juvet argumenta millies repetita invictaque munita vi ac pondere denuo repetere? Possem quoque scepticos facile refellere, possem Empiricorum aliorumque philosophorum doctrinam quam absona sit exponere; Kantii opera huic rei pertractandae sola sufficerent; aliam vero rationem sequi satius habeo; scilicet, nemo non videt, hanc commentationis nostrae partem universam complecti philosophiam, proindeque rite tractari non posse, nisi tota perlustretur haec eamdemque firmo constet inniti fundamento: id est, nisi exponatur quaenam sint et qualia Rationis principia, quamnam habeant vim, utrum et quibusnam datis conditionibus cognitionem empirico-intellectualem ac pure rationalem assequi valeamus, quam late denique pateat in diversis cognitionis humanae regionibus Rationis auctoritas tum constitutiva, tum normativa. Inde autem factum est ut ultima duo quaestionis solvendae momenta in unum coalescerent.

His vero praemonitis, reliqua in altero capite prosequar.

CAPUT II.

Hoc caput igitur duo complectetur momenta: primum scilicet inquiram quamnam vim habeant tum logica, tum metaphysica principia, utrum homo his juvantibus ad cognitionem sensualem ac rationalem juxta eniti valeat; post exponam quam late pateat Rationis auctoritas tum constitutiva, tum normativa.

Principia Rationis igitur pro variis, quibus cognitio nostra conficitur elementis varia sunt; omnis vero cognitio duplici constat elemento, quorum unum *objectivum*, alterum vero *subjectivum*, cum schola appellare juvat; unde quoque duplicis generis principia orta sunt, principia nempe *objectiva* (essendi — rerumve existentiae principia aliter dicta) et *subjectiva* (sub principiorum cognoscendi nomine apud nonnullos celebrata). Illa nihil aliud sunt ac rerum cognoscendarum absolute consideratarum notiones, haec vero aeternas immutabilesque animi cogitantis ac cognoscentis leges complectuntur. Eadem vero haec bipartito rursus in *formalia* et *materialia* principia dividi solent. Etenim unaquaelibet cognitio una ex parte ad operationes animi pertinet, atque ita certum quemdam in modum peragenda est; altera vero ex parte ad rem aliquam nobis objectam refertur, proindeque in se quidpiam contitinere debet quo fit ut ad hanc, non ad aliam rem referre oporteat. Modus ille *forma* dicitur; id vero, quo fit ut cognitio ad certam quamdam rem referatur, *materia* appellari solet, utroque nomine, ut videtur, ab artificum operibus desumpto (1).

Etsi cognitio, nonnisi materia ac forma conjunctis, omni ex parte absoluta dici queat, mens humana tamen vi naturae suae singulas seorsim examinare potest. Itaque si quis cognitionis formam ita ab omni segreget materia, ut nihil praeter formam animus capiat teneatque, oritur *pura forma* sic dicta, id est, purus modus quo cognitio in mente nostra gignitur. Hic autem modus, propterea quod purus sit modus, in unamquamlibet cognitionem, cujuscunque sit generis, natura sua quadrat, proindeque norma est ad quam cognitio omnis sit describenda; inde principia mere formalia apud omnes fere philosophos laudata, in quibus exponendis res logica versatur omnis. Sin autem a conscientiae purae facto progressi non ad puras formas attendamus animum, sed materiam contra cognitionis perscrutemur, prodeunt jam tum non mere formalia, sed vere materialia principia, id est, quae non formalium instar puros exhibent modos quibus cogitationis actus peragitur, sed modos proponunt quibus res de quibus cogitamus necessario existant; quae pura praedicata actus cogitationis non sunt, sed aeterna ac necessaria rerum ipsarum praedicata, quorum breviter expositio praecipuum Metaphysici munus conficit.

Principia materialia igitur ita composita sunt ut ad unum omnia ad cognitionis materiem spectent; alia vero eam quocumque modo vel immediate vel mediate suppeditant, uno verbo rerum cognitionem constituunt, ideoque *constitutiva* dicuntur; huc pertinent Kantiana haec: « Alle erscheinungen sind der anschauung nach extensive grössen. " — « alle erscheinungen enthalten die substanz, welche beharret, und accidenzen welche wechseln; " alia vero nec mediate nec immediate materiem cognitionis offerunt, sed viam duntaxat indicant qua certae cujusdam cognitionis materiem assequi valeamus, ac proinde cognitionem constituunt nullam, sed regulam tantum sive normam proponunt, ad quam rerum cognitionem consequi quis possit, quo fit ut *normativa* seu *regulativa* appellari soleant: quorum exempla haec sunt: « Natura unam eandemque constanter sequitur legem. " « Universa et singula in rerum natura a divina quadam mente fuere ratione modoque constituta. " « In rebus historicis, causarum seriem prosequi continuo debemus, donec ad primam causam usque perveniamus. "

Kantius ac Friesius parum ab hac definitione dissentiunt. Ille enim principium *constitutivum* habet, « welches à priori bestimmt, wie etwas seyn muss oder soll; " re-

---

(1) Vide *van Hemert*, Beginsels der Kantiaansche Wijsbegeerte, eerste deel, §. 2. p. 2—4.

regulativum vero « welches nicht à priori bestimmt wie etwas seyn muss oder soll, sondern wie etwas gesucht werden muss (1). »

Frisius vero constitutivum nominabat principium quoddam: « wenn es, sobald es gegeben ist, sich selbst den fall seiner anwendung bestimmt, so dass die *subsumirende Urtheilskraft*, im stande ist, aus ihm wissenschaft in theoretischer form zu entwickeln; » *regulativum* vero, « wenn die *reflektirende Urtheilskraft* erst zu ihm hinzu den fall der anwendung und seine konstitutive bestimmung suchen muss. » Inde regulativa principia, sic pergit ille, ordnen sich der induction über, sie sind blosse maximen der reflektirenden urtheilskraft, welche sie in suchen leiten, und werden *heuristische maximen* genannt, wenn sie positiv dazu dienen um induktionen für ein gegebenes mannigfaltige zu leiten; so giebt uns z. b. die philosophische sprachlehre solche maximen für geschichtliche sprachforschung, so gab uns die mathematik heuristische maximen, nach denen wir nach der ersten entdeckung neuer planeten im stande wären, sie am himmel wieder zu finden, ihre entfernung und die gesetze ihrer bewegung voraus zu sagen, und eben solche maximen leiten alle experimentale naturbeobachtung überhaupt. » Infra addit: « omne principium mathematicum immediate constitutivum esse; philosophica vero principia ad unum omnia proxime regulativa semper esse » et vere quidem, si dictum putetur mathematicas leges semper immediate, philosophica vero principia plerumque mediate tantum constitutiva esse (2).

Kantius autem recte monuit unum idemque principium constitutivum et regulativum simul esse posse, si diversis ex partibus consideretur. Cujus rei exemplum offert principium *der beharrlichkeit* sic dictum, quod supra jam enuntiavi; constitutivum enim est, si experientiam spectes, id est, nullum dari potest experientiae objectum quod non perseverans simul et mutabile quidpiam contineat; regulativum vero duntaxat, si ad intuitionem referre velis, quia non ponit, quomodo omnis intuitio composita esse debeat, sed regulam tantum subministrat, juxta quam omnibus accidentibus permanens quidpiam fundamento esse debeat, quod intuitio nullo pacto attingere possit, scilicet substantia (3). Mihi vero et haec Kantianae doctrinae addere liceat, principium quoddam v. gr. causalitatis principium dynamicum sic dictum eatenus esse constitutivum quatenus docet in universum nihil experientiae objectum esse posse quin causam tempore priorem habeat, regulativum vero altera ex parte quod viam monstret qua ad veram causam detegendam pervenire valeamus.

---

(1) Vide *Mellin*, Encyclopädisches wörterbuch der Kritischen Philosophie, I. band. art. *constitutiv*. V. bd. art. *regulativ*. Züllichau und Leipzig 1797.

(2) Vide *Fries*, neue Krit. der Vern. 2ter theil §. 151. p. 278—279.

(3) *Mellin*, opere citato: art. constitut.

Idem de principiis *der beharrlichkeit* et *der wechselwirkung* quae vocare solent, valere in aprico est.

Unum adhuc addiderim, principium absolutum, si quod detur, et constitutivum simul et regulativum esse debere.

Sed haec monuisse sufficiat; jam ad rem ipsam propius accedamus. Quod si vero ex proposito nostro primum inquirendum sit: quamnam vim habeant, si rem in universum aestimes, tum logica tum metaphysica Rationis principia? Ordo operis rerumque natura ab illis exordiri jubet.

Quaestio hic esse non potest de principiorum logicorum veritate ac certitudine exponenda; logica enim non secus ac doctrinae mathematicae nulli dubio obnoxia est, nulliusque dissensus fere ansam dare potest; uti geometrarum nullae celebrantur sectae, ita nec logicorum; doctrinae expositio quidem diversa esse potest, sed non doctrina ipsa, ut probant recentiorum quorumdam logicorum conamina, qui nova non docent, sed jam ab antiquioribus temporibus in medium prolata principia novo duntaxat ordine digerere solent. Singulas quidem Logicae partes augeri ac perfici posse non inficior, universae vero Logices fundamenta jam posita esse nec mutanda jure defendere mihi videor.

Quaeritur quanta sit Logices auctoritas potestasque, utrum tantum valeat ut de Ratione humana bene sperari possit. Quae cum inquisitio perfectam omnique numero absolutam rei logicae postulet cognitionem, operae pretium est logices materiam quam late pateat rectius definire. Logica autem in *legibus formalibus cogitationis exponendis*, necnon in via describenda *versatur, qua cogitatio ac cognitio verae scientiae formam assequi possit, abstractione scilicet ab omni certae alicujus cognitionis materie facta.*

Itaque Logices ea est ratio ac natura ut nullo pacto ad aliquam certam cognitionem ducat. Logicus architecti instar cognitionis materiem aliunde accipit, repraesentationes datas elaborat tantum, declarat ordinatque, nihilque eis praeter formam addere potest. Prima ac praecipua sane alicujus certae cognitionis tenendae conditio in recta cogitatione posita est, sed non ideo recta cogitatio certae cognitionis habet vim; principium contradictionis omni quidem cognitioni fundamento est, sed alicui certae cognitioni constituendae nequaquam sufficit. Logicae leges ea quae cogitari ac cognosci possunt indicant; cognitio scilicet, quae notiones in unum conjunctas contineret, quas conjungere lex logica vetat; aut quae in se quidem consistere simul possent, non ita vero ut in putatitia cognitione factum est, nulla foret omnino, notiones quippe secum ipsis pugnantes nec rei repraesentatae ullo pacto convenire possunt; vera autem cognitio plura postulat, eoque tantum confici potest quod rei cognitae omni ex capite congruat eamque omni ex parte qualis revera sit exprimat (1). Logica igitur cognitionem veram, veram scientiam suppeditare nequaquam potest; docet tantum hominem ad cognitionem absolutam, ad scientiam eniti posse; viam nobis monstrat qua cognitionis et scientiae materiem assequi valeamus; docendo enim, ut verbis Frisii utar: « Was einerley und verschieden, einstimmig oder widerstreitend ist, was zum innern oder äussern eines gegenstandes, zur materie oder form gehört; » docendo, inquam, quaenam conjungi queant, quaenam tum secum ipsis tum cum aliis pugnent, quî notiones nostras definire ac declarare, quî ordinare et confirmare debeamus, quî denique verae scientiae formam cognitioni nostrae addere valeamus; eadem innuere videtur, quaenam arcenda sit cognitionis ac scientiae materies, quaenam eligi possit; ex quo conficitur ut certa quaedam normativa auctoritas Logicae sit tribuenda, recteque eam omnis cognitionis canonem nonnulli praedicent. Quid dicam de hoc principio, cui alia multa facile addere possem: « duo judicia contraria simul vera esse nequeunt, » quo scepticorum ratio omnis evertitur?

---

(1) *Metz*, über den werth der Logik im verhältnisse zur Metaphysik und Mathematik, Würtzburg 1814. cap. 2. p. 74—81.

Itaque hanc esse logices vim et potestatem constat ut normativa principia Rationi subministret, quibus freta jam veram quidem scientiam non teneat, spem magnam tamen de sua potestate concipere possit; quibus insistens ad majora eniti valeat; via jam aperta est, solida jam posita sunt fundamenta, jam habet Ratio quo pedem sistat, ut thesaurum illum, quem prospicit, attingat teneatque.

Hac spe freti reliqua jam prosequamur videamusque utrum nihil praeter spem rationi humanae concessum sit, utrum perfecta sapientia ipsi aliquo modo pateat, utrum denique ultra puras formas eniti possit. Sed hic jam prodit Metaphysica Logicae dans manum; ex eodem forte orta longe diversa tamen docet; dum Logica nonnisi puras prosequatur formas, Metaphysica jam rerum ipsarum praedicata nos docet. Videamus igitur quaenam Metaphysices sint principia, quanta eisdem auctoritas jure sit tribuenda. Solius autem Metaphysices materiae conspectus animos jam confirmare potest; omnis quippe cognitionis tum a sensu, tum ab intellectu, tum a Ratione denique promanantis principia docet. A purae conscientiae facto profecta primum illud quo caetera omnia principia, ipsa adeo conscientia pura innituntur principium, primam omnium ac supremam notionem, entis scilicet in universum absolutoque sensu sumpti ideam complectitur. Mox ad principia sensus, sive ut alio utar verbo, puras spatii temporisque intuitiones, quas certissimis adeo doctrinis esse constat fundamento, properans, entis finiti consequitur notionem. Inde pergens deducit principia intellectus sic dicta, quia ita sunt composita ut ipsis juvantibus certam rerum intelligentiam assequi valeamus. Recensebo duntaxat principia haec, accuratius enim deducere nimis longum foret. Eadem vero in classes hunc fere in modum distribui solent; prodeunt:

a.) Unitas, Multitudo, Omnitudo.
b.) Positio, Privatio, Indifferentia.

c.)

c.) Substantia et Accidens; Causa et
Effectus, mutua rerum efficacia.
d.) Possibilitas, Actualitas, Necessitas.

Unum addiderim, notiones has ad unum omnes in duplici adhiberi posse sensu, in absoluto scilicet et relativo sensu, ut experientia testis probat; sic unitatem tribuimus modo rei sensibus subjectae, modo rei sensus transscendenti; sic unum dicimus esse deum; unam esse fabulam, quo sensu praescripsit Horatius: « denique sit quodvis simplex duntaxat et unum." Sic etiam causae notio modo hoc, modo altero usurpatur sensu. Huc accedit quod multa inde commoda in rebus metaphysicis oriantur, multique evitentur errores.

Caeterum humana mens viam inchoatam persequens ad infiniti ideam tandem perducitur, quae cum purae conscientiae facto adeo arctis connexa est vinculis, ut ab illo separari non possit.

Ut vero paucis jam omnia contrahamus: Conscientia pura, Sensus, Ratio rerum cognoscendarum absolute spectatarum notiones offerunt, proindeque principia objectiva, quae supra dixi; quae vero intellectus usum regunt ac moderantur leges nullius rei notionem praebent, docent tantum quî res aliunde datae cognosci omnique ex parte intelligi possint ac debeant. Finiti quidem idea intellectusque leges transeundae hic esse videntur, infiniti vero notio in se me morari cogit: eam itaque quî in mente nostra oriatur, quaenam et qualis sit, accuratius exponam.

Mihi igitur primum monere liceat Rationem impulsione quadam extrinsecus oblata ad ideam infiniti nullo pacto perduci posse; illa enim in se consistit omnis, nec nisi propriis viribus uti potest; aquilae instar illius, quae pedem vix sistit in terra, quum jam libero impetu in altum evolat longeque supra terram sublime fertur. Ratio extra cancellos, quibus homo sentiens depressus continetur, nisu suo egressa ad infinitum usque et immediate quidem pervenit; illa caeteris quidem facultatibus addit vires omnemque qua consistunt firmitatem, ipsa vero a reliquis nulla ex parte pendet, sibique bene fidens sublimioris laboris nullam fert participem; sensus ut qui in finito versatur omnis, illi succurrere non potest; nec ipse adeo intellectus, namque ultra res sensibus subjectas progredi nequit, indefinitum quidem facile assequitur, semper vero infinitum ipsi in profundo demersum esse videtur; non interrupto quidem nisu a causa ad causam ascendit, nunquam vero absolutam rerum causam assequi potest; ubique quidem offendit, nusquam vero tenet infinitum; sic statuit id, quod unum una ex parte est, altera ex parte infinite multa esse; substantiae infinite multa accidentia inhaerere posse; indefinitam porro esse causarum et effectorum seriem, rerum denique ortum et interitum in aeternum perdurare docet, haec omnia vero infinitum illud non sunt, quod absolutam existentiae affirmationem in se continere debet, quo perfecta et adaequata rerum intelligentia inniti possit. Sic jam monstrato Rationem unam per se et immediate infinitum assequi posse, qui revera illud assequatur declarandum restat. Ratio pura igitur nihil aliud in se est ac mens purorum principiorum quae necessario sequi debet conscia, sive ut brevius dicam, mens semetipsam pure cognoscens; jam vero si res ita sese habeat, rationi scripta lex ac proinde infiniti idea in eo continetur cujus fundamento conscientia pura (mens sui pure conscia) nititur; quod cum *τὸ esse* in absoluto sensu sumptum sit, hoc vero comparate in ea cum *τῷ esse* insensu relativo sumpto versetur relatione in qua infinitum cum finito versari constet, inde conficitur ut infinitum jam offenderimus firmaque manu complectamur. Inde porro sequitur illud ad postulata sic dicta nequaquam esse referendum, ut quod ex supra dictis cum ipsa conscientia pura rationi datum esse constet, non habemus autem quod quidpiam nobis jam datum postulemus. Quam quidem sententiam pluribus argumentis ab experientia desumptis facillime quis confirmare posset; his e. c., nullam esse linguam, cui vox infinitum desit; nullam esse gentem adeo barbaram, apud quam non aliquod vitae institutum reperire possis quod infiniti notionem obscure saltem non exprimat; nullum denique spirare hominem adeo ferum et immanem cui non insit sensus aliquis (ut sensus pulchri, boni, sensus religiosus etc.), una infiniti idea explicandus; in ejusmodi vero argumentis non moror; sufficiat argumentum supra allatum tenere.

Etsi jam in infinito longiusculus fuerim, non possum tamen mihi temperare quin eorum reprehendam errorem, qui, dum interna rerum rimari deberent viscera, in externa tantum specie grammaticisque formis haereant, puramque infinitum esse negationem nec nisi ad abstractiones referendam asseverent. Quibus cum celeberrimo Fenelone primum respondeo: « L'idée que j'ai de l'infini, n'est ni confuse ni négative, car ce n'est point en excluant indéfiniment toute borne que je me réprésente l'infini. Qui dit *borne*, dit négation simple; au contraire, qui nie cette négation, affirme quelque chose de trèspositif. Donc le terme d'infini, quoiqu'il paraisse un terme negatif et qu'il veuille dire non-fini, est néanmoins très positif; c'est le mot de fini dont le vrai sens est trèsnégatif. Rien n'est si négatif qu'une borne; car qui dit borne, dit négation de toute étendue ultérieure. Il faut donc que je m'accoutume à regarder toujours le terme de fini comme étant négatif; par consequent celui d'infini est très positif. La négation redoublée vaut une affirmation, d'où il s'ensuit que la négation absolue de toute négation est l'expression la plus positive qu'on puisse concevoir, et la suprême affirmation. Donc le terme d'infini est infiniment affirmatif par sa signification quoiqu'il paroisse négatif dans le tour grammatical. ”

Ideam vero infiniti a finiti notione abstractam non esse ex eo colligi potest, quod unum cum altero pugnet, nec infiniti quidquam finitum in se contineat. Huc accedit quod illud hujus ultima sit ratio, non quod tamen dictum putem infinitum nos in tempore prius animo complecti quam finitum; illud enim adulta tantum ratio assequi potest.

Quod si quis denique dubitet nos sensuum veluti angustiis clausos infinitum immediate complecti posse, reputet velim hominem, quocumque modo id fiat, supra sensum ascendere infinitique notionem sibi vindicare; meminerit primos adeo Graecorum philosophos, etsi soli sensui fidem haberent, movente tamen instinctu quodam philosophico ad unum omnes ab infinito disquisitionis initium sumpsisse; reputet quoque, homini, si eo usque eniti valeat, infinita quadam utendum esse facultate; nec quaerat autem quî fiat, ut homini undique spatii et temporis veluti cancellis presso infinita quaedam facultas inesse possit. Namque nihil aliud jam quaereret praeter hoc: quî homo rationis particeps esse queat? Quî homo homo esse possit? Quae sane quaestiones serio proponi nequeunt. Haec de infinito monuisse sit satis. Reliqua jam prosequi juvat.

Tenemus igitur objectiva principia, tenemus et subjectiva. Logica jam cognitionem ac scientiam nos assequi posse docuit; videamus nunc quaenam juvantibus Metaphysices principiis ulterius perficere valeamus. Cognitio, ut definire solent, eo conficitur quod repraesentatio cum re repraesentata omni ex capite conveniat congruatque, sive quod subjectivum omni ex parte in objectivum quadret, si recentiorum verbis uti liceat. Veram igitur cognitionem hac una sub lege assequi possumus, ut principia subjectiva in objectiva quadrent, illaque ad haec adhiberi possint. Duo autem sunt objectiva principia inter se maxime diversa, unum enim finiti, alterum vero infiniti notio est. Duplex itaque hic suboritur solvenda quaestio:

a) Utrum et quî intellectus notiones ad finitum adhiberi possint?

b) Utrum et quî eaedem apte in infinitum quadrent?

Sive, ut aliis verbis utar, utrum ad cognitionem tum empiricam, tum pure rationalem eniti valeamus? Supra jam dictum est intellectus notiones duplici sensu accipi posse, sensu scilicet absoluto et sensu relativo; vero autem verius illas (si modo in res sensibus subjectas et res sensum transscendentes adhiberi possint) in infinitum quadrare non posse nisi illo usurpentur sensu, nec finito contra congruere posse nisi altero sumantur.

Etenim si quis unitatis absolutae notionem in hanc v. gr. mensam, cui assideo, adhibere vellet; mensae hujus natura omni ex parte destrueretur, ut quae jam sub sensum cadere non posset; namque ea tantum, quae aliqua ex parte multa sunt, sensu percipere possumus. Item si quis causae relativae conceptum ad Deum adhiberet, Deum habere nullum jure diceretur. His praemonitis, adversabitur nemo, si supra memoratas quaestiones ponam sequentem in modum:

a) Utrum et quî intellectus notiones in sensu relativo sumptae ad res sensu perceptas adhiberi possint?

b) Utrum denique et quî eaedem sensu absoluto sumptae in res infinitas quadrent?

Quod ad priorem vero quaestionem attinet, sequentia habeo: si res sensibus subjectae ejus naturae sint ut in tempore vel in spatio vel in utroque simul existant, si porro categorias, de quibus hic sermo est, certam quamdam ad tempus innuere relationem, imo certis quibusdam schematibus exhiberi posse constet; si denique res sensiles in haec quadrent Schemata, earum rerum cognitionem humanae Rationi patere necessario erit admittendum; vera autem illa sunt omnia; namque duo prima argumenti hujus momenta extra omne dubium jam ponuntur; tertium vero aeque valere Schematismus ille intellectus quem critica philosophia adeo celebravit, satis probat. Nimirum numerus quantitatis Schema est; singulae quippe quantorum relativorum partes apprehendendae sunt, ut uno demum conscientiae actu comprehensae sub unitatis formam repraesententur; gradus vero notio qualitatis Schema est, rerum enim sensilium qualitates ex nostris tantum sensationibus dijudicari possunt, hae autem nonnisi ex intensionis gradu aestimari solent. Relationis Schema *ordinis in tempore* conceptus est; hic vero perseverantiae et mutationis (quod Schema est substantiae et accidentis), *successionis* (causae et effectus Schematis) ac *simultaneitatis* denique (quod mutuae rerum efficaciae Schema habent) notionibus designari solet. Quod ad modalitatem attinet, nihil secundum ejusdem categorias cognosci potest, nisi certo quodam in tempore existat, quo factum est ut illius Schema per existentiae in tempore finito notionem exprimerent.

Hac de re recte disputarunt immortalis Regiomontanus Professor in Critica Rationis Purae, p. 182—187, et Clar. Frisius in Critica nova, altero volumine §. 114. p. 132—133. In eo tantum a nobis discrepare videntur, quod neuter intellectus notiones in absoluto et in relativo sensu sumi intellexerit; unde factum est ut Kantius de illis in sensu absoluto sumptis ad res sensum transcendentes adhibendis non cogitans, Rationis speculantis potestatem mirum in modum imminuerit ac laeserit jura principatu Rationi practicae dato et in eis rebus quidem quae ad Rationem Theoreticam duntaxat pertineant; Frisius vero, etsi ab hoc errore immunis, sublimioris tamen illius categoriarum usus ne suspicionem quidem habuisse videatur. Ut vero quaestionem de qua hic sermo est, omni ex parte pertractemus, ab omnique arbitrio simus alieni, inquirendum restat, utrum res sensiles in supra memorata notionum intellectus Schemata quadrent; imo diluenda erunt eorum argumenta, qui ab illis notionibus ad res quae sub sensum cadunt adhibitis enatam cognitionem fere nullam et inanem habeant, ejusdemque principia aliqua ex parte deficere opinentur. Res sensiles vero in illa notionum intellectus Schemata aptissime quadrare, ex indubitatis quae sequuntur principiis facili opere evinci potest. Etenim primum illae Quantitatis et Qualitatis Schematibus vi naturae suae congruunt secundum hoc principium: « omnis res sensilis quantum extensivum intensivumque est: " extensivum quidem, quia nulla res sensibus subjecta percipi potest, nisi singulae partes apprehensae unoque demum conscientiae actu comprehensae ad unitatis formam reducantur; ex quo conficitur ut res sensiles ad unam omnes numerorum legi submissae sint, proindeque quantitatis Schemati congruant; intensivum vero, quia rem nullam nisi per aliquam certam sensationem eamdemque certo quodam intensionis gradu gaudentem intueri possumus, unde per se sequitur et in qualitatis Schema res sensiles quadrare (1).

Idem de Relationis Schematibus dicendum. Namque 1°. unaquaelibet res sensilis in se spectata substantiae et accidentis Schemati congruit, juxta legem hanc: « res sensiles in se consideratae perseverans et mutabile quidpiam habent."

2°. Res sensiles, si non pure in se, sed in mutua ad se invicem relatione spectes, aut simul sunt, aut sese invicem subsequuntur; si hoc fit, jam in causae et effectus Schema quadrant, namque tum unaquaelibet res certo quodam modo in tempore existere debet; nihil autem aliquo certo modo existere potest, nisi alia re quae tempore prior esse debet effectum sit, adeoque nisi jam certam ponas rerum successionem; si illud, eas mutuae efficacitatis Schema innuere in aprico est. Quod ad modalitatis Schema attinet, per se liquet et in hoc res finitas quadrare, nihil enim nobis existit nisi vel formalibus vel materialibus existentiae conditionibus respondeat, sive quod eodem redit, nisi certam quamdam ad tempus relationem innuat.

Facile hic foret plura subjicere principia quae tum sensuali cognitioni tum Philosophiae naturali sic dictae fundamento sunt; addam tantum quas Kantius et Frisius habuere leges (2).

KANTIANA EXPOSITIO (3).

I.

Axiomata visionis.

Summum illorum decretum hoc est: « omne phaenomenon in quantitatibus versatur extensivis."

II.

---

(1) Idem sonant haec jam ab antiquioribus philosophis admissa principia: „In mundo finito non datur saltus," id est, genesis rei sensibus subjectae recte intelligi nequit, si ab ejusdem prima parte ad ultimam veluti saltu transeatur. „In mundo finito non datur hiatus," id est, nullus experientiae datur locus, ubi omne omnino reale deëst, sive ubi nullus sensationi relinquitur locus.

(2) Vide *Kants* Krit. der r. V. p. 200—274. *Fries*, Neue Krit. der Vern. 2ter theil, §. 114. p. 133—135.

(3) Versionem *Bornianam* sequi hic liceat, p. 135—182, Lipsiae, 1796.

I I.

Anticipationes perceptionis.

Summum illarum decretum hoc est: « In omnibus visis reale illud, quod obnoxium sensationi est, quantitatem intensivam, id est, certum quemdam gradum habet. »

I I I.

Analogiae experientiae.

Summum earum hoc est: « experientia esse potest sola repraesentatione conjunctionis necessariae perceptionum. »

a) Analogia prima.

Decretum constantiae substantiarum: « In omni visorum vicissitudine permanet substantia, quantumque illius in natura rerum nec augetur, nec minuitur. »

b) Analogia secunda.

Decretum successionis temporum ad Legem causalitatis; « omnes mutationes fiunt secundum Legem colligationis causarum et effectorum. »

c) Analogia tertia.

Decretum simultanei, ex lege reciprocationis sive commercii: « Inter omnes substantias, quatenus in spatio possunt qua simul constitutae percipi, perpetuum intercedit commercium. »

I V.

Postulata cogitationis empiricae in genere.

1) « Quod Legibus formalibus illis experientiae (quoad visiones conceptusque) congruens est atque conveniens. »

2) Quod cum lege experientiae materiali (sensatione) connexum cohaeret, id *vere est* atque apparet.

3) Id, cujus cum eo, quod vere exstat, connexio contagioque ad universales experientiae Leges determinata et circumscripta est, *necessario exstat.* »

FRISIANA DESCRIPTIO.

a) Mathematica principia.

Principium adhibitionis: Lex continuitatis: « unumquodlibet phaenomenon quantum continuum est. »

1) Axiomata visionis.

Principium: « Unumquodlibet datum phaenomenon est extensum quoddam quantum numero mensuratum, infra quem minor, supra quem major numerus datur. »

2) Anticipationes perceptionis.

Principium: « In omnibus visis datum reale intensivo alicujus certi gradus quanto circumscriptum est, supra quem major, infra quem minor datur gradus."

b) Dynamica principia.

Principium eorum hoc est: « existentia phaenomenorum est in universim necessaria conjunctione."

3) Analogiae experientiae.

Principium: « Omnis unitas in existentia rerum est mutuum substantiarum illud per earum vires constitutum commercium, cujus fundamento physica conjunctio nititur."

Primo: *Principium constantiae substantiae*: « Omni phaenomenorum mutationi fundamento subest substantia, quae absolute constans est."

Secundo: Lex *causalitatis*: « Omnis phaenomenorum in tempore successio fit secundum legem causae et effectus."

Tertio: Lex mutui rerum commercii: « Omnia phaenomena, quatenus simul constituta sunt, in mutuo versantur inter se commercio."

4) Postulata cogitationis empiricae in universum.

Principium: « Unumquodvis *vere esse* rerum universalibus legibus necessario determinatum est, quod metaphysicae conjunctioni subest fundamento."

Primo: « Phaenomenon existere potest si quando est."

Secundo; « Τὸ vere esse (daseyn) existentia est phaenomeni aliquo certo tempore."

Tertio: « Τὸ vere esse uniuscujuslibet phaenomeni dati necessario habita temporis in genere ratione determinatum est."

Si quid igitur auctoritas in rebus ad philosophiam pertinentibus conficeret, gravissimi auctores hanc nostram confirmarent sententiam, qui cognitionis empirico-intellectualis (sinnlich verständige Erkenntnissweise) leges nulla ex parte deficere censemus ac sumus professi. Quo autem firmius stet opinio nostra, argumenta quibus clar. *Rixner* in opere: *Aphorismen der gesammten philosophie*, inscripto, illam petit, proferre ac diluere conari liceat.

Neminem autem fugere potest leges illas cadere non posse, quamdiu purae temporis spatiique intuitiones nec non intellectus categoriarum notiones consistant. Itaque adversarius noster demonstrandum putavit, primum, puras temporis ac spatii intuitiones non *absolutam*, sed *relativam* tantum, non *adaequatam* sed *imperfectam* cognitionem ac veritatem nobis impertire, utramque quippe intuitionem secum ipsa pugnare, nulloque pacto cum altera forma consistere posse (1); deinde, idem de categogoriarum notionibus (1), necnon de experientiae legibus (2) dicendum, ut quae ad utraque superiora principia ultimo sint referendae.

---

(1) Opere supra laudato, Is bändchen. Logik, oder qualitative wissenschaftslehre, zweyte negative hälfte, Ir abschnitt. 2, §. 14.

Tempus autem secum ipso pugnare sic evincere studet: « Tempus evidenter nihilum est, ejusque repraesentatio semetipsam tollit; in se enim nec *aliquid* est nec *nihil*; nec *objectivi* quidpiam (substantia aut accidens) nec *subjectivi* quidpiam (sensualis perceptio, aut spontanea repraesentatio), sed si rem universim aestimes, « Ein wesen ohne inhalt, ein punct ohne umkreis, ein continuum, bestehend aus lauter discreten, und ein ununterscheidbares unaufhaltsam fliessendes mit starren bestehenden unterschieden seyn müsste: " quod manifesto implicat.

At clar. Rixner repugnantias eas quas tanta jactat verborum copia gratuito prorsus protulisse videtur; etenim tum modo verae oriuntur repugnantiae, cum ex adverso opposita de una eademque re proferuntur; nequaquam vero id fieri solet, cum unam eamdemque rem diversis ex partibus consideres, aut eadem vox diverso accipiatur sensu. Sic tempus, de quo hic sermo est, una ex parte *nihil*, ex altera vero *aliquid* esse quin pugnantia loquaris, dicere potes; namque vox *esse* non unum habet intellectum, ut quae non modo ad ea quae sub sensum cadunt, verum et quae mente sola capi possunt, adhibeatur; ex quo conficitur ut tempus in se *aliquid* sit, si vocem *esse* uno sumas sensu, *nihil* vero, si altero usurpes sensu. Tempus vero natura sua *subjectivi* quidpiam est, est enim repraesentatio; et simul objectivi quidpiam, quia illud a nobis distinctum aliquid esse necessario habetur. — Idem est *ein wesen*, forma quippe est, sed *ohne inhalt*, quia in se nec materiae quidpiam continet; punctum vero sine peripheria, quia unicam duntaxat habet dimensionem et in infinitum protensum est, non extensum; continuum *in se* quidem, discretis vero partibus secundum reflexionem constans; quo fit ut in tempore, si in se consideres, nec distincti ac consistentis quidpiam sit, licet quae in illo continentur omnia consistere possint, distinctioque inter ea institui queat.

Tempus porro cum spatio consistere nullo pacto posse sic demonstrare sibi videtur: wenn man erwäget, *a*) Dass, da der Raum in der zeit, die zeit in dem Raum angeschaut und gemessen werden soll, das ausser einander und zu gleich bestehen der momente des Raumes dem nach einander und dem stets wandelbaren nimmermehr bestehenden der momente der zeit;

b) Und eben so das unendliche des Raumes mit dem endlichen der zeit bey der bewegung, (wo unendlich viele ausser einander bestehende Raummomente in einer endlichen zeitdauer nach einander sollen durchlaufen werden), und umgekehrt beym successiven wachsthume, die immer nur endliche grösse des Räumlichen stätigen wachsthumes mit der unendlichen vielheit der zeitmomente, (deren ein jeder beym stätigen wachstume sein entsprechendes increment dazu giebt) in widerspruch steht:

---

(1) Ibid. 3. §. 21. (2) Ibid. 4, §. 26.

c) Oder aber wenn angenommen wird, dass jene Raummomente, deren unendlich viele in jedem endlichen Raume, und jene incremente, deren unendlich viele in jeder sinnlichen grösse müssten gedacht werden, wahre minima ohne alle sensible grösse und ausdehnung seyn; dann ein wirklich und sensibel ausgedehntes aus sensibel unausgedehnten, und eine sensible grösse durch incremente, die gar keine sensible grösse haben, könne und müsse erzeugt werden."

Tempus vero specie tantum non re cum spatio consistere non posse in aprico fore ex infra dicendis speramus: nimirum

a) Tempus nec spatium in se considerata unum in altero percipi ac mensurari possunt; id vero nonnisi de relationibus rerum sensilium progressu temporis in spatio perceptis intelligi potest, illae enim tum aliis relationibus in tempore quibuscum conferuntur, determinari queunt quin vel minima oriatur repugnantia. Item spatium in se consistentis quidpiam est, tempus vero in se fluentis quidpiam jure habetur; attamen si certum quoddam spatium complecti velim, ab una parte ad alteram progressu temporis transeam necesse est, quo per se sequitur spatium in tempore optimo jure poni posse.

b) Quod ad motus notionem attinet, spatium] cum tempore non pugnat, namque hic temporis intervallum et spatia quae percurruntur, in ratione inversa, ut aiunt, versantur: — quanti porro determinati in spatio progressu temporis constanter concrescentis notio cum infinita temporis momentorum multitudine consistere potest, ut quae a determinato partium quibus constat numero nullo pacto pendet.

c) Denique cum spatium et tempus ex absolute minimis partibus confecta consideremus, ista res neque tempus neque spatium in se spectata tangit; proindeque repugnantiae quas Rixner habet, nullae sunt.

Quod ad argumenta subsequentia quae contra temporis repraesentationem obmoventur attinet, ea ex clar. Rixneri libro excitare nimis longum foret; paucis duntaxat refutanda censemus. Monere igitur nobis liceat distinctionem temporis in praeteritum, praesens ac futurum doctrinae nostrae non officere; eam quippe tempus in se non spectare.

Quod ad ultimam objectionis partem, non intelligo quî eam quae sola homini concessa est, temporis intuitionem ferre nequeat.

Ut nostram vero de tempore sententiam paucis proferamus, illud nec pura nobis abstractio est, quia jure dicitur aliquid esse in tempore, nec vero substantiale quoddam principium, quia tempus nobis non est nisi quid cui temporalitas inest repraesentemus; nec accidens tamen, quia secus substantia sublata evanesceret; nec pura rerum ad se invicem relatio, namque et haec a mente nostra constituenda esset; nec denique pura repraesentandi forma sensui interno propria, uti Kantio placuit, namque jam quae sunt in tempore nullo jure ad res in tempore existentes referri possent; sed modus est necessarius nobis modum existentiae rerum finitarum pure repraesentandi; qua admissa definitione ut nobis videtur quidem, diversae sententiae modo examinatae facile explicari poterunt.

Eodem fere modo Rixner de spatio disputat: « idem tribus constare quae inter se pugnant dimensionibus, adeoque nec aliquid nec nihil esse, nec objectivum, nec subjectivum sed in genere ens sine contentu, peripheriam sine puncto, consistens quidpiam sine aliquo quod consistat, totum sine partibus, quietem sine motu; quod implicat. — Supra jam monstratum esse spatium cum tempore consistere nequaquam posse, accedere incommoda plura, spatium scilicet esse continuum et tamen extensum; constare partibus absolute minimis, quae tamen mensurari queunt, innumerabilibus denique quae tamen singulatim percipi possunt. Destructa, ut putabat, (hic enim non moror quia supra allata responsa hic denuo forent repetenda), communi spatium et tempus considerandi ratione, Ambergensis professor pergit dicens quod de spatio et de tempore probavit, idem de categoriarum notionibus valere, eas aeque nullas et inanes esse:

a) Dass keine dieser bestimmungen ausser nur in beziehung auf zeit und Raum, und das, was beyde erfüllet, weder sinn noch bedeutung haben;

b) Auch ausser der wirklichen anwendung in concreten fällen gar nicht einmal zum bewüsstseyn kommen;

c) Sie als blosse leere abstracte denkformen erfasst; und *d*) gleichwohl in dieser wesenleeren abstraction für ein wesenhaftes an sich gehalten werden;

e) Die momente ihrer bestimmungen ganz augenscheinlich in einander übergehen, und folglich jedes derselben in seinem starren für sich bestehen immer nur eine einseitige, relative und partielle wahrheit aussage, welche erst durch vereinigung mit der ihr entgegengesetzten, zur fülle der erkenntniss des adäquaten begriffes ergänzt werden mag."

At 1ae objectioni nulla est vis quia tempus et spatium nec secum ipsis nec inter se pugnare jam monstratum est.

2°. Ex eo quod categoriarum notiones ad nostram non deveniant conscientiam nisi rebus sensibilibus adhibitae, nequaquam sequitur illas omni carere per se intellectu.

3°. et 4°. Etsi vero nihil aliud sint ac puri cognoscendi modi eae tamen reale quidpiam sunt nec aliter esse possunt, namque e conscientia pura promanant eidemque innituntur. Denique,

5°. Si categoriarum notiones inter se pugnare videntur, id de duabus primis uniuscujusque classis categoriis duntaxat, nequaquam vero de tertia categoria quae ex utraque superiori conjuncta coalescit, veramque res sensibus subjectas considerandi rationem constituit intelligi, potest. Non est igitur quod a sententia nostra discedamus: videamus jam utrum Rixner validioribus argumentis leges cognitionis empirico-intellectualis impugnaverit; eas autem non omni ex parte valere, ex eo quod ipsis aeque verae opponi queant, sic demonstrare sibi videtur: « So stellet sich dem immer nur halb wahren satze, nämlich dem sogenannten axiome alles zähl- und messbaren, « dass alles zähl- und messbare nothwendig ein durchaus bestimmtes seyn müsse," der seiner seits nicht mehr noch minder wahre gegensatz gegenüber: « dass nämlich alles zähl- und messbare ein offenbar unbestimmtes seye, welches unbeschadet seiner wesenheit ins unendliche vermehrt oder vermindert werden möge," woraus dan so fort erhellet, dass auch die folgesätze von vorstehender thesis and antithesis gleichfalls nur halb-wahre, schielende und dialectische behauptungen seyn können, als nämlich:

a) Dass jede endliche zähl-, oder messbare grösse aus minimis ohne grösse bestehe.
b) Dass im continuum discrete unterschiede bestehen.
c) Dass keine und jede grösse ins unbestimmte weder wachsen noch abnehmen möge;
d) Dass ununterscheidbare wesen wenigstens durch äussere zeit und Raum unterschieden werden möchten."

Respondemus duo principia praeposita inter se nulla ex parte pugnare; namque etsi omne quantum, qua quantum necessario determinatum sit, indeterminatum esse potest, habita partium quibus constat numeri ratione; quo conficitur ut in infinitum augeri et minui nihilo secus possit; principia autem ab illis deducta absolute vera manent.

Item (§. 29) sic pergit Rixner, principio, quo anticipatio omnis perceptionis exprimitur, nimirum: « nihil percipi potest praeter illud quod est," aeque verum principium oppositum est alterum: « illud quod est in se nunquam immediate percipi potest:" inde (§. 30) una ex parte tantum valere deducta principia haec:

a) Dass das wirkliche zeitleben eines individuums jedesmal nur den untheilbaren augenblick der gegenwart, diesen aber ganz erfülle;
b) Omnis sensatio pure intensivum, nullo vero pacto extensivum quantum est.
c) pure nihilum immediate percipi nequit.
d) omnis rerum sensu percipiendarum qualitatis differentia ultimo ad quantitatis differentiam reduci potest etc.

Principia (§. 29) proposita interse non pugnant; imo utrumque absolute vera sunt et ad diversa spectant; nempe, quod percipitur, certo quodam modo existere debet, adeoque id quod res in se est, substantia scilicet, percepi nequaquam potest, quia conditio sub qua perceptio fieri possit, data non est; quae cum ita sint, per se liquet deducta principia nulla ex parte deficere: quae contra Relationis principia ob-

objecta sunt facile dilui possunt; leges quippe quas vulgo admissis opponere clar. Rixnero placuit, falso innituntur principio, homini scilicet rerum sensilium in se spectatarum cognitionem patere, quae vero nobis ideo nequaquam competere potest, quod nullius rei notitiam assequi quis possit, quae a conscientia nostra nostroque repraesentandi modo non pendeat.

Quod ad reliqua, quae inde consequuntur principia, ea absolute vera sunt, ut quae ab inconcussis legibus sequi constat; si quid contra eorum veritatem obmoveri posset, id in deductionem factam cadere deberet; haec vero nullo laborat vitio.

Ea igitur quibus cognitionem ex categoriarum notionibus (sensu relativo sumptis) ad res sensiles adhibitis ortam nullam esse demonstrare studuerit Rixner, diluta sunt argumenta; ex quo conficitur ut nobis jam majore fiducia plenis pluraque sperantibus reliqua prosequi liceat. Reperimus non modo cognitionem in universum humanae patere menti, verum et cognitionem empiricam absolute veris indubitatisque inniti principiis evicimus; mundus jam sensibilis nostris investigationibus patet; nunc vero utrum mundi intelligibilis quoque janua hominibus aperta sit inquirere properemus; ea autem infiniti quam huc usque consecuti sumus notio nonnisi inchoata est, eam igitur perficere, quaenam in se contineat principia explorare, utrum denique ad sublimiorem aliquam mundi sensibilis considerationem ac cognitionem perducere possit inquirere oportet: omni enim ex parte pertentanda est infiniti idea ut cognitionis nostrae fines proferre nec non fiduciam in rationis humanae potestate collocandam confirmare possit. Infinitum Rationi datum esse novimus: sed quid sit infinitum, quanta ipsi tribuenda sint quaerendum restat. Ratio recte quidem intelligentia dicitur, imprimis vero ut semetipsam intelligat necesse est. Cum id vero fieri nequeat, nisi infinitum juxta intellectus leges ab ipsa ratione constitutas consideres, patet hic quaeri jam: « Utrum et quî categoriarum sic dictae notiones in absoluto quidem sensu sumptae ad ideam infiniti adhiberi possint.” Hacque ad Rationis humanae laudem, ut opinamur quidem, soluta quaestione, iter inchoatum persequemur, donec evicerimus illam non minori auctoritate in mundo intelligibili quam in sensibili valere. Quod si quis reclamet inutilem, imo erroribus gravidam fore inquisitionem nostram, quia nostra haec categorias considerandi ratio intellectus naturae repugnare, imo in solo arbitrio posita esse videtur. — Reputet velim infinitum ad notiones omni ex parte indeterminates non pertinere, ac proinde intellectus vestigationi submitti posse. — Ab omni porro nos arbitrio alienos esse in aprico est; absolutae enim necessitati tum intellectus tum Rationis satisfacturi nihil postulamus, nihil sumimus, quod rationibus sufficientibus non nitatur. Huc accedit quod intellectus per se solus finitum perfecte intelligere non possit, quo fit ut a Ratione infinitum petat; cum vero ex non intellecta re nec intelligi quidquam possit, consentaneum est accuratam magis infiniti declarationem et quidem ejus naturae convenienter secundum intelligentiae leges tentare.

Duplex igitur distinguunt infinitum, *formale* unum, alterum vero *materiale*. Illud nihil aliud est atque forma ea, sub qua infinitum repraesentare solemus, nimirum *sempiternitas*; hoc vero absoluta illa est entitas (absit verbo invidia), qua fit ut infiniti repraesentatio ad revera existens quidpiam referri queat. Formale infinitum vulgo mathematicum dicitur, materiale vero metaphysicum vocant; utroque autem in unum coalescente, id est infinito metaphysico sub forma sempiternitatis repraesentato absolutum illud provenit, de quo, omni aetate, nostra vero maxime in philosophorum scriptis plurimus sermo esse solet. Quaestio itaque supra memorata jam aliter rectiusque proponi potest sequentem in modum: « Utrum scilicet intellectus categoriarum notiones in absoluto sensu sumptae ad absolutum adhiberi possint?" Id autem fieri posse exinde patet quod sempiternitatis forma sub qua absolutum necessario concipimus, aptissime quadret in illas notiones, in quantitatem absolutam scilicet, quia quanti absoluti notio ab infiniti temporis adeoque sempiternitatis idea sejungi nequit; in qualitatem vero absolutam, quia entitas absoluta ejusmodi est ut nonnisi tempore infinito comprehendi possit; item in Relationem absolutam, ut quae essentiam in se et omni ex parte absolutam innuit, ac proinde cogitari nequit nisi certam aliquam relationem omni relatione in tempore finito data superiorem, atque in aeternum consistentem admittas; in absolutam denique modalitatem, ut quae absolutae ad conscientiam nostram relationis notionem involvit, nec nisi rei alicui, quae sempiterna sit, congruere potest.

Jam vero categoriis usi reperimus absolutum esse absolute unum, indifferensque et necessarium, absolutam denique substantiam omni accidenti vacuam. Quae cum praedicata ad unum omnia ad substantiam absolutam ultimo referenda sint, hujus idea paulo accuratius nobis exponenda ac declaranda est. Absolutae vero substantiae idea ad diversas perducit ideas prout illi principii aut causae notionem subjicias; si illud, tres jam consequeris ideas, scilicet: 1°. Ideam principii phaenomenorum pure subjectivorum sive existentiae intelligentis; idem *mentem* vocant; 2°. ideam principii phaenomenorum pure objectivorum sive existentiae non intelligentis; quam *materiam* dicunt; 3°. denique ideam principii absoluti utriusque supra dictorum phaenomenorum seriei; quem *mundi spiritum* appellarunt. Sic igitur tria jam speculationis philosophicae principia tenemus, nondum tamen adaequatam absolutae substantiae notionem assecuti sumus, ut qui, quocumque convertamus animum, in accidentibus adhuc haeremus; ut perfectam igitur illius ideam tandem complectamur, ad causae notionem confugiendum est. Hic jam *causae absolutae* suprema prodit idea, huc vero progressi gradum sistere cogimur; ad *Deum* enim pervenimus.

His autem repertis ideis, Relationis categoriae longe jam sublimiorem sensum consequuntur. Etenim in substantiae relativae notionis locum subit *principii absoluti* idea; pro causae *pure physicae* notione exoritur *causae liberae* idea, unaque cum hac *finis absoluti* notio; notio denique mutuae rerum sensilium communionis in longe sublimiorem conversa est ideam, alicujus certae scilicet mutuae rerum communionis per principium absolutum ita constitutae ut res in hac communione versatae ideale principium quoddam repraesentent ac veluti oculis intuendum subjiciant. Eaedem vero steriles ideae non sunt, ut quae ad ea quae sunt adhibitae alteram quaeque ideam progignant; sic principii absoluti idea ad ea quae sunt adhibita ideam *veri* profert; veritas enim in sensu metaphysico sumpta ibi adest tantum ubi ea occurrit existentia quae non ab accidentibus sed a substantia seu principio ipso repetenda sit; causae vero liberae idea *boni* gignit ideam; bonitas enim in ratione consistit in qua ens aliquod cum fine absoluto versatur; sublimioris denique illius mutuae communionis per principium absolutum constitutae et quidem ita ut res in quam intuemur ideale quoddam principium in se conspicuum ac veluti visibile reddat idea ad *pulchri* ideam perducit; ita vero ex una Rationis idea ideae septem, quae totidem rerum principia sunt, profluxere, Dei scilicet, mentis, materiae universique rerum, pulchri porro, veri ac boni ideae; quarum superiores quatuor philosophiae applicatae principia constitutiva sunt, reliquae vero tres non modo singularum philosophiae partium constitutiva sunt principia, verum et totidem normas suppeditant ad quas sublimiorem rerum quae sub sensum cadunt cognitionem consequi valeamus, per quas cognationem quamdam finitum inter et infinitum instituamus. Sic idea boni duce, ordinem moralem quemdam in hoc aspectabili mundo agnoscere et constituere quaerimus; idea pulchri duce, efficere tentamus ut natura inculta principii absoluti alicujus imaginem ac speciem ubique exprimat; idea denique veri duce, mentem ab accidentibus rerum semovemus ut internam earum penetremus essentiam ac veluti Rationem quamdam in rerum natura constituamus.

Haec idea veri in universa dominatur philosophia, in speculativa vero imprimis, id est in logicis ac metaphysicis rebus; boni vero idea philosophiae practicae supereminet certaeque scientiae subest fundamento; ideae pulchri denique innititur philosophia pulchri sive artis sic dicta, cujus principia in pulchri, sublimis ac ridiculi ideis posita sunt.

Non inutilis igitur nec erroribus gravida fuit investigatio nostra, perfectiorem enim infiniti notionem consecuti sumus; aeterna porro tum speculativae tum practicae philosophiae principia detegimus; brevius ea quidem exposita, satis vero est ex proposito nostro monstrare juxta intelligibilis sensibilisque mundi certam nobis patere cognitionem; nondum tamen tantum profecimus ut profiteri possimus certam collocandam esse stabilemque fiduciam in Rationis humanae auctoritate; novimus quidem magna hanc tum constitutiva tum regulativa in omni re valere auctoritate, in media tamen constitisse via jure dicemur, quamdiu intentatam relinquemus quaestionem hanc: « quam late pateat in diversis cognitionis humanae regionibus Rationis auctoritas tum constitutiva tum normativa. At primum inquiramus quam late pateat auctoritas ista in cognitione sensuali quam vocant. Cognitio sensualis sive empirica in se pure spectata ultra temporis ac spatii limites non progreditur, prorsusque subjectiva est; ipsa quippe a sensatione, haec vero ab affectione pendet; ex quo conficitur ut illi eadem sit vis, eadem auctoritas, quae sensui tribui solet, id est adjungatur fides. Eamdem vero juvantibus intellectus principiis subjectivum characterem suum qui ipsi proprius est exuere posse, imo et indubitatis inconcussisque inniti principiis, supra monstratum est. Nunc igitur inquirendum tantummodo restat quam late pateat horum principiorum usus ac potestas. De dignoscendis autem internis externisque rerum sensilium relationibus quaestionem hic esse in aprico est; unde per se sequitur Relationis legibus imprimis substantiae scilicet et accidentis, causae porro et effectus; mutuae denique rerum efficaciae nobis incumbendum esse. Eisdem vero tum pro constitutivis tum pro regulativis uti licet. Illae autem leges per se et immediate, id est, qua constitutivae consideratae jam nos docent omni rei sensu perceptae substantiam subjacere quamdam, ejusdem aliquam certam causam esse debere; eandem denique in mutuo cum reliquis rebus versari commercio; quaenam vero et qualis illa substantia sit, quaenam sit causa specialis, quaenam sit mutuae illius efficaciae singularis ratio, in incerto relinquunt. Cognitionis igitur materiem eisdem ducibus principiis quaerere oportet, id est, eisdem pro regulativis utendum est ut finem nobis propositum consequamur.

Quod ad absolutam vero rerum substantiam attinet, eam nemo mortalium assequi potest, ut quibus res in se inspicere nisi pro modulo suo, id est, *relative*, ut cum schola loquar, a natura datum est. Duce analogia tantum et inductione essentiales rerum notas dignoscere possumus. Item ad causae et effectus legem tanquam ad normam, causam rei quaerimus quaenam et qualis sit; vestigamus etiam quaenam ejusdem sint effecta, quaenam porro causarum effectorumque conditiones sint, quomodo denique haec res sese habeat ad reliquas, ac quaenam sit mutui ejus cum reliquis rebus commercii specialis ratio.

Quae cum ita sint, nemo non videt juvantibus intellectus principiis perfectam nos rerum sensibus subjectarum descriptionem assequi posse, ut quorum ope res recte definire, explicare, necnon quaenam et quales sint exponere, omnes denique relationes, quaecunque sint, in quibus cum caeteris rebus versentur, declarare valemus; ad scientiam vero eniti nullo pacto licere: namque, si formam descriptionis spectes, aut pure formali (subordinationis notionum lege) aut pure subjectiva (associationis scilicet idearum) lege praescribi solet descriptionis ordo.

Omnis porro descriptionis haec est natura ac ratio, ut nunquam ad finem omni ex capite perduci possit; una enim eademque res tam multis ex partibus considerari potest, ut eas ad unam omnes complecti homini non detur. Huc accedit quod descriptio, si ipsius materiem consideres, etiam nonnisi imperfecta esse possit; primum enim absolute completam inductionem assequi non datur, rerum vero causas absolutas nunquam assequi possumus: observatio, rerum comparatio et inductio probabiles duntaxat rerum causas indicant; interna denique mutui rerum commercii ratio semper nos latet, externam etsi saepissime attingimus rationem.

Nihil tamen vetat quin juvantibus rerum in classes distributionis legibus cognitiones nostras ordine vere systematico distribuamus sicque propius ad veram scientiam accedamus; jam enim systema condi potest summa perspicuitate perfectoque ordine commendandum. Ipsa adeo descriptio vim scientiae quamdam consequi potest, si eo usque perfectionis perducta sit, ut res descripta non in se tantum sed aliarum rerum quae cum ipsa connexae sunt habita ratione talis esse debeat qualem descriptio facta monstret. Rerum vero in classes distributio perfectionis scientiae vim illi descriptioni addet, si ita instituatur, ut species ex superioribus generibus facile et penitus intelligi possint, accuratiusque tum in se tum aliarum specierum et universi generis ipsius habita ratione explicentur.

Ut rem in pauca conferamus: cognitio sensualis ad scientiae dignitatem ac potestatem evehi necnon in dies magis perfici quidem potest, nonnisi vero infinito saeculorum numero ad summam omni ex parte perfectae scientiae praestantiam perduci poterit, ea scilicet die qua tum universa rerum natura tum singulae ejusdem partes penitus fuerint cognitae: illa vero dies nondum nobis illuxit.

Videamus nunc quam late pateat Rationis auctoritas in cognitione intellectuali sic dicta? Haec autem duplex est, res sensiles modo mathematicis principiis, modo eis quae intellectum moderantur legibus submitti solent: hoc momentum etsi modo jam copiose satis tractatum est, paulo fusius explanandi locus hic esse videtur.

Omnis igitur rerum quam legibus intellectus usi consequamur cognitio prorsus hypothetica est; nostra enim investigatio omnis in eo versatur ut a certis quibusdam phaenomenis profecti, in ultimas eorum Rationes inquiramus. Propter facultatum vero nostrarum imbecillitatem illas assequi non possumus. Imo posito etiam omnia phaenomena hucusque nota ratione aliqua explicari posse, quis neget phaenomena aliter explicanda observari posse? Nobis enim mortalibus omni numero absolutam inductionem et in immensum patentem experientiae campum omni ex parte perlustrare natura non concessit; ex quo conficitur ut homo negata scientia, hisce in rebus nonnisi opinari theoriasque condere possit.

In altera vero cognitionis intellectualis parte, vera scientia humanae menti negata non est; quae enim secundum puras ideas mathematicas a priori cognoscuntur, ea sensus perceptio nonnisi confirmare potest, ut quae legem mathematicam sequi debeat, quo fit ut perfecta inde cognitio enascatur, objectivumque omni ex parte subjectivo congruat.

Ejusmodi quoque perfecta scientia et multo magis adhuc in mathesi pura nobis patet; quod adeo apud omnes constat, ut monere sit satis primo metaphysicam et logicam illi tum constitutiva tum normativa subministrare principia, ut facile colligit quisque ex axiomatibus ac postulatis illis quae ab intuitionibus puris temporis ac spatii deduci solent, quorumque fundamento geometria omnis nititur; e logica denique lege hunc in modum expressa: « Combinatio nulla fieri potest, nisi partium homogenearum conjunctio instituatur. "

Secundo: notiones et formas mente conceptas signis mirifice in eas quadrantibus visibilibusque formis omnino congruentibus exhiberi: quod vero verius omnes habent. Non solum vero in doctrinis mathematicis humanae menti vera concessa est scientia; namque et scientiam pure philosopham aeque certam etsi in puris ideis versantem tenere possumus, adhibendo scilicet ad Dei, mentis, materiae universique rerum ideas normativa intelligentiae principia et earum naturae quidem convenientem in modum. Imo in quibusdam scientiae hujus partibus, in Physica scilicet et Psychologia philosopha ad perfectam scientiam pervenire possumus quia hic rerum natura ipsa ideas confirmat. Etsi autem universi rerum Deique scientiae ad hunc perfectionis gradum perduci nequeant, est tamen sperandi locus continuo nos propius ad absolutam scientiam et hic accessuros esse.

Ita igitur in omnibus cognitionis nostrae regionibus aut certam nos tenere scientiam constat aut justam saltem verae scientiae aliquando assequendae spem complecti posse: ex quo conficitur ut ad quaestionem positam nostro jure sic respondere possimus: « Certam collocandam esse stabilemque fiduciam in Rationis humanae auctoritate, " cum modestia tamen vero philosopho digna. Qui enim jam omni numero absolutam se tenere in omni re scientiam praedicant, nonnisi puras inanesque formas captare solent, nec nisi vana somnia sectantur.

Prudentum Rectrix Ratio.

⁂

ANNAE MAURITII CORNELII VAN HALL,

AMSTELODAMENSIS,

LITT. HUM. ET JUR. UTR. IN ATHEN. ILL. AMST. CANDIDATI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM A CLARISSIMO ORDINE JURECONSULTORUM
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXXVIII,
PROPOSITAM:

„ *Instituatur disputatio de* Heineccii *meritis in restitutionem legis*
„ *Papiae Poppaeae et de novis Juris fontibus quibus doctrina de*
„ *hac amplissima lege illustrari possit.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXIX.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM.

PRAEFATIO.

Quantum operis antiquiores JCti in excolendam Romanam Jurisprudentiam perfecerint, quantumque lucis ex eorum scriptis ad hujus disciplinae cognitionem redundet, nisi ex diligenti eorumdem lectione, intelligi nequit. Etenim Cujacii, Schultingii, aliorumque industria praedicatur ubivis, adeo, ut horum memoriam omnes summâ admiratione prosequantur; verum tamen laudibus illis, eorum virorum nomina efferuntur quidem, at accurate fere nusquam singulorum in Juris studium promovendum merita exponuntur. — Equidem quum doctissimos quosque nostrae aetatis JCtos ex eorum scriptis uberrimos capere fructus audirem, continuo suspicabar, etiam mihi juveni hoc esse agendum, ut diligenti lectione optimos interpretes pertractarem. Ecce autem, egregiam hujus propositi persequendi opportunitatem praebuit quaestio hoc anno a Clarissimo Ordine Jureconsultorum in Academiâ Lugduno-Batavâ proposita:

> « Instituatur disputatio de Heineccii meritis in restitutionem Legis Papiae
> « Poppaeae, et de novis Juris fontibus quibus doctrina de hac amplissimâ
> « Lege illustrari possit." —

Arrisit igitur hujusmodi argumentum, atque in illum inquirendum esse scriptorem gavisus sum, cujus opera, utpote juveni apprimis utilia, non prorsus ignoraram. Jucundum praeterea videbatur novos illos Juris fontes adire; adeo ut hisce illecebris allectus manus operi admovendas putarem, nescius fere quantum difficultatis contineret talis inquisitio. — Quandoquidem autem, dum Heineccii commentarios legerem, inprimis vero dum Gajum atque Fragmenta Vaticana inspicerem quaestionis argumentum melius cognovi, alacritatem meam minuit non raro dubitatio,

quin

quin vires meas exsuperaret rei gravitas. Sane etiamnunc multis vitiis laborare hancce commentationem probe gnarus sum; verum, non etiam exspectant Viri Docti, quibus juvenilis ingenii explorata solet esse imbecillitas, absolutam quandam commentationem. Quapropter audenter agendum, vobisque, Viri Clarissimi, hocce qualecunque tandem specimen offerendum puto, fretus notâ mihi vestrâ benevolentiâ.

Hac autem ratione, quaestioni me optime responsurum esse arbitror, ut primum de eo, quod JCti Heineccio antiquiores in restituendam Legem Juliam et Papiam perfecerint, breviter praemoneam, deinde ipsius Heineccii merita singulatim exponam; denique disputem, quomodo novi Juris fontes ad illustrandam legem valeant. Praemissâ itaque introductione de eo quod JCti Heineccio antiquiores in restituendam Legem, perfecerint, in duo Capita dividitur hocce opusculum, quorum

Cap. I. De Heineccio exponitur, et quidem
- §. 1. De ejus vitâ et studiorum ratione.
- §. 2. De ejus commentario in Legem, universe.
- §. 3. De variis capitibus clausulisque ab eo primum legi insertis.
- §. 4. De ejus meritis in veris Legis clausulis a falsis distinguendis, corruptioribus restituendis.
- §. 5. De Legis verbis *legitimis* ab eo repertis.
- §. 6. De ordine quo Legem disposuit.
- §. 7. De Legis capitibus ab illo illustratis atque explicatis.

Cap. II. De novis Juris Fontibus disputatur et quidem
- §. 1. De novis Juris fontibus universe.
- §. 2. De Legis Juliae et Papiae placitis juxta novos Juris fontes non confundendis.
- §. 3. De tutelis et exceptionibus liberorum jure constitutis.
- §. 4. De caducis.
- §. 5. De jure patronorum, quatenus illud e lege Papiâ venit.
- §. 6. De caeteris locis, quibus doctrina hujus legis illustrari possit.

◆

INTRODUCTIO.

De eo quod JCti Heineccio *antiquiores in restituendam hanc Legem perfecerunt.*

Ut erat, ita habebatur a recentioris aetatis JCtis, Lex Julia et Papia Poppaea digna, quae restitueretur diligenter et explicaretur; nec mirum igitur, tot ac tantos variis temporibus in eandem conscriptos fuisse commentarios, quorum merita cognovisse nobis operae pretium erit, ut quantum operis ipse Heineccius perfecerit rite possimus dignoscere ab eo quod antiquiores jam perfecerant. Verum longius foret omnes hic memorare, qui, quoties argumenti, quod tractabant, ratio illud suadebat, obiter aliquam Legis nostrae clausulam explicare conati sunt; quare hic tantum praecipuos recensebimus.

Qui primus hic in censum venit est Fred. Balduinus qui in commentario ad leges de Jure Civili ex industriâ legis Juliae et Papiae Poppaeae explicationem suscepit (1). Hujus libellum legentes non potest non offendere negligentia, quâ magni ingenii vir egregiae doctrinae rudimenta ubique temere sparsit, nullum fere neque in argumento quod tractabat neque in ipsius libelli dispositione ordinem secutus (2). Et sane eo magis hoc dolendum venit, quo magis eruditionem viri praesertim historicam, quâ primus fere ad interiorem Legis Jul. et Pap. Poppaeae cognitionem viam muniverit, summâ admiratione omnes prosequuntur. Hunc videlicet in interpretandis singulis Legis placitis magnâ pro parte imitatus est Heineccius, quod ipse vir eximius testatur in praef. Comment. Utinam autem Balduinus in dignoscendâ Lege Juliâ ab eâ quae postea lata est, Papia Poppaea, accuratior fuisset! ita enim nec posteri quoque in huncce errorem acti fuissent, ut existimandum videtur.

Non majori successu in explicandâ Lege nostrâ versatus est Barnabas Brissonius, qui in libello de Jure connubiorum, veterum JCtorum ad Legem Juliam et Pa-

---

(1) Cf. Jurisprud. Rom. et Attica, T. I. p. 191.

(2) Ne autem temere hac in causâ reprehendi videatur indicasse sufficiat, eum primum, p. 202, Caput illud quod ex Marcian. fr. 19. D. de ritu nupt. *trigesimum quintum* esse discimus, explicare, deinde vero p. 208. accedere ad aliud caput tractandum quod ex Gellio, Noct. Att. II. 15. *septimum* esse certo constat.

Papiam fragmenta collegit, et interpretatus est. Quodsi autem quaeramus an hic revera legem restituisse dici possit negando respondeamus necesse est. Etenim confuse admodum utriusque legis clausulas memoravit; de capitibus rite distinguendis atque eorum verbis legitimis eruendis ne cogitavit quidem; de caducis porro aliquid lege nostrâ cautum fuisse ex ejus commentario non facile quis suspicabitur, nam totum illud argumentum tractare neglexit, atque ita haec commentatio ad ipsam Legem constituendam parum facit (1).

Ad historiam nostrae Legis illustrandam egregie comparatus est J. Lipsii commentarius (2). Hic enim summae doctrinae vir, licet in litteris magis quam in Jure versatus, auctorum classicorum loca huc pertinentia undique collegit; JCtorum autem opera fere neglexisse videtur. Quid igitur Lege nostrâ cautum fuerit summatim indicat, verum singula capita restituere ne conatur quidem. Ejus tamen operis multiplex usus fuit Heineccio, quod suo loco indicabimus.

Plus autem ad Legis explicationem effecisse videtur Antonius Augustinus (3), vir ingenii excellentiâ et vastâ eruditione praeclarus (4). At neque hic singula fragmenta capitibus suis restituere tentavit, explicandis veterum JCtorum ad Leges Jul. et Pap. locis unice contentus. Haec vero ita explicavit vir eximius ut in admodum paucis Heineccius ab eo dissentiendum putaverit, plurimis in locis ejus explicationes tamquam verissimas agnoverit. Sedulo idem legem Juliam a Papiâ Poppaeâ diversam esse ostendit, adeo quidem, ut prius separatim Juliam explicet, Papiam vero Legem peculiari commentatione illustret. Ast utriusque Legis discrimen accurate indicare prae rei difficultate non valuit. Universe de caducis egisse legem Papiam, verum caetera placita Juliae legi deberi animadvertit (5), quo circa hac quidem in causâ parum ex ejus interpretatione nostra Lex profecit.

Eorum autem, quos huc usque memoravimus, JCtorum laudata opera obscuraverunt ferme J. Gothofredi (6) duo commentarii, quibus Legis Juliae de maritandis ordinibus, ejusdemque caducariae capita explicavit. Etenim hic, ut prioribus in illustrandâ Lege praecellit, sic in eâdem restituendâ non minori laude versatus est. Primus Legem capitibus accuratius distinxit, atque verba genuina constituit; quare, licet universe verum sit quod animadvertit Bynkershoekius (7), hujus viri acutum ingenium magis ad explanandas quam ad emendandas Leges natum esse, illud tamen quoad hancce ejus commentationem verum non putem. Etenim, quamvis multis in causis errasse virum egregium fatendum est, illud tamen satis ejus merita in legis restitutionem declarat, quod non pauca capita ipse primus recte vereque exhibuit. Quodsi autem celeberrimi hujus JCti laborem recte velimus dijudicare, necesse est ut attendamus, quando manus operi admoverit. Atqui, primis Juris stipendiis istum sibi excidisse libellum, ipse Gothofredus testatur. Quid mirum igitur, « hunc, " ut ait Heineccius, « aetatis aestu (1) abreptum plus justo indulsisse ingenio (2); " quid mirum eundem nimis fortasse viribus suis fretum, aliorum JCtorum usum fere non fuisse operibus? Sane eadem haec fuisse causa videtur, quâ tot Legis capita praetermisit, tot ex ingenio Legi affinxit. Balduinum caeterosque secutus, Legem Jul. a Papiâ Popp. distinguere non est conatus; imo vero ne Leges Decimarias quidem a capitibus de maritandis ordinibus secrevit. Quum vero ipse Heineccius Gothofredum passim erroris arguit, infra, ubi ipsum Heineccii opus dijudicabimus, errores Gothofredi accuratius indicandi, melior nobis erit opportunitas; quando tamen simul ejusdem viri laudes, ab Heineccio saepe minus quam par erat celebratas, merito praedicabimus.

---

(1) In Excurs. A ad Tacit. Annal. L. III.

(2) Hoc unicuique apparebit qui vel obiter libellum et notas Trekellii inspexerit.

(3) In Comment. de legg. in Thesaur. Graev. T. II.

(4) Cf. de eximio hocce JCto C. G. Haubold Institut. Jur. Rom. litt. p. 93 et scriptores ibi laudati.

(5) Vide ejus Comment. l. c. f. 1244.

(6) Vid. quatuor fontes Jur. Civ. in Thes. Juris Rom. Ottonis, Tom. III. fol. 206.

(7) Observ. Juris Rom. I. 10.

Gothofredi opere ad corrigendos suos commentarios ad leges Juliam et Papiam usus est Franciscus Ramos del Manzano, Hispanus; quamvis enim hic jam vicennio ante Gothofredum hasce Leges interpretatus fuerat, suum tamen opus publici Juris non prius fecit, quam Gothofredi commentarios perlexerat. Ita factum est, ut in singulorum capitum dispositione Gothofredum ducem secutus videatur vir doctissimus, cum tamen idem colligendis novis undique capitibus, longiorem quandam legem, quam Gothofredus constituerat, nobis exhibet. Nam triginta septem Legis capita sibi invenisse visus erat Gothofredus, ex quibus Ramos, secernendis nempe, quas ille in unum caput congesserat, clausulis, magis ingeniose quam vere quadraginta quatuor effecit. In illustrandis vero legibus tum doctus tum vero etiam copiosissimus fuit; cujus ubertatis exemplum videre est in ejus operis Libro I. c. 7. usque ad c. 26. ubi quinquaginta fere folia formae maximae dissertatione de lege Juliâ vicesimariâ complet. *Latissimos* itaque merito hosce commentarios vocavit J. V. Gravina (3), quos tamen lectu dignissimos esse nemo non suspicabitur, qui vel primam commentarii paginam inspexerit. Praeter quam enim, quod ubivis in hisce libris acutissimi ingenii monumenta prodidit, plane singularem eruditionem spirant singuli ejus conatus in legem restituendam. Accuratissime idem ad unumquodque caput, Juris, quod eo continetur, progressus indicavit, sedulo SCta ad legem facta ab ipso Juris placito distinguens. Atque haec in causis sunt, cur quam-maxime dolendum videatur, Heineccium, licet omni adhibitâ industriâ, sibi illud opus in suae interpretationis subsidium comparare non potuisse (1); etenim hunc, si illud vidisset, absolutiores etiam commentarios daturum fuisse recte animadvertit Greg. Majansius (2), qui ipse egregii viri lucubrationes ab aliorum cavillationibus merito vindicavit. Operae pretium erit infra videre quatenus duumvirorum doctissimorum de eodem argumento conveniant placita.

---

(1) In Comment. ad reg. Juris, p. 794.

(2) Commentar. I. 53.

(3) In Orig. Juris Civ. c. 41. Idem l. l. de legibus et SCtis agens, Legis Juliae et Papiae placita persequitur, ita tamen ut magis Jac. Gothofredi restitutionem summatim exponere, quam ipse Legem interpretari videatur. Quamobrem disputare de eo, quod in legem restituendam perfecerit, supervacaneum esset.

Haec sunt, quae de Legis Juliae et Papiae Poppaeae interpretibus Heineccio antiquioribus breviter disputare utile duximus. Utinam autem hisce illud inprimis ostendisse videamur, praeter Gothofredum et Ramum, omnes fere magis in colligendis atque interpretandis Legis placitis, quam in hac restituendâ fuisse versatos! — De Gothofredi vero et scriptoris Hispani meritis sequenti capite apparebit ulterius.

CAPUT PRIMUM.

DE J. G. HEINECCII IN RESTITUTIONEM LEGIS JULIAE ET PAPIAE POPPAEAE MERITIS.

§. 1.

De Heineccii *vitâ et studiorum ratione.*

Joannes Gottlieb Heineccius natus est Eisenbergae, Thuringiae oppidulo, anno 1681. Ut studiis litterisque humanioribus operam daret, jam etiamnum puerili aetate postulabant tum incredibilis ejus diligentia in addiscendis primis scientiarum elementis, tum vero etiam debilis atque infirma valetudo. Pater neque ipse illitteratus neque inhonesto genere natus, simulac in filio primus ingenii vigor emicuit, ejus studia regere, animique dotes fovere coepit. Egregie quoque hi conatus viro cesserunt. Adeo enim a teneris inde discendi cupidine atque solertiâ ferebatur, ut juvenis etiamnunc Philosophiâ, Historia omnibusque litteris elegantioribus imbutus, ingenti eruditionis copiâ instructus esset. Primum quidem maxime in sacras antiquitates incubuit, ita, ut primis studiorum stipendiis, laudatam dissertationem de habitu et insignibus Apostolorum sacerdotalibus conscripserit. Sic factum est, ut sensim sensimque Theologiae sese daret, imo etiam postquam magister Philosophiae renuntiatus esset, Lipsiae saepius verba fecerit non sine applausu. Verum brevi post, mutato consilio ad Jus sese convertit, tum quia ex animi sententiâ hisce studiis se dicare jam pridem desideraverat, tum quod verebatur ne gravius quoddam debili pectori malum accederet, si in suggestu verbi sacri magister vocem quandoque paulo plus intenderet. Dehinc igitur incredibili ardore Jurisprudentiam amplexus est, non quidem caeco impetu JCtorum, quibus tunc temporis Germania repleta erat, vestigia sequens, verum sedulo hoc agens, ut missâ scholasticâ methodo eorum, qui se barbarâ voce Practicorum nomine efferrent, germanam illam et vere Romanam Jurisprudentiam excoleret, eam nempe, quae non unâ alterâve Lege vel constitutione olim conditâ continetur, sed quae omnem suam vim et efficacitatem variarum legum eleganti consensui acceptam fert. Quam igitur Cujacius et summi deinde JCti iniverant viam, tam feliciter progressus est Heineccius, ut, nisi ingenii acumine, docendi tamen arte atque in explicando perspicuitate caeterorum JCtorum facile princeps evaserit. Neque vero ingentem eruditionis copiam in scholis lectionibusque abscondere, verum in lucem promere quidquid doctrinae collegerat decrevit. Egregii illius consilii testimonium est illustre illud Antiquitatum Jus Romanum illustrantium Syntagma, opus, quod revera permulta continet, quae

---

(1) Heinecc. Comment. p. 16.

(2) In vitâ Fr. Ramos del Manzano, ejusdem libris de Legibus Jul. et Papiâ Popp. praefixâ, in Thesauri Meermanni, Tom. V.

> Indocti discant, et ament meminisse periti (1).

Belgae inprimis optimi horum studiorum Judices, hoc specimine allecti meritas viri laudes palam praedicarunt, atque non diu post auctorem ad se vocarunt. Scilicet quum illud opus ederet Heineccius, in Academiâ Halensi privatus tantum Juris Doctor cupidae legum juventuti Jus Civile tradebat. Mox vero, a. 1721, Professor Juris ordinarius evaserat. Dehinc duobus praeterlapsis annis simul in Viadrinâ Antecessor designatus et ab illustrissimis Frisiae Ordinibus Franequeram in locum

---

(1) Neque vero me fugit multa hac in causâ antiquiorum JCtorum operibus debere Heineccium, imo etiam subinde ipsa verba describere Sigonii in Libro de antiquo Jure Civium Rom., Ital. et Provinc. At attendendum hic est, eum accurate singulis locis citare Sigonium, a recentiorum more hac in causâ alienissimus, qui cum aliorum operibus utuntur, verba quidem sententiasque mutare paulisper, ipsam vero fontem unde hauserint, turpiter silere solent.

Clarissimi Westenbergii JCti evocatus est. Quum vero sciret « nullibi tantum illius otii quod Musis studiisque gratissimum est concedi Professoribus, quam in Belgicis Academiis," anno 1723 in Frisiam migravit, egregium quoddam posteris praebiturus documentum, quantivis semper pretii fuisse tutum illud temporis spatium, quo summos aliquando viros majores nostri allicere atque devincere potuerunt (1). Quam diligenter quidem Heineccius largius illud otium in studiosorum non tantum, verum praesertim in ipsorum Juris peritorum commoda consumsit, tot tantaque ejus scripta probant, ut eorum merita laudare supervacaneum, eadem vero enumerare longius foret (2). Illud dixisse sufficiat, summos quosque Belgii viros, inter quos Bynkershoekii nomen tunc celebrabatur, summâ admiratione virum coluisse, atque avide ejus operibus fuisse fructos. Sed non diu optatâ illâ sede vitam degere Heineccio concessum fuit. Impedivit febribus attriti corporis conditio quominus marinâ atque palustri patriae nostrae aurâ diutius uteretur. Francofurtum igitur se vocatus contulit neque facile hanc urbem reliquisset Heineccius, nisi Principis jussus eum Halensi Academiae restituisset. Hîc reliquum vitae spatium eodem semper ardore studiis suis deditus degit, nec provectior aetas ei quidquam illius laudis detraxit quam juvenis sibi pepererat (3).

De Heineccii vitâ studiorumque ratione, breviter ut par erat, exposuimus; haec vero satis sint, non quidem ad merita Heineccii universe praedicanda, verum ad commendationem ejus operis, cujus merita dijudicare jam aggredior.

§. 2.

De Heineccii *Commentario universe.*

Qui tantâ doctrinae copiâ atque ingenii subtilitate gravissima Juris Civilis argumenta tractaverat Heineccius, non potuit non paratissimus accedere ad restitutionem Legis Juliae et Papiae Poppaeae. Etenim antequam hasce Leges illustrare susceperat, jam pridem in scriniis latitabant fragmenta JCtorum ad Edictum Perpetuum,

---

(1) Causas cur Heineccius patriam nostram praetulerit vide apud J. C. G. Heineccium, celeberr. JCti filium in Commentario de vitâ, fatis ac scriptis J. G. Heinecii, praefixo hujus Recitationibus in Elementa Juris Civilis, editis Leovardiae et Franequerae, a. 1772.

(2) Horum prae caeteris notatu digna sunt « Elementa Jur. Civ. secundum ordinem Institutionum," Amst. 1725. Quod opus deinde variis inter V. V. D. D. litibus opportunitatem dedit. Cf. « G. I. Schutzii Examen meth. axiomaticae quâ in Elem. Jur. Civ. usus est Heineccius." et « G. Sellii Vindiciae meth. quâ in Elem. Jur. Civilis usus est Heineccius."

(3) Cf. Elogium J. G. Heineccii auctore C. F. Walchio in actis Societ. Lat. Jenens. Vol. II. p. 285.

tuum, atque Aedilitium, Leges Juliam et Papiam, Aeliam Sentiam, Juliam de adulteriis, itemque libros Sabini, Alfeni, Plautii, Celsi, Juliani, Ulpiani ita disposita, ut, quae inter se conjungenda essent, statim appareret (1). Atque hac in re caeteris, qui ante eum Legem Jul. et Papiam illustraverant, longe praestitit Heineccius. Celsi enim fragmentis e libris Digestorum XXX — XXXVI nullus alius usus est, cum tamen ad interpretationem Legis Juliae et Pap. Poppaeae omnino pertineant (2).

Hisce vero nondum contentus auctorum veterum testimonia de origine fatisque Legis sedulo indagavit, et porro eorum operibus usus est, ut quidquid ex Philologiâ ad explicationem singulorum capitum inservire posset, colligeret; qui tamen labor, aut fallor, aut levis admodum fuit viro antiquitatum Romanarum probe gnaro. Fieri igitur aliter non potuit, quin reconditam doctrinam redolerent hi commentarii; immo vero eruditionis copiâ caeteris ejusdem scriptis praestarent, uti verissime animadvertit Haubold Inst. Jur. Rom. Litterar. I. 164. Cum autem tot tantaque illi subsidia fuerunt, forsitan quis incongestam molem hîc suspicetur verbosae eruditionis; in illud nimirum conspirare videntur illius aetatis Juris periti, ut quidquid doctrinae a juvenilibus inde annis comparatam habeant, illud ubivis abunde effundant. Nos vero eo magis Heineccium admiramur, qui pro horridis atque incultis commentariis, elegantem quandam atque politam commentationem prodit, cujus lucidus ordo lectorem tenet; quod sane unicuique qui commentarii dispositionem accuratius perspexerit manifestum erit. Opus suum in tres Libros dividit, quorum *Primus* Legis Juliae et Papiae Poppaeae historiam continet; *Secundus* ad Legem de maritandis ordinibus; *Tertius* ad Legem caducariam sive de caducis conscriptus est.

Historiam autem Legis Papiae *primo libro* exponens apprimis hoc agit, ut ne confundatur Legum, quae eodem hoc nomine insignitae sunt argumentum, finis, aetas, occasio. Explicatis scilicet, *Capite* I°, Legibus Papiis, ab hac nostrâ Lege discernendis, in *sequenti* varia variarum gentium et inprimis Romanorum instituta persequitur, quibus civium numerum augere studuerunt; quo facto finem quem Augustus hac Lege condendâ sibi proposuerat, convenienter indicat. Hoc deinde *Caput Tertium* excipit, quo Legis ferendae opportunitatem atque historiam explicat, *in sequenti* de M. Papii Mutili et Q. Poppaei Secundi Coss. gentibus atque familiis acturus. *Ultimo* denique *loco* de Legis Papiae partibus et capitibus, atque quomodo ea ordini suo restituenda sint exponit; quâ in re sic versatus est, ut primo quid de variorum capitum ordine statuendum sit summatim indicet, tum fragmenta ex commentariis veterum JCtorum ad priorem Legis partem, secundum librorum ordinem, disponat, tandem priorem illam Legis partem textui suo restitutam edat, brevibus, ubicunque rei ratio hoc postulare videbatur, notis adjectis, collatâque Gothofredi restitutione.

---

(1) Cf. praef. ad ejus Commentationem.

(2) Cf. Gothofred. de Reg. Juris, p. 748. et infra pag.

Libro secundo, Legis de maritandis ordinibus textum fusius illustrare incipit, singula diversi argumenti capita explicans, quae vero secum invicem cohaerere videbantur, unâ eâdemque orationis serie complexus. Ne vero quis varias, quas subinde Lex Papia passa est mutationes, confundat, explicitae cujusque clausulae fata diligenter exponit.

Ad explicationem legis caducariae *ultimus liber* comparatus est, quo tum fragmenta JCtorum veterum ad hancce Legem ordine suo disposita, tum vero etiam ipsa Legis capita restituta continentur. Ultimis autem capitibus, eodem modo quo prius Legem de maritandis ordinibus explicaverat, capita de caducis diligenti illustratione complexus est.

Toti praeterea operi *addenda* quaedam et *emendanda* subjecit, quibus non tantum leves quidam errores Librarii vindicantur sed adduntur quoque ea, quae notatu dignissima sunt. Tres denique, neque magno studio confectae, auctorum, Legum, rerum et verborum indices commodum libelli usum augent.

Aut fallor aut convenienter admodum Heineccius, hoc modo commentarium disposuit. Nimirum dilucide obscura haecce legislatio erat explicanda, si tamen profligarentur aliquatenus, quibus illa obvoluta jacebat, tenebrae. Quodsi igitur attendamus hocce inprimis Heineccii propositum fuisse, mirari desinemus, saepius ab eo eandem rem repetitam fuisse. In brevibus scilicet illis notulis, quas restitutis capitibus subjecit, nonnunquam easdem res obiter indicat, quas deinde fusius explicabit; quod tamen illi vitio vertendum non putem; notulae enim illae lectoris animum ad ampliorem explicationem quasi praeparant; et pleraeque egregie inserviunt ad probandum, capitum restitutionem firmissimis inniti argumentis.

Ut ut vero est, commentarii tum dispositio, tum vero etiam forma externa elegantissima est, atque eo magis lectorem allicit, quo molestior usus sit aliorum commentariorum ad Legem Juliam et Papiam, qui stupendâ suâ amplitudine scrinia complent.

Atque haec quidem de ejus commentario universe dixisse sufficiat; accuratius jam singula ejus merita in legis restitutionem dijudicanda sunt. Quapropter primum videamus, quomodo omissa ab aliis capita ex veterum JCtorum libris eruere conatus sit.

§. 3.

De variis capitibus clausulisque ab eo primum Legi insertis.

Multas easque gravissimas clausulas Legi nostrae addidisse Heineccium omnibus procul dubio erit, qui viderint eum accurate ad singula capita indicasse, quaenam a Gothofredo omissa erant, quaenam contra ex ejusdem restitutione repetita. Singula igitur illa notare, laboris mei pars erit facillima. At gravior insuper quaedam me manet disputatio, quâ inquirendum est, an neglectas illas a prioribus Legis partes recte et vere restituerit.

Gravissima inquam erit haecce inquisitio; neque in laudandis iis, quae non injuriâ Legi inseruisse visus erit, consistet; audacius enim agendum atque subinde ea notanda putavi, quae me quidem judice Legi Juliae et Papiae Poppaeae perperam tribuuntur a viro egregio. Eo confidentius vero de iis disputare sustineo quod doctiores viros animadvertisse jam video, temere nimis Heineccium, quidquid in JCtorum commentariis repperisset ipsi Legi inseruisse. Cf. Hugo Civ. Magaz. IV. 395. Quatenus autem hac in causâ cum viro docto faciendum sit, age jam videamus, singulatim unamquamque clausulam, quam primus legi attexuit, exponentes.

Capiti tertio haec addit noster: « Omnes puberes virique potentes matrimonium « liberorum quaerundorum causa inire tenentor." Lege Juliâ definitam quandam aetatem fuisse, quâ matrimonium esset ineundum, ex Tertulliani Apologet. cap. 4. discimus, ubi, Legem Papiam, ait, prius liberos suscipi coegisse, quam Juliam matrimonium contrahi. Quaenam vero aetas Lege Papiâ aut circa matrimonium ineundum, aut circa liberos procreandos definita fuerit valde incertum est. De lege Juliâ constat, legitimam aetatem, quâ Lex liberos exigebat, XXV annorum in viro, in uxore annorum XX fuisse. Cf. Ulpian. fr. XVI. 1. Quum autem ulterius nihil de aetate reperiatur apud auctores, equidem non video unde Heineccius illud sumserit, omnes puberes virique potentes ad matrimonium ineundum teneri. Frustra sane testimonio Scholiastae a Cruquio editi, ad Horat. Carmen Saecul., suam sententiam firmare conatur, cum etiam apud hunc de aetate legibus sancita altum sit silentium. Quodsi vero quaeramus an verosimile sit pubertatem legitimum matrimonii ineundi tempus fuisse, affirmando respondeamus oportet, respicientes, prius exegisse legem Papiam liberos, quam Juliam matrimonium, unde sequitur circa nuptias ineundas, de tenerâ admodum aetate in lege Papiâ actum fuisse. Ut ut vero est, nimis ingenio videtur indulsisse Heineccius, hancce clausulam capiti tertio addens; quod eo majori fiduciâ contendo, quo magis summos quosque viros ab eo hac in re dissentientes video. Cf. Schulting ad Ulpian. fr. XVI. 1. in nota. Gothofredus ad cap. 23. legis Juliae in nota. Ramos del Manzano L. IV. reliq. 24.

De concubinatu aliquid lege Juliâ et Papiâ cautum fuisse jam Cujacius viderat (ad fr. 144. D. de V. S.), verum diligentius indagare, quid tandem de hac Leges sanciverant, Balduinus, Augustinus, Lipsius et Gothofredus veluti ex compacto neglexerant, quo factum erat, ut is, qui magis ex industriâ hancce legis partem explicare conaretur, non sane reprehendi posset, quasi falcem in alienam messem immitteret. Primus autem huic rei lucis aliquid offundere cogitavit Heineccius, qui Cap. IV. verba legis sic restituit: « Quas personas per hanc Legem « uxores habere non licet, eas concubinas habere Jus esto. Ingenuam honestam in « concubinatu habere jus ne esto." Legitimum quodammodo concubinatum legibus effectum fuisse docet Marcianus Fr. III. §. 1. de concubinatu; dicit enim, per *leges* concubinatum nomen assumsisse; Legibus autem illis, Juliam Papiamque significari nemo, ut opinor, negabit, reputans etiam Ulpianum in commentario ad hasce leges de concubinatu egisse (1). Eodem auctore (2) statuit Heineccius: « Ingenuam honestam in concubinatu habere, Jus ne esto."

Quodsi autem quis hisce argumentis male persuasus etiam nunc dubitet, talem de concubinatu clausulam continuisse Leges Juliam et Papiam, quam maxime, ni fallor, ejusdem dubitationem minuet Frederici Ramos disputatio (3), qui Heineccii conjecturae, ut supra exposuimus omnimodo ignarus, eandem sententiam iisdem probationibus tuetur. Equidem cum diu incertus haesissem, an ingeniosae huic restitutioni fidem haberem, eximiorum illorum virorum spontaneo consensu didici tandem, quid in tam ancipiti causâ statuerem.

In caput sextum, quod apud Gothofredum quartum est, pro verbis: « Si « qui scientes dolo malo adversus hanc Legem coierint —" Heineccius ex Institutionibus (4) petitam clausulam inserit: « nec vir nec uxor, nec socer socrusve, « nec gener nurusve intelliguntor." Cum autem totum hocce caput, ex meâ quidem sententiâ temere a viris doctis restitutum est, in sequenti paragrapho hujus quaestionis pertractandae melior erit opportunitas.

In restituendo octavo legis capite in eundem errorem incidisse videtur Heineccius, cujus alio loco (5) Gothofredum arguit. Nam cum lex caveret: « petentibus honores singuli anni per singulos liberos demittuntor" hisce subjunxit: « iis« que honores citius quam per leges annarias licet, petere sine fraude suâ liceto." Fefellit virum eximium Ulpiani locus L. III. ad Leg. Jul. Pap. fr. CXXXI. D. de V. S., ubi JCtus agit quidem de fraude; verum unde, quaeso, patet, ad hoc caput pertinere illam disputationem, quae, me judice, eodem jure ad poenas coelibatus orbitatisque, aliis capitibus sancitas, referri possit (1).

---

(1) Lib. II. ad Leg. Jul. Pap. fr. I. D. de concub.

(2) Ulpian. l. l. Ceterum saepius *leges* intelliguntur Lex Julia et Papia, cf. infra.

(3) Vid. Comment. l. IV. reliq. 2. (4) De Nupt. §. 12. (5) Ad cap. 1. p. 108.

Quidquid de re statuendum sit, etiamsi huc Ulpiani locus pertineat, potius tamen est, ut illum ex ejusdem interpretatione esse statuamus; nec alia ulla ratio adesse videtur, cur illum tamquam centonem vesti assutum, legi inseramus, cujus legitima verba brevia solent esse atque concinna.

De liberatione liberti ab operis ob liberos agens, recte adjecit Heineccius verbum *operas* a Gothofredo neglectum. Accurate etiam Caput XVI. hoc modo restituit: « si ex alio matrimonio liberos superstites habebunt, *praeter decimam quam « matrimonii nomine capiunt*" (haec omiserat Gothofredus) totidem decimas « pro numero liberorum capiunto." Vide Ramos, p. 40.

Ad ea autem, quae ex antiquitate primus eruit Heineccius, pertinet prae caeteris etiam Caput XXXI. de affinitate morte divortioque solvenda, quod sic exhibet: « Affinitas praeter quam inter novercam et privignum, nec non solerum socrumve « et generum nurumve morte divortioque solvitor." Equidem ut ut certum sit, hoc juris fuisse apud veteres Romanos, illud tamen cum auctore legi Papiae tribuere non ausim. Paulus quidem, fr. XIV. §. ult. D. de R. N., Augustum, ait, aliquid interpretatum fuisse de nuptiis cum matre ejus, quae sponsa nobis fuerat, prohibitis; ast non putem exinde colligi posse, eundem lege Papiâ Poppaeâ ita cavisse; neque ullum alium interpretem talem clausulam nostrae legi attexere inveni. Adde, quod Gajus, Comm. I. §. 63, idem Juris placitum exponens, Legis Papiae nullam facit mentionem, quum alias, Juris fontem accurate indicare soleat.

Eam legis partem, quâ de divortii modo et poenâ agitur, ita restituit Heineccius, ut fere nesciamus, quid magis mirandum sit, aut viri diligentia, quâ ex variis fragmentis sedulo collatis novam quamdam clausulam cum magnâ verisimilitudine effinxit, aut acutum ejusdem judicium, quo spuria quaeque a genuinis distinxit. Nimirum Gothofredus jam animadverterat de dotis repetitione et retentionibus in lege actum fuisse; verum neglecto Ulpiani loco Fragm. T. VI. §. 10 et 13. capitis verba restituere non cogitaverat. Sed Heineccius rite perspectis JCti verbis haecce nobis legis verba servavit, veri quam simillima: « Soluto citra culpam uxoris « matrimonio, si mulier ob mores mariti divortit, vir eam dotem, quae annua, bima, « trima die reddi debet ob majores mores praesentem, propter minores senum mensium die reddito." « Sin mulieris culpa discidium factum: morum quidem nomine « maritus graviorum quidem sextam, leviorum octavam dotis partem retineto." Legem ita esse restituendam, neque Ramos viderat.

---

(1) Ex eo quod libro III. ad Leg. Jul. Pap. hoc scripsit Ulpianus, nil probari potest. Idem enim L. XIX. ad Leg. J. Pap. ipsa legitima legis verba exhibet. Vid. fr. II. D. de minor.

Ad legem caducariam non minoris momenti quasdam clausulas adjecit Heineccius. Etenim in exordio Legis jam Caput invenimus, quod frustra apud caeteros interpretes quaerimus; illud videlicet, quo dies, quâ hereditas adeunda sit, atque legata cedant, definitur. Firmissimis autem argumentis usus est, ut probet ita fere sese habuisse clausulam: « Hereditatem, si plures sint cohaeredes extranei, tabulis « testamenti apertis, demum adire liceto, neque ante dies legatorum pure vel in diem « certum relictorum cedito. " Ne vero quis putet alienum fuisse a legis nostrae argumento hocce juris placitum; quidquid enim in testamento, mortuo prius haerede, ante aditionem defecerat, tamquam caducum fisco vindicabatur; Cf. l. unic. Cod. de Caduc. §. 2. quo circa legis erat, ad locupletandum aerarium comparatae diem aditionis in longius quoddam tempus deferre, ne scilicet citius in suos heredes, quidquid cepissent possent transferre legatarii. Caeterum animadvertendum venit, hoc loco Ramos, idem caput non ipsi legi sed Senat. Consultis ad eam factis tribuere (1), Justinianum in leg. unic. cit. auctorem secutus. Nos collato Ulpiani loco fr. Tit. XXIV. §. 31. cum Heineccio faciendum esse existimavimus.

Ad Caput LIII. de legatis ante aditam hereditatem agnitumve legatum caducis factis, Heineccius legatorum per damnationem, sinendi modo, vel per praeceptionem relictorum diserte mentionem facit, ut ita nimirum legatum per vindicationem relictum lege exceptum videretur. Quodsi autem in subtili hacce distinctione reconditam viri miremur doctrinam, non tamen ei assentire possumus. Licet enim, quae illo loco disputat, antiquitus revera sese ita habuerint, in eodem tamen jure mutationem introduxisse legem Papiam infra videbimus. Quodsi vero reputemus, ante repertos Gaji commentarios, apud nullum veterum JCtorum hanc clausulam memoratam inveniri, Heineccii quantumvis errantis, laudes praedicare debemus, qui quidquid de tantâ re suâ aetate constaret, perspexit. Quo circa hac quidem in causâ cum Heineccio errare, quam cum Gothofredo vera proferre malimus.

Denique Capite LVII. de transmissione legatorum actum fuisse, ex fragmentis quibusdam Ulpiani, Paulli et Gaji ad legem Papiam probare conatur Heineccius. At magis ingeniosa quam vera ejus disputatio nobis visa est, reputantibus, saepius JCtos in commentariis ad legem Juliam et Papiam, juris placita exposuisse, quae tamen ab ipsa lege admodum essent aliena (2). Quodsi autem temere nimis hocce caput legi assutum fuisse statuetur, illud tamen negari nequit, Juris fuisse apud Romanos hancce clausulam: « Legatum jure aut in diem certum per vindicationem re-

---

(1) Comment. ad leg. Jul. Pap. p. 40. et L. IV. reliq. 35.

(2) Exempli gratiâ conferri potest fr. CXXXIV. de V. S. ubi Paullus L. II. ad nostram Legem, Aeliae Sentiae legis clausulam exponit. Cf. Gaj. I. 29. Idem in commentario ad legem Ael. Sentiam, Legis Juliae caput explicat. Cf. fr. VI. D. de Jure patron.

« relictum post apertas tabulas; reliqua non nisi agnita; conditionalia denique post « conditionis eventum ad heredes transmittuntor."

Multis igitur in causis illud vidisse Heineccium, quod Gothofredi oculos, utut lynceos in investigandis veterum fragmentis, ipso auctore nostro teste (1) fefellerat, jam satis superque demonstratum videtur. Hispano autem auctori ita hac in re praestitit, ut cum ille, quantumvis doctrinae ad commentationis apparatum congesserit, pauca tantum legi nostrae capita addiderit, eaque omnia neque ab Heineccio omissa, hic non minori eruditione ad tantam rem tractandam paratissimus passim ea ex scriptoribus antiquis eruerit, quae singula ad legis placita cognoscenda praesertim apta erant. Quod autem ad ea attinet, quae temere nimis Legi inseruit, ea fere sunt hujusmodi, ut magis abundare quam ipsum contextum immutare videantur. Quo circa ampliorem quandam atque absolutiorem, ut videtur, Legem Papiam nobis dedit Heineccius. Utrum vero omnino haec talis sit, qualis ab Augusto legislatore lata sit, de eo proximo jam paragrapho ulterius disputabimus. Etenim jam dijudicanda erunt ea legis capita, quae constituta ab antiquioribus, agnovit aut rejecit.

§. 4.

De ejus meritis in veris Legis clausulis a falsis distinguendis; corruptioribus restituendis.

In dijudicandis iis Legis capitibus, quae, restituta jam ab aliis JCtis, Heineccius vera falsave judicavit, aut corruptiora emendavit, multa nobis occurrunt, quae quominus agnoscamus impedit aut argumentorum, quibus usi sunt Viri Docti, levitas, aut novorum Juris fontium, e quibus huic etiam legi nova quaedam lux affulsit, major omni conjecturâ auctoritas. Quo circa prius videbimus de iis, quae jure meritoque aut tamquam falsa rejecit, aut corrupta restituit Heineccius, ultimo loco de iis acturi, quae minus recte ad legem retulit, aut quod tutius dicatur, retulisse nobis visus est.

Quum vero, ut par est, hae commentationes arctis plerumque finibus circumscribuntur, vereor equidem, ne, si omnes, quae hic in censum veniunt clausulas, disputatione complectar, longior sim, inprimis vero ne amplâ quadam disquisitione, eâque nec eleganti nec politâ virorum Doctissimorum otio patientiâque abutar. Quare pauca tantum capita hic explicare lubet, ea nempe, quibus quantum ex Heineccii re-

---

(1) Comment. ad Leg. J. P. p. 508.

restitutione profecerit Lex nostra manifestum fiat, et e quibus caetera, qualia sint, tute judicari poterit.

Ad ea autem, quae tamquam spuria rejecit **Heineccius**, inprimis pertinet haecce clausula, quam **Gothofredus** capiti tertio adjecerat:

« Pontifex M. arbitratu suo virgines XX. non majores quam decem annos natas « e populo legat, sortitioque in concione ex eo numero fiat, et cujus virgo ducta « erit, eam Pontifex Max. capiat, eaque Vestae fiat."

Nititur **Gothofredi** sententia loco **Gellii** Noct. Att. I. 12. ubi « se Legem Pa« piam invenisse" ait, quâ ita cautum fuerat. Verum antiquâ et obsoletâ quâdam lege hoc sancitum fuisse ipsa **Gellii** verba arguunt, qui postquam paulo ante de ritu capiendi virgines Vestales litteras antiquiores exstare negasset, mox tamquam exceptionem additurus subjicit: « sed Papiam Legem invenimus." Merito idcirco rogat **Heineccius**, an ita scribant, qui monumentum quoddam celeberrimum et in vulgus notum excitant? Caeterum idem sufficienter demonstrasse videtur legem hancce in duplicem finem conditam fuisse; *primo* nempe, ut virgines Vestales, quae antea e solis patriciis legebantur, dehinc e *populo*, id est, ex utroque ordine caperentur; *secundo*, ut minus molesta fieret illa electio, sortitione factâ, adeoque quasi divinitus ex optatis virginibus. Atqui multo antiquiorem Lege Papiâ Poppaeâ huncce morem fuisse, recte ex **Dione Cassio**, L. IV. p. 563. et **Sueton.** in Aug. c. 31. colligitur. Quodsi autem insuper reputemus argumentum hujus clausulae neque ad augendum civium numerum per matrimonia, neque ad locupletandum aerarium inservire potuisse, tum vero etiam nullum in nostrâ lege caput inveniri cui hoc, propter argumenti affinitatem commode possit subjungi, merito, ni fallor, hocce caput, tamquam falsum rejecisse videbitur **Heineccius**, neque nos eo commoveri patiemur, quod etiam **Ramos del Manzano**, L. IV. Reliq. 23. hocce caput ad nostram Legem retulerit (1).

Non minorem laudem idem meruit in restitutione capitis 13, quod apud **Gothofredum** sextum est. Quum enim lege caveretur: « ne divortii faciendi potestas « libertae, quae nupta est Patrono, quamdiu is eam uxorem esse volet, neve, invito « illo, alii nubendi potestas esto" — hisce attexuit **Gothofredus**:

« Gener socerve inviti in reos testimonium ne dicunto. Liberta quae patroni vo« luntate nupta erit, operarum obligatione liberator. Quae in concubinatu patroni

---

(1) Argumenta quibus contrarium efficere conatus, affert Vir Clarissimus **Gratama** in diario juridico: Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving, door C. A. **den Tex** en J. **van Hall**, Amst. 1828. Tom. III. p. 282. Eandem sententiam jam prius defenderant P. **Merula** de legg. Rom. p. 275. J. V. **Gravina** de legg. et SCt. §. 44. p. 571. adde **Augustinum**, p. 1245.

« erit, ab invito eo discedere alterique se in matrimonium vel in concubinatum dare « jus esto.”

Mirum sane in modum ad hocce caput de Divortiis, has clausulas retorsisse Gothofredum, cuivis vel primo intuitu manifestum est. Egregie quoque eas rejiciendas esse probavit Heineccius. Verba enim illa priora: « Gener socerve inviti « in reos testimonium ne dicunto” ex Lege Juliâ Publicorum Judiciorum esse, neque huc pertinere, diserte testatur Paulus L. II. ad Leg. Jul. et Pap. fr. IV. D. de testibus. Quae sequuntur de libertâ concubinâ tum parum accurate expressa, tum vero etiam non ex ipsâ lege sed ex ejusdem interpretatione desumta sunt. Etenim male intellexit Gothofredus locum Ulpiani fr. I. princ. D. de concub. cujus sensus, ut recte docet Heineccius, hic est: Libertam deserto patrono alteri nubere non posse; honestius enim esse eam sese alteri in concubinatum dare, ne scilicet fructum capiat illa illatae patrono injuriae. Ut ut est, haec ex ipsâ lege nequaquam de promta esse patet ex eo, quod Julianus teste eodem Ulpiano fr. XI. pr. D. de divort., aliam sententiam defendat, quod sane facere non potuisset, si lex disertis verbis alterutram sententiam sanxisset. Atque hoc quidem in causis est, cur merito Gothofredum reprehendisse videatur Heineccius, quod temere admodum inscriptionem fr. I. D. de Concub. ita refinxit ut commode ad hocce caput possit referri JCti sententia. Perquam enim manifestum est hanc pertinere ad caput illud de concubinatu, quod supra (§. 3. pag. 14.) a Gothofredo omissum vidimus.

Porro non agnoscit Heineccius illud placitum quod Gothofredus cap. 20. sic exhibet: « Fundum dotalem Italicum maritus, invitâ uxore, ne alienato, neve « consentiente eâ obligato.” Nominatim scilicet hanc prohibitionem Legi Juliae de adulteriis tribuit Paulus Recept. Sent. L. I. T. 21. nec expressa illa auctoritas sinit, judice Schultingio ad locum Pauli laudatum, ut illam prohibitionem alio referamus.

Caeterum ipse Gothofredus in notis sese a sententiâ prolatâ retrahi testatur, ipso nimirum loco laudato, et inscriptionibus Legum II, VI, XII, XIII, XIV. D. de fund. dot. ad hoc adactus. Concedit igitur vir eximius totum illud Caput 20. esse delendum, simul vero in eâdem notâ addens reponendam esse ejus loco aliam quandam clausulam ex Gajo, fr. VII. D. de censu, petitam, quâ cautum, ut divortia, septem civibus Romanis, praeter libertum, adhibitis, fierent. Quamvis enim bene sciret Vir Doctissimus etiam illud placitum a Paulo et Ulpiano legi Juliae de adult. tribui, id ex lege Papiâ Poppaeâ in illâ lege repetitum censet. Verum, uti egregie observat Heineccius, nondum expeditum est, lege Juliâ illâ nostram Papiam esse antiquiorem, nec praeterea verisimile est, intra brevissimum temporis spatium bis idem cavisse Imperatorem.

Haec tandem sufficiant, ut exempli loco pateat, egregie spuria quaeque a genuinis distinxisse Heineccium.

Caeterorum, in quibus juste vera a falsis dignovisse nobis visus est vir eruditus, hic sequitur Catalogus:

Caput Primum. De senatorum caeterorumque liberorum nuptiis.

« Qui senator est, quive filius neposve ex filio proneposve ex filio nato, cujus « eorum est, erit, ne quis eorum sponsam uxoremve sciens dolo malo habeto li« bertinam, aut eam, quae ipsa, cujusve pater materve, artem ludicram facit, « fecerit. " (Gothofredus addit: « Item eam, quae palam corpore quaestum « facit, fecerit.")

Caput XXIII. De solidi capacitate ob absentiam reipublicae causâ.

« Si vir abest reipublicae causâ, donec abest et intra annum postquam abesse de« siit, libera inter eum et uxorem testamenti factio esto. " (Gothofredus addit: « Si vir commodi sui causâ absit, ex bonis uxoris suae solidum ne capito. « At si sine detrectatione reipublicae causâ aberit, donec abest, etc. ")

Caput XXXV. De cogendis parentibus ut liberos elocent.

« Qui liberos, quos habent in potestate, injuriâ prohibebunt ducere uxores vel « nubere" (Gothofredus: vel qui dotem dare nolunt") « in matrimonium « eos" (Gothofredus addit: « genero nuruive") « collocare per praetorem « urbanum coguntor."

Caput LIII. De bonis vacantibus.

« Si ante editam hereditatem agnitumve legatum per damnationem, sinendi modo, « vel per praeceptionem relictum" (Gothofredus has species omisit) « heres « legatariusve decedat" (Gothofredus addit: « hereditas legatumve seu va« cantia populo vindicantor. Item si") « sive heres legatariusve jus suum omit« tat, repudietve: hereditas legatumve seu vacantia populo vindicantor neve he« redibus" (Gothofredus addit: « eorum") « deferuntor."

Prouti autem in veris falsisque Legis placitis dignoscendis acute versatus est Heineccius, ita ejusdem conatus in corruptiori legis contextu corrigendo, atque emendando, valde sunt egregii; quod uno alterove exemplo ostendi meretur.

« Ei mulieri virginive, quam ex hac lege nubere oportebit, tutor ad dotem dandam « dicendam promittendamve, si legitimum tutorem non habeat, a Praetore Urbano « da-

« dator." Ita Caput V. exhibuerat Gothofredus aliique, qui ante Heineccium legem explicare conati erant. Innitebatur eorum restitutio testimonio Ulpiani, L. XI. §. 20. « Ex lege Juliâ de maritandis ordinibus tutor datur a Praetore Urbis, ei mulieri virginive, quam ex hac ipsâ Lege nubere oportet, ad dotem dandam dicendam promittendamve, si legitimum tutorem pupillum habeat" aut « pupilla non habeat" aut « illa non habeat." Locus sane, ut videmus, variis iisque diversissimis lectionibus est obnoxius. Videbat Heineccius ineptam esse illam clausulam: « si *legitimum* tutorem illa non habeat." « Quid enim," ut cum Schultingio (1) loquamur, « fuit opus praecise, ut haberet *legitimum* tutorem? an non satis erat ut haberet qualemcunque, etiam dativum?" Illud igitur viro summo agendum erat, ut ex duabus lectionibus genuinam eligeret; nec tamen difficilis ei erat optio, cum Jureconsultus de pubere, non de pupilla, agens, certissime non scripserit « si legitimum tutorem pupilla non habeat." Cujacium (2) igitur in Ulpiano restituendo auctorem secutus, hoc modo Caput XIV. exhibet Heineccius: « Ei mulieri virginive quam ex hac lege nubere oportebit, tutor, ad dotem dandam dicendam promittendamve, si legitimum tutorem pupillum habeat, a Praetore Urbano dator." Cum autem haec restitutio et reapse verisimillima mihi videatur, et summorum JCtorum testimoniis, e quibus vel Cujacii auctoritatem neglexisse Gothofredum mirum videatur, quam maxime sese commendet, ecce eam unicam genuinam esse ex Gajo, I. 178. discimus, ubi haec legimus: « Lege Juliâ de marit. ordin. ei, quae in legitimâ tutelâ pupilli sit, permittitur dotis constituendae gratia a Praetore Urbano tutorem petere." Vera igitur vidit Heineccius, in iis, quae Gothofredum et priores fefellerant, quaeque a Frederico Ramos del Manzano temere nimis recepta sunt in Comm. p. 39. et L. IV. rel. 29.

Eodem modo ad Caput XVII. Ulpiani textum in titulo decimo quinto probante Schultingio emendavit noster; ita enim caput restituit: « Item communis filius filiave post nominum dies amissus, amissave decimam adjicito, duo post nominum diem amissi duas decimas adjiciunto." Apud Ulpianum nimirum antea legebatur « post nonum diem," quod Gothofredus in textum capitis, apud eum duodecimi, receperat. Sed egregie suam lectionem probavit Heineccius, hoc usus argumento, nominum diem non semper *nonum* fuisse apud Romanos, verum *octavum* si puella, *nonum* si puer natus esset, uti discimus ex Festo, voce « Lustricus" Plutarch. Quaest. Rom. p. 288. Macrob. Saturn. I. 16. Quum autem insuper etiam in codice *Tiliano* legeretur, *nominum*, jure quidem, ut opinor, hoc recepit Heineccius.

---

(1) Ad locum Ulpian. laudatum.

(2) Observat. XVII. 28.

Majoris autem momenti videtur emendatio Capitis XXIV, quod hisce verbis nobis servavit Heineccius: « Item si filium filiamve communem habeant, aut quatuor« decim annorum filium, vel filiam duodecim amiserint, vel si duos trimos vel si « tres post nominum diem amiserint, aut si intra annum et sex menses etiam unum « cujuscunque aetatis impuberem amiserint, solidum inter se capiundi jus esto." Innituntur et haecce Ulpiani loco Tit. XVI, quem male intellexit Gothofredus. Hic enim distinctione post, *menses*, positâ, legit: « si tres post nonum" (leg. « nominum ") « amiserint, intra annum tamen et sex menses etiam unus cujus« cumque aetatis impubes amissus solidi capiendi jus praestato;" quod alium eumque falsum sensum praebere ex eo patet, quod absurdum foret unum cujuscunque aetatis impuberem amissum solidi capiendi jus praestare, dum tres post nominum diem amissi illud non praestiterint, nisi intra annum et sex menses fuerint mortui. Caeterum nec Ramos vidit quam absonum sit hoc statuere. cf. Comm. f. 40. L. IV. reliq. 53.

De Jure accrescendi quid statuerit lex nostra egregie quoque docuit Heineccius. Erat scilicet inter V. V. D. D. vetus quaedam et graviter agitata quaestio, an Jus accrescendi penitus lege nostrâ sublatum fuerit necne. Gothofredus quidem, lege Papiâ omnimodo abolitum hocce Jus fuisse statuit, hanc legis clausulam agnoscens: « Inter conjunctos heredes legatariosve Jus accrescendi ne esto." At nimis temere Vir Doctus egisse videtur, uti egregie in interpretatione Capitis LV. docet Heineccius. Hic enim ingeniose ita restituit legis placitum: « Ante apertas ta« bulas aditamque hereditatem inter conjunctos heredes legatariosve Jus accrescendi « in iis, quae caduca vel in causâ caduci sunt excepto usufructu legato ne esto." Quidquid igitur post aditam hereditatem deficiebat conjuncto heredi legatariove ex hac lege accrescebat, quod inprimis probavit Heineccius ex fr. 53. D. §. 1. de acq. vel omittenda hereditate, et fr. 26. §. 1. D. de cond. et demonstr., ex quibus locis manifeste patet, tam cohaeredis quam collegatarii portionem conjuncto accrescere, si tamen hereditas adita sit. Usumfructum vero legatum ab hisce regulis excipi docet Ulpianus, fr. I. §. 3. et fr. X. D. de usufructu accrescendo.

Haec dicta sunto, ut pateat, plurima legis capita melius ab Heineccio quam ab ullo alio esse restituta. Faciant ea fidem velim lectori, non minori laude in caeteris capitibus eundem versatum fuisse, quae hic enumerare operae pretium erit.

Caput II. De ingenuorum nuptiis.

> « Omnibus reliquis ingenuis, praeter Senatores eorumque liberos, libertinam uxo« rem habere, liceto, neve quid iis, qui duxerint, liberisve ex eo matrimonio « natis, fraudi ignominiaeve esto."

Gothofredus: « Caeteris ingenuis libertinas uxores ducere Jus esto neve quid

« iis qui eos duxerint fraudi ignominiaeve esto, liberique eorum legitimi sunto."

« Ast ne quis ingenuus eam, quae palam quaestum corpore facit, fecerit," (Gothofredus haec superiori capiti intexuit) « lenam a lenone manumissam « aut judicio publico damnatam aut in adulterio deprehensam, et quaeve artem « ludicram facit, fecerit, sponsam uxoremve sciens dolo malo habeto."

Caput XVIII. De usufructu et parte proprietatis legatis.

« Praeter decimam etiam usumfructum tertiae partis bonorum conjugis praemor« tui" (Gothofr. « partem bonorum eis") et quandoque liberos habuerint, « ejusdem partis proprietatem capere Jus esto."

Caput XXXIII. De indulgentiâ Senatûs.

« Si cui Senatus gratiam hujus Legis faciet, ei nuptiae justae liberique legitimi « sunto et omnia praemia ex hac lege capere Jus esto."

Gothofr. « Si cui populus prohibitas hac lege nuptias contrahere permiserit, « nuptiae legitimae sunto, neve quid ei qui hujuscemodi nuptias contraxerit « fraudi ignominiaeve esto."

Caput XXXVI. De poenis coelibatus.

« Caelibes nisi intra C dies huic legi paruerint, neque hereditatem neque le« gatum ex testamento, nisi proximorum genere capiunto." (Gothofr. « le« gatum testamento relictum capiunto.")

Caput XLVI. De iis, quibus caduca Jure antiquo deferuntur.

« Si quis testamento facto decedit, isque liberos suos parentesve usque ad ter« tium gradum heredes habebit, sive alios quoscunque, qui liberos habebunt « heredes instituet, hi caduca jure antiquo capiunto."

Gothofr. « Si quae hereditas, si quod legatum post hanc legem caducum erit, « heredibus amplius ne defertor, extra quam si quis testamento facto decedat, « isque liberos suos heredes parentesve habebit. Liberi namque parentesve us« que ad tertium gradum heredes instituti, quod quis ex eo testamento non ca« piet, capiunto. Item si alii quicumque heredes instituti liberos habebunt, ca« ducum ex eo testamento Jure Antiquo capiunto."

Caput XLVII. De his, quae pro non scriptis habentur.

« Quae (Gothofr. « Item ea quae") ab initio deficient vel in quibus testator « postea mutaverit voluntatem, ea pro non scriptis habentor, eaque ii, a quibus « relicta sunt jure antiquo capiunto."

Gothofr. « Ab initio deficient et pro non scripto inutiliave erunt vel in quibus « testator voluntatem suam postea mutaverit, ii a quibus, etc."

Caput XLVIII. De causâ caduci.

« Si quicunque hominum heres legatariusve, vivo testatore, post testamentum « conditum decedet conditione deficiet, relictum in causâ caduci esto et populo « quasi caducum defertor."

Gothofr. « Superioribus personis et causis cessantibus cuicumque homini privato « delata hereditas legatumve ex sequentibus causis caducum caducave erit, po« pulo defertor, si, vivo testatore, post testamentum conditum, etc."

Nunc itaque jam eo pervenit disputatio, quo illa provincia administranda sit, quam quominus suscipiam tam ingenii quam doctrinae pro juvenilibus annis, imbecillitas impedire, at contra, ut ad eam confidenter accedam argumenti ratio suadere videtur. Etenim de iis dubitare quae doctissimi viri aut proposuerunt, aut tacite comprobasse videntur, res est neque destituta molestiâ, neque arrogantiae suspicione immunis. Attamen Heineccii in hujus Legis restitutione merita, recte dijudicari nequeunt nisi praeter debitas viro doctissimo laudes, etiam illa addamus, quae minus in ejus commentatione probanda videantur. Praeterea, eo fortasse magis verisimilia videbuntur quae in ejus laudem dicta sunt, quo audacius ejusdem naevos indicare conabimur; quo circa, ut ut in tantâ re tractandâ haesitem, accurate tamen exponendum esse putavi, quidquid in viri commentatione minus vere restitutum mihi visum sit. Atqui jam supra, quum de iis capitibus ageremus, quae nova ab eo legi erant addita, quaedam eorum genuina non esse conjecimus (1); quae autem nunc quasi spuria vel corrupta notanda erunt, ab antiquioribus plerisque interpretibus, et inprimis a Gothofredo, jam pridem recepta fuerant.

Primum hic in censum venit Caput VI. quod ita restituit: « si qui scientes dolo « malo adversus hanc legem coierint, nec vir nec uxor nec socer socrusve, nec ge« ner nurusve intelliguntor; liberi quaesiti native legitimi et heredes sui ne sunto, « neve parentibus prosunto: neque hereditatem, quae iis lege obvenerit legatumve « ipsi conjuges neque inter se quidquam capiunto: mortuâque muliere dos caduca « esto." Prima sane hujus capitis clausulâ nuptiae revera rescindi videntur; nimirum in §. 12. Institut. de nuptiis, unde haec desumsit vir eximius, has nuptias contra praecepta legum initas infectas haberi accurate indicasse videtur Imperator, quippe, qui in fine ejusdem paragraphi alias nuptias in specie prohibitas esse significet: certo, ni fallor, indicio, illas, de quibus primo egerat, non prohiberi, verum re-

---

(1) Cf. disput. pag. 14, 16. et, ex restitutione Heineccii, Caput III, VIII, XXXI, LIII, LVII.

rescindi. Accedit quod idem dissoluto tali coitu dotis exactioni locum esse neget, quod certe, nisi nuptiae nullae esse intelligantur, nequaquam procedit. Cf. Schulting. Jurisprud. Antejust. p. 615. Patet igitur formulam illam: « nec vir nec uxor — « intelliguntor " revera esse rescissoriam, quod et Vinnii testimonium confirmat, Select. Quaest. I. 1. nostram vero legem esse *minus quam perfectam* eamque non rescindere quod actum est, sed poenas tantum irrogare, si nuptiae contra leges sint initae, liquido demonstrant tum Schulting. ad Ulpian. fr. XVI. 2. XIII. 1. I. 1. tum vero etiam ipse auctor noster L. I. 2, quorum summorum virorum argumentis haec res omnino expedita videtur. Quidni igitur formulam illam a lege nostrâ omnino alienam esse statuamus, praesertim cum *matrimonium* etiam illud intelligi, quod contra leges est initum, disertis verbis docet Ulpianus l. l.? Absurdum sane est in eo casu viri et uxoris nomen perire, ubi tamen de contracto matrimonio sermocinetur Ulpianus. Quamvis autem non rescinderentur tales nuptiae lege Papiâ, omnino justas illas fuisse tamen non putem. Potius est, ut tale matrimonium Juris Gentium fuisse statuamus. Cf. Bethmann Hollweg, de causae probatione p. 32. et infra pag. 85. Atque hoc quidem in causis est, cur verba Imperatoris Inst. §. 12. de nupt., potius ad Marci Imperatoris Orationem, quâ demum nuptiae hae effectu suo destitutae sunt, quam ad ipsam Legem Papiam, pertinere autumemus. Cf. Heinecc. Comm. II. 6. p. 193. Schulting. Jurisprud. Antej. ad Ulp. loc. laud. §. 4.

Addit Heineccius poenas, quae nostra lex sanciverit. Primum, ait, « liberi « quaesiti native legitimi et heredes sui ne sunto, neve parentibus prosunto." Liberos, ex tali Juris Gentium matrimonio prognatos, injustos esse, tum firmissimis argumentis probavit Heineccius, tum infra ex fragmentis Vaticanis patebit (pag. 84.) Simul vero eodem loco ostendere conabimur, eosdem profuisse quidem parentibus. Caetera autem, quae hocce capite continentur, optimis probationibus innituntur; quocirca nos quidem ad summam ex ejus capitis restitutione haecce retinenda esse existimemus: « Si qui scientes dolo malo adversus hanc legem coierint liberi « quaesiti justi atque heredes sui ne sunto: neque hereditatem etc."

Ut porro Caput X, de Jure Quiritium ob liberos consequendo non agnoscerem, animos mihi fecit animadversio, idem placitum a Gajo I. 29 et 66. III. 73. et ab Ulpiano fr. VII. 4. III. 3. tum legi Aeliae Sentiae tum praeterea etiam legi Juliae Norbanae tribui. Nam statim absonum mihi visum est, *ter idem* fuisse cautum, intra breve temporis spatium. Diligentius autem probationes Heineccii ad hocce caput perpendens confestim eo adductus sum ut illud a lege nostrâ alienum existimarem. Scilicet; innititur Heineccii restitutio sententiae Paulli, l. II. ad leg. Jul. Pap. fr. 134. D. de V. S. ubi « *anniculi*" fit mentio. Ast etiam libro sui commentarii III° exponit Paullus, quisnam anniculus intelligendus sit (Cf. fr. 132. D. eod.) idque

que fragmentum ab Heineccio ad Caput 24. relatum videmus, in quo tamen capite vox *anniculus* non reperitur. Ex ipsius igitur Heineccii sententiâ fieri potuit, ut, quamvis in commentario ad legem Jul. et Pap. vocem quandam explicet Paullus, ejusdem tamen mentio in ipsâ lege non occurrat (1). Verum enimvero, etiamsi concedamus de anniculo aliquid hoc capite fuisse cautum, non propterea efficitur, de Jure Quiritium ob liberos consequendo eandem legem cavisse. Quodsi ideo non injuriâ contendimus temere nimis ab Heineccio hocce caput fuisse receptum, illud tamen ad eum excusandum valere possit, doctissimos quosque viros eandem sententiam fuisse amplexos. Cf. P. Pithoeus ad leg. Mos. et Rom. coll. XVI. 6. Schulting. ad Ulpian. III. 3. Gothofr. comm. ad leg. Jul. et Pap. f. 218. Hugo Hist. Juris §. 295.

Age vero videamus, quomodo Caput XII. constituerit auctor: « Ingenua ter enixa « vel Jus trium liberorum consecuta, libertina quatuor liberorum jure tutelâ libera« tor. Eidem sine patroni auctoritate, dum pro numero liberorum, sibi superstitum, virilem partem ei relinquat, testari fas esto." Si nonnumquam in carpendis iis, quae Heineccius restituit, haesitavimus, nunc contra audacius sententiam nostram proponimus, quippe quae doctiorum opinione confirmatur. Egregie namque animadvertit Vir Clariss. C. I. van Assen « adnot. ad Instit. Gaji commentarios « p. 104." necessario hoc in capite addendum esse — « legitima tutela." Gajus enim, Comm. I. 145 et 194. docet, libertinas quatuor liberorum jure a legitimâ tutelâ, id est, eâ quae ex XII Tabulis, (teste eodem Gajo) descenderat, liberari; easdem vero ter enixas, a caeteris tutelis, Atilianâ, puta et fiduciaria liberari (2). Caeterum melius de hoc capite meritus est Gothofredus, qui ita clausulam exhibet: « Ingenua trium liberorum jure legitimâ tutelâ; libertina quatuor liberorum jure, « tutelâ patroni liberantor etc."

Capite XXXIII Legis cavetur: « si cui Senatus gratiam hujus legis faciet, ei « nuptiae justae, liberique legitimi sunto et omnia praemia ex hac lege capere jus « esto." Animadvertendum hic venit, probasse quidem Heineccium, Senatui jus fuisse, hujus legis gratiam faciendi, eoque jure saepius illum fuisse usum; verum ex ipsâ lege Papiâ Poppaeâ descendisse hancce Senatus potestatem ex ejusdem disputatione nequaquam constat. Immo vero contrarium verosimilitudine quâdam possit effici ex eo, quod Senatum universe quarumcunque sanctionum solvere potuisse tum principem tum alios quoscunque certissimum est; adeo ut necessarium non fuerit hujusmodi quid speciali lege cavere.

---

(1) Postquam haec scripseram, idem animadversum repperi a Clarissimo Bethmann Hollweg, diss. laud. p. 32, qui plures quoque causas affert, cur legi nostrae hoc placitum non sit restituendum.

(2) Cf. infra pag. 83.

De liberto centenario minore Capite XXXIX. fuisse cautum, ut is jus antiquum haberet, Heineccius voluit. Non vero mihi videtur probabile hujusmodi quid *lege* sancitum fuisse, cum praeterea firmius etiam hoc probatur ex Gajo Comm. III. 43. uti infra pag. 93 patebit. Idem de Capite XLI. animadverto quod sic restituit Heineccius: « Patroni filia, si jus trium filiorum habebit eadem jura, quae et ipse « patronus patronique filii edicto Praetoris habent, habento. "

Caput, quod, auctore Gothofredo, quinquagesimum est, sic restituit Heineccius: « Sive coelibi vel alteri cuivis plus, quam ex hac Lege licebit, relictum « erit, et id caducum esto populoque vindicator. " Firmatur haecce clausula verbis Ulpiani Tit. XVII. §. 1.: « Quod quis sibi testamento relictum ita ut jure civili « capere possit aliquâ ex causâ non ceperit, caducum appellatur, veluti cecidit ab « eo; verbi gratiâ: si coelibi vel Latino Juniano legatum fuerit nec intra dies cen- « tum vel caelebs legi paruerit vel Latinus Jus Quiritium consecutus sit. " Videmus itaque hîc caducum fieri illud, quod coelibi relictum est. At ea, quae coelibi relinquuntur caduca quidem fiunt neque tamen semper populo vindicantur. Nimirum ipsius vocabuli etymologia non docet, ad populum transferri illud, a quo aliquis *summovetur*. Simpliciter; teste Ulpiano, notat illud quod cecidit ab aliquo. Subjicit autem idem JCtus: « Hodie ex constitutione Imperatoris Antonini omnia caduca fisco vindicantur. " Certo argumento, ut opinor, ante illam constitutionem quaedam caduca non in aerarium fuisse delata. Quod si ita sit, neque Schultingii conjecturâ indigemus, verba haecce ita transponentis: « Omnia caduca Fisco « vindicantur, sed servato Jure antiquo liberis et parentibus. Hodie ex constitutione « caduca cum suo onere fiunt. " Cf. Clariss. Gans, Scholien zum Gajus, Berol. 1821. p. 376. Sententiam nostram probant Ulpiani verba (fragm. XIX. 17.) qui, « Lege nobis, " ait, « acquiritur veluti caducum vel ereptitium ex lege Papiâ Pop- « paeâ " et fragm. XXV. 17. « Si quis in fraudem tacitam fidem accommodaverit, « ut non capienti fideicommissum restituat nec quadrantem eum deducere Senatus « censuit; nec caducum vindicare ex eo testamento, si liberos habeat. " Adde Ulpianum l. l. Tit. I. §. 21. Haec ea sunt, quae jam aetate Heineccii de caducorum vindicatione ex veterum scriptis constabant; quaenam autem ex novis Juris fontibus de hac quaestione colligere nobis licuit, infra exponentur Cap. II. §. 4. Si igitur verum est quod probare conati sumus, caput illud de caducis ob heredis vel legatarii incapacitatem ita restitutum ad legem nostram non pertinet; quippe quod sic idem caveret, quod capite trigesimo sexto jam continetur, hoc nempe, simpliciter ea quae coelibi legata erant caduca fieri, id est, cadere ab eo.

Caput LII ex Heineccii sententiâ caverat: « Quae hereditas, quodve legatum tamquam indigno erepta ereptumve erit, illa illudve populo defertor. » Atqui ereptitia saepius apud heredes manere, tum Justinianus, §. 12. Inst. de cad. toll., tum Ulpianus, fragm. XIX. 17. laud. indicaverat. Quocirca mirum videtur, universe statuere Heineccium, haec populo deferri; praesertim cum non fugisset virum egregium neque Imperatoris neque JCti testimonium. Cf. ejus comment. p. 371. in nota.

De fraudibus adversus hanc legem commissis peculiarem quandam clausulam Capite LIV. constituit Heineccius: « Ne quis in fraudem hujus legis, quo magis caduca et ereptitia is, qui capere non potest, capiat, quidquam admittere velit. » Multa saepius in fraudem hujus legis excogitata fuisse manifesto indicant Veterum JCtorum fragmenta ab Heineccio ad hocce caput excitata. Verum ipsam legem Papiam, fraudes has veluti praeoccupasse non probat Heineccius. An caeterum verisimile sit hujusmodi quid lege cautum fuisse, difficilis est quaestio, quam dirimere nostrum non est. Sed illud tamen animadvertere licet, faciliorem, me judice, fuisse Heineccium, in clausulâ hacce legi addendâ, quum nulla illius exstent testimonia.

Verum firmiora sunt quibus ad Caput LVII. de tacitis fideicommissis non agnoscendum, motus sum, argumenta. Caverat enim Lex, teste Heineccio: « Si quis heres legatariusve in fraudem hujus legis a testatore tacite rogatus sit, ei restituere, qui per hanc legem capere prohibetur, isque sciens dolo malo tacitam fidem testatori accommodaverit, hereditate legatove sibi relicto privator eaque populo vindicantor. » Etenim praeterquam quod ex locis ab auctore citatis nullo modo colligi potest tale placitum legem Papiam comprehendisse, omne quod etiam nunc circa illam dubium videri possit, sustulit Gaji locus (II. 286.) « Caelibes quoque, qui per Legem Juliam hereditates legataque capere prohibentur, olim fideicommissa videbantur capere posse. Item orbi, qui per legem Papiam ob id, quod liberos non habent, dimidias partes hereditatum legatorumque perdunt, olim solida fideicommissa videbantur capere posse. » Addit idem postea SCto demum Pegasiano cautum fuisse ut iidem fideicommissa caperent. Cf. infra pag. 88.

Jam igitur, spuria quaeque a genuinis quomodo dignoscere atque corrupta emendare conatus sit Heineccius pro viribus exposuimus. Quodsi interdum eundem errasse ostendimus, illud testimoniorum parvo numero plerumque tribuendum erit, quo revera adducuntur Interpretes ut ingenio liberius indulgeant. Neque vero miremur, posteriores novorum Juris fontium auxilio, saepius aliquid reprehendendum invenire in iis, quae antiquitus non nisi divinari quodammodo, atque subtiliter conjici poterant.

§. 5.

Quomodo verba legis legitima, *ex veterum scriptis eruere conatus sit.*

De eo, quod legis Juliae et Papiae Poppaeae singulis capitibus cautum fuerit disputavimus ita, ut nonnumquam ipsum clausularum contextum exposuerimus. Arctissimis nempe finibus cohaeret sanctionis uniuscujusque argumentum cum ipsis verbis, quibus legislator voluntatem suam expressit; nec facile quis Heineccii merita in veris falsisque legis placitis dignoscendis dijudicare poterit, nisi formulas subinde singulorum capitum in censum retulerit. Nos vero ex industriâ hîc legitima verba ex Heineccii restitutione expostituri hanc ob causam breves esse possumus; nec enim opus esse videtur ut de iis etiam Legis verbis agamus quae, cum non exstarent apud veteres auctores, ab Heineccio ad similitudinem caeterarum afficta sunt; inprimis, cum supra jam de corruptiori legis contextu, ab ipso emendato, sermo fuit. Age igitur videamus, quid novi hac in causâ effecerit auctor.

Ex antiquioribus JCtis Balduinus et Brissonius primum genuina verba sibi repperisse visi sunt tum in l. I. Paulli ad legem Jul. et Pap. fr. 44. D. de ritu nupt., tum in ejusdem l. II. fr. 37. D. de operis libertorum. Illud fragmentum sine dubio capitis primi de Senatorum eorumque filiorum nuptiis ipsa verba continet; argumento enim est ipse Paullus, dicens: « Lege Juliâ ita cavetur" et deinde §. 1. « Hoc capite prohibetur caet." Ea porro quae libro sui commentarii secundo Paullus memorat, propterea ex nostra lege esse videntur, quod ipsa verba, uti priora quoque, jubentia sunt et legitimum quendam stilum spirant, adeo ut ea JCtorum interpretationi tribuere plane sit absonum. Neque etiam recentiores JCti haec verba spuria esse contendere ausi sunt. Quamobrem longius eorum causam agere nolim, confidenter statuens, optimo jure eadem agnovisse Heineccium. J. Lipsius praeterea tribus aliis locis legitima verba inveniri perhibuit, quae cum a Gothofredo deinceps atque ab ipso Heineccio recepta sint, ampliore disputatione videntur dignissima. Sic enim, ni fallor, magis magisque fiet manifestum, hac quidem in causâ conjecturis potius quam argumentis esse locum. Primum itaque attingam, quae Ulpianus l. l. ad legem Jul. et Pap. refert fr. 43. D. de ritu nupt. Explicat ibi primum quid sit: « palam quaestum facere," quid « lena," denique quaenam « judicio publico damnata" aut « in adulterio deprehensa" intelligatur. Sane explicata haecce vocabula ex ipsâ lege videntur esse, tum quoniam in commentario ad ipsam legem inveniuntur, tum vero quod de hisce legem aliquid cavisse etiam aliunde constat. Cf. Ulp. fragm. T. 13. Quamvis igitur nil certo affirmari possit de ipsius hujus clausulae contextu, verosimiliter tamen ab Heineccio et antiquioribus

bus ita Lex restituta est: « Ast ne quis ingenuus eam, quae palam quaestum corpore « facit fecerit lenam, a lenone manumissam, aut judicio publico damnatam, aut « in adulterio deprehensam et quaeve artem ludicram facit fecerit, sponsam uxorem- « ve sciens dolo malo habeto."

Certiora etiam sunt, quae ex Fragm. ult. D. de divort. et fragm. 45. de ritu nupt. viri docti constituerunt verba legitima. Ibi enim cavisse legem Ulpianus testis est: « divortii faciendi potestas libertae, quae nupta est patrono ne esto" et eodem loco §. 1. « Quamdiu patronus eam uxorem esse volet," denique fr. 45. « invito patro- « no libertam, quae ei nupta est alii nubere non posse." Constabat adeo hisce vocabulis Legislatorem fuisse usum; quonam vero modo ea in lege collocata fuerint, non item. Nimirum disjungi poterant hae clausulae, uti fecit Gothofredus, caput Legis sextum ita exhibens: « Si secundum hanc legem nuptiae contractae fuerint, « divortii faciendi potestas libertae, quae patrono nupta est, invito patrono, cumque « altero connubii jus, quamdiu patronus eam uxorem esse volet, ne esto." Rectius autem et simplicius, nullis alienis vocabulis interpositis, Heineccius hancce clausulam ex iisdem verbis conflavit: « ne divortii faciundi potestas libertae, quae nupta « est patrono, quamdiu is eam uxorem esse volet, neve invito illo, alii nubendi po- « testas esto."

Satis probabilis est, ni fallor, ea de quâ hactenus disputavi, legitimorum verborum restitutio; num vero idem de clausulâ ex fragm. 130. D. de V. S. petitâ, dici possit videndum erit. Scripserat enim Ulpianus l. II. ad legem J. et Pap. « Lege ob- « venire hereditatem non improprie quis dixerit et eam, quae ex testamento defer- « tur, quia lege XII Tabularum testamentariae hereditates confirmantur." Ex hisce, veluti uno ore Viri Docti contendunt, Legis Papiae genuinum esse illud: « hereditas « quae lege obvenit." Equidem, prouti prae Ulpiani, qui hoc loco solemne illud: « Lex ait" non adjicit, silentio, illud verum esse affirmare non ausim, ita neque spuria haec esse contendere velim. Ut ut sit, in re tam incertâ conjiciendo aliquid tentasse Viros Doctos, ipsumque nostrum quoque Heineccium, mirum videri nequit. Pluribus autem locis verba legitima superesse arbitratur Heineccius, de quibus videndum est, ut, quid novi hac in causâ praestiterit, manifestum fiat.

Fragm. XIX. de ritu nupt. Marcian. l. XVI. Inst. « Capite 35. legis Juliae, qui « liberos, quos habent in potestate injuriâ prohibuerint ducere uxores vel nubere, per « proconsules praesidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare et do- « tare. *Prohibere* autem videtur et qui conditionem non quaerit." Haec scilicet verba ex ipsâ lege depromsisse JCtum admodum probabile fit, tum propter abruptam sententiam: « Capite 35. legis Juliae," ex quâ colligas ipsam Legis sanctionem jam sequi; tum ex eo, quod vocabulum « prohibere" explicet Marcianus, atque ita certum sit illud ejusdem interpretationi non deberi. Non minus recte agnovit Heineccius fr. XIX. l. 1. verba, ubi Celsus ait: « Lege Papiâ cavetur, omnibus ingenuis prae- « ter Senatores eorumque liberos libertinam uxorem habere licere." Etenim ut legitimum hoc esse statuamus, facit idem illud, quod de superiori fragmento diximus. Quodsi autem quis dubiam hac in causâ horum fragmentorum fidem esse etiamnunc contendat, equidem non vehementer repugno, modo hoc concedatur, verosimilem conjecturam in iis rebus proposuisse Heineccium, de quibus desperare multo fuisset facilius.

Quod ultimo loco hic in censum venit fragmentum II. de minor. 25 annis, procul dubio genuina legis verba continet, quo magis est, ut Heineccio, qui primus illud eruit, gratum animum significemus. Est illud ex libro XIX. Ulpiani ad legem Jul. Pap. desumtum atque ita conceptum « nec per liberos suos rem suam maturius « a curatoribus recipiat; quod enim legibus cavetur, « ut singuli anni per singulos li- « « beros dimittantur," ad honores pertinere Divus Severus ait, non ad rem suam « recipiendam." Habemus igitur hoc loco disertum Ulpiani testimonium, ita verbatim legibus Juliâ et Papiâ fuisse cautum; hasce enim significari ex rubrica fragmenti et Gellio I. 15. manifesto liquet.

Tribus autem itaque locis legitima verba nobis servavit Heineccius, ubi caeteri JCti, hujusmodi quid inveniri posse ne cogitaverant quidem. Quodsi igitur in veris falsisque legis capitibus dignoscendis atque omissis eruendis optime meritus sit Heineccius, non minorem ei laudem etiam hac in causa tribuendam esse satis videmur ostendisse. Nunc igitur jam de caeteris restitutae legis J. et P. laudibus videamus, ut, prouti perfectum est ipsum Heineccii opus, ita etiam nostra disputatio, quâ ejus merita exponere conati sumus, quantum fieri possit, suis partibus sit absoluta.

§. 6.

De ordine quo Legem disposuit Heineccius.

Neque enim in legitimis verbis ex antiquitate eruendis et verisimiliter affingendis substitit incredibilis viri diligentia, qui praeterquam quod singulas legis clausulas nobis restitueret, illud etiam egit, ut genuino ordine singulas disponeret. Neque vero facilis erat ille labor, quem, uno excepto Gothofredo, superiores aut neglexerant aut supra hominem esse contenderant. Etenim, tam diversa capita pristino loco constituere, « hoc a se homine, neminem exacturum hominem" J. Lipsius scripserat; (Exc. ad Tac. Ann. l. III. c. 5.) et quamvis Jac. Gothofredus felici successu in ancipiti hac causâ aliquid tentaverat, multa etiamnunc ex ejus dispositione corrigenda, multa firmius probanda restabant. At hic tamen viam monstraverat, quâ ad propositum ire, multo cum laetiore successu contigit Heineccio. Nos jam ostendamus, quaenam viris doctis ad tantam rem tractandam adminicula fuerint, et quomodo iis usi sint.

Totam legem in duas partes distinguendam esse, quarum altera ad amplificandum civium numerum, altera ad locupletandum aerarium comparata fuit, dubio caret; tum quia scriptores passim legis de maritandis ordinibus atque caducariae separatim mentionem faciant (cf. l. VI. Cod. de op. libert. et Ulpian. fragm. XXVIII. 7.) tum vero etiam e Tacito Annal. III. 27., qui disertis verbis utrumque finem memorat. Praeterea vulgatum erat, Legem varia capita continuisse; quisnam autem capitum numerus fuisset, et quonam ordine disposita fuissent, liquido non constabat. Memoraverat quidem Gellius Noct. Att. II. 15. caput legis septimum, Marcianus fr. 19. de R. N. caput trigesimum quintum; ast parum lucis offundebant haec testimonia, pro tenebris, quibus caeterae legis partes undique obvolutae jacebant. Hujus autem difficultatis probe gnaris, unica saltem viris doctis superesse videbatur ratio, quâ rei exitum contingere possent. Scilicet inscriptiones fragmentorum quibus legis nostrae clausulae in Digestis explicantur, arguebant multos olim JCtos ad legem Juliam et Papiam commentarios conscripsisse; accurate vero iisdem locis indicabatur, quonam commentariorum libro, legis quandam sanctionem explicaverant; quare horum librorum seriem secuti Gothofredus et Heineccius, legis clausulas exposuerunt, ita nimirum, ut quod primo commentarii libro, v. c. Ulpianus, memoraverat, primis legis capitibus expressum statuerent. Nam admodum verisimile iis videbatur, JCtos in ordinandis suis de lege Juliâ et Papiâ Poppaea commentariis accurate ipsius legis vestigia pressisse. Nihilominus tamen nec ita etiam res erat expedita. Nimirum uno quidem libro plura placita explicaverant JCti, quo factum erat, ut cuinam clausulae primus locus dandus esset, saepissime non liqueret, cum praeterea non constaret, utrum uno pluribusve capitibus hae comprehensae fuissent. Accedebat multarum inscriptionum incerta fides, Digestorum de quibusdam legis sanctionibus altum silentium, denique variorum JCtorum varia nonnumquam operis dispositio. Quodsi igitur bene reputemus quantis difficultatibus etiamnunc laboraret legis Papiae restitutio, mirum videri nequit etiam hac in causâ pauca firma argumenta, plurimas conjecturas esse. Atque ut fieri solet, ubi rerum testimonia desunt, non una semper eademque virorum doctorum est opinio; quod quo manifestius pateat, de vario ordine quo singula capita disposuerunt Viri Docti, paulo accuratius exponemus.

De Senatorum eorumque liberorum nuptiis De ingenuorum nuptiis	Heinecc.	Cap.	I. II.
	Gothofr.	«	I.
	Ramos	«	I — V.
De sexagenariis quinquagenariis, spadonibus	Heinecc.	«	III.
	Gothofr.	«	II.
	Ramos	«	XXVI.
De concubinatu	Heinecc.	«	IV.
De sponsalibus	Heinecc.	«	V.
	Gothofr.	«	III.
	Ramos	«	VI.
De poenis injustarum nuptiarum	Heinecc.	«	VI.
	Gothofr.	«	IV.
	Ramos	«	XXVI.
De privilegiis maritorum et parentum in gerendis honoribus De eorundem privilegiis in petendis honoribus	Heinecc.	«	VII. VIII.
	Gothofr.	«	VII.
	Ramos	«	VII. VIII.
De immunitate ob liberorum numerum	Heinecc.	«	IX.
	Gothofr.	«	VIII.
De jure Quiritium ob liberos consequendo	Heinecc.	«	X.
	Gothofr.	«	IX.
De liberatione liberti ab operis ob liberos	Heinecc.	«	XI.
	Gothofr.	«	X.
	Ramos	«	X.
De mulierum liberatione a tutelâ ob liberorum numerum	Heinecc.	«	XII.
	Gothofr.	«	XI.
De divortio libertae prohibito	Heinecc.	«	XIII.
	Gothofr.	«	VI.
	Ramos	«	XXX.
De tutore mulieri dotis causâ dando	Heinecc.	«	XIV.
	Gothofr.	«	V.
	Ramos	«	XXXII.

De jure decimam capiundi nomine matrimonii	Heinecc.	Cap.	XV.
	Gothofr.	«	XII.
	Ramos	«	XXXVII.
De decimis pro liberorum numero adjiciendis	Heinecc.	«	XVI.
	Gothofr.	«	XII.
	Ramos	«	XXXVII.
De decimae capacitate ob communem filium amissum De usufructu et parte proprietatis legatis De praelegato dotis	Heinecc.	«	XVII. XVIII. XIX.
	Gothofr.	«	XII.
	Ramos	«	XXXVII.
De solidi capacitate inter conjuges ob aetatem « « ob diuturnitatem matrimonii « « ob cognationem	Heinecc.	«	XX — XXII.
	Gothofr.	«	XIII.
	Ramos	«	XXXVII.
De solidi capacitate ob absentiam reipublicae causâ	Heinecc.	«	XXIII.
	Gothofr.	«	XVIII.
	Ramos	«	XXXVII.
De solidi capacitate ob liberos « « ob posthumum « « ob jus liberorum	Heinecc.	«	XXIV — XXVI.
	Gothofr.	«	XIII.
	Ramos	«	XXXVII.
De solidi capacitate patris solitarii ex alterius testamento « « ob liberorum numerum ex alterius testamento	Heinecc.	«	XXVII. XXVIII.
	Gothofr.	«	XIV.
	Ramos	«	XXXVII.
De legato sub conditione caelibatûs relicto	Heinecc.	«	XXIX.
	Gothofr.	«	XVII.
De Jurejurando libertis remittendo	Heinecc.	«	XXX.
	Gothofr.	«	XXX.
	Ramos	«	XX.
	Heinecc.	«	XXXI.
De privilegiis absentium reipublicae causâ	Heinecc.	«	XXXII.
	Gothofr.	«	XVIII.
De indulgentiâ Senatûs	Heinecc.	«	XXXIII.
	Gothofr.	«	XIX.
De divortii modo et poenâ	Heinecc.	«	XXXIV.
	Gothofr.	«	XX — XXII.
	Ramos	«	XXXI.

De

De cogendis parentibus ut liberos elocent	Heinecc. Gothofr.	Cap. «	XXXV. XV.
De poenis caelibatûs « « orbitatis	Heinecc. Gothofr. Ramos	« « «	XXXVI. XXXVII. XXIII. XXXVI.
De liberta ob nuptias ab operis liberandâ	Heinecc. Gothofr. Ramos	« « «	XXXVIII. VI. XIII.
De liberto centenario minore	Heinecc. Gothofr.	« «	XXXIX. XXIV.
De liberto centenario	Heinecc. Gothofr. Ramos	« « «	XL. XXV. XVIII.
De filiâ Patroni	Heinecc. Gothofr. Ramos	« « «	XLI. XXVI. XV.
De libertae bonis	Heinecc. Gothofr. Ramos	« « «	XLII. XXVII. XIV.
De patronae successione De patronae liberis	Heinecc. Gothofr. Ramos	« « «	XLIII. XLIV. XXVIII. XVI. XVII.
	Heinecc.	«	XLV.
De iis quibus caduca Jure antiquo deferuntur	Heinecc. Gothofr. Ramos	« « «	XLVI. XXIX. XLI.
De his, quae pro non scriptis habentur. De causâ caduci De caducis ob heredem vel legatarium ante apertas tabulas decedentem « « ob heredis vel legat. incapacitatem	Heinecc. Gothofr. Ramos	« « «	XLVII — L. XXX. XXXIX — XLI.
De caducis ob heredem vel legat. ante eventum conditionis decedentem De bonis ereptitiis	Heinecc. Gothofr.	« «	LI. LII. XXXI.

De bonis vacantibus	Heinecc. Cap. LIII. Gothofr. « XXXII.
De fraudibus adversus hanc legem commissis . .	Heinecc. « LIV. Gothofr. « XXXIII.
De Jure accrescendi	Heinecc. « LV. Gothofr. « XXXIV.
. . . .	Heinecc. « LVI.
De tacitis fideicommissis	Heinecc. « LVII. Gothofr. « XXXV.
De praemiis delatorum	Heinecc. « LVIII. Gothofr. « XXXVI.
De oneribus fisci	Heinecc. « LIX. Gothofr. « XXXVII.

Equidem in tanto Virorum Doctissimorum dissensu eorundem merita in uniuscujusque clausulae constitutione comparare pro rei difficultate atque ambitu vix ausim. Universe igitur quaenam in Heineccio maxime laudanda videantur, iudicare sufficiat. Primum igitur illud animadverto, eum majorem fidem habuisse fragmentorum rubricis; nec temere numeros librorum pro lubitu mutasse, uti saepius fecerat Jacob. Gothofredus eumque secutus Ramos; (cujus rei exempla si quaeras, videas ad Caput legis XV, ubi pro libro XXXV. fr. 19. D. de ritu nupt. reponi jubet XV; ad Caput IX, ubi pro l. III. Pauli fr. 132. de V. S. legit l. II. Cf. porro Heinecc. comm. p. 68.) Atque egregie sane ita egit Heineccius. Illis namque testimoniis fidem habeamus oportet, si tamen universe rationem probemus, quâ legis dispositionem Viri Docti sibi reperiisse visi sunt. Quod si autem hanc ob causam verosimilior sit Heineccii restitutio, eo magis eadem fit probabilis quod diligentius ubivis fontes adiit. Scilicet, in constituendo legis ordine Gothofredus et Ramos fragmenta neglexerant Celsi, qei Septem Digestorum libris legem Juliam et Papiam interpretatus erat. Heineccius verò passim ex ejusdem JCti opere uberrimos collegit fructus. Quae cum ita sint, capitum dispositionem eam, quam nobis exhibuit Heineccius, tam probationum veritate quam ubertate, caeteris quam maxime praestare, haud injuriâ, ut opinor, contendo. Eandem vero reapse omnis dubii expertem, et verissimam esse equidem asseverare nolim. Vidimus enim supra multa etiamnunc deesse argumenta, quibus hac in causâ aliquid certi statuatur. Insuper ne-

neque illud me fugit, meliorem adhuc fortasse viam ad legis capita recte ordinanda ducere, eam nempe, quâ rerum magis habeatur ratio, et singulae clausulae ad idem Juris placitum pertinentes secum invicem conjungantur. Sed vires meas longe exsuperarent conatus ad hocce perficiendum, neque illud a Juvene, Heineccii tantum merita dijudicare rogato, Viri Doctissimi postulant. Quare, illud mittens, ad aliam disquisitionem jam accedo; nam restat, expositâ ipsâ Legis restitutione, ut videamus quomodo jus illud, quod ex lege Juliâ et Papiâ venit, interpretatus sit atque illustraverit Heineccius.

§. 7.

De Legis capitibus ab Heineccio *illustratis et explicatis.*

Fallitur egregie, quicunque nudâ, quae praecessit, singularum clausularum constitutione jam contentus, nil amplius hic dari arbitretur; praestantissima scilicet hic invenitur insuper Legis interpretatio, et illa eo magis, ut lex bene restituta videri possit, necessaria, quo incertior uniuscujusque placiti fides habeatur. Nec verba tantum legis explicantur, sed illustratur quoque singulorum capitum sententia, ita, ut fontem, ex quo unumquodque fluxerit, et vim quam in recentiores leges habuerit, accurate doceamur; quo circa ad confirmandam legis restitutionem etiam hancce legis partem apte valere confitendum est. Quodsi autem hic amplior reperiatur interdum verborum illustratio, aut Juris mutationum prolixior expositio, reputandum est pro rei difficultate multa saepius argumenta ex utrâque parte perpendi, alias subinde probationes ex remotissima antiquitate erui debuisse. Equidem ingenue confiteor, pluribus me locis incertum haesisse, utrum haec vel illa clausula agnoscenda esset necne, antequam explicationem Heineccii, qui singulorum capitum originem et fata diligenter persequitur, magis studiose perlegeram. Quamvis igitur doctiores fortasse quid prolixius dictum carpant, illud tamen, ni fallor, plerumque ejusmodi erit, ut multum inde lucis in legem nostram redundet; quam ob causam laudi id auctori tribuere non dubito, si tamen laudanda sit perspicuitas in eo viro cujus opera etiamnunc nocturnâ diurnâque manu versant tirones.

Sed, ne temere videar dixisse, Heineccium verba Legis accuratius explicasse, obiter Caput Primum attingam, quum vel ex eo manifestum fiet. quanti hac in causa aestimanda sit diligentissimi auctoris opera. Explicatur ibi quis sit filius Senatoris? de qua dubitandi ratio quaedam erat in eo an filius ante dignitatem conceptus paterni honoris esset particeps. Licet enim, teste Ulpiano fr. V. D. de Senatoribus, non interesset « utrum eum pater jam in senatoriâ dignitate con- « stitutus, susceperit an ante dignitatem senatoriam: " contrarium videbatur effici lege II. Cod. de dign. « Senator vel alius clarissimus privatos habeat filios, editos

« quippe antequam dignitatem susciperet etc.” Heineccius litem hoc modo diremit, ut Ulpianum de honore cum Senatorum filiis communicando, Inperatorem de oneribus, quae Senatorio ordini incumbebant egisse diceret. Aptissime sic in concordiam rediguntur haec placita, praesertim quum ita explicata confirmandae egregie inserviunt Juris regulae: in benigniorem partem leges esse interpretandas. Caeteri Juris interpretes fere omnes, atque in his Brissonius (de jure connub. p. 345), transponenda esse constitutionis verba statuunt. Quid vero ad pervulgatum hocce remedium confugiamus? Solus J. Gothofredus, eo, quem Heineccius approbavit modo, rem expedivit; explicare tamen neglexit, quae tandem essent onera illa Senatorum; quod luculenter praestitit Heineccius. Vid. ad Cod. Theod. tom. II. p. 9.

Nostrum huic verborum interpretationi, rerum adjunxisse illustrationem vere juridicam, ostendere jam conabor, exempli gratiâ *Capitis Quarti* de concubinatu explicationem hic afferens. « Ante legem Papiam parum honestus habebatur concubi- « natus, utpote qui per leges nondum nomen assumserat (cf. fr. III. D. de concub.); « nec adeo etiam quidquam intererat inter amicam, pellicem, concubinam. Quam- « vis vero post legem Papiam, licitus aliquomodo factus fuerit concubinatus, non « tamen eo processit licentia, ut eodem tempore quis simul cum uxore vel concubina « aliam etiam concubinam habere potuerit. Si autem conjunctioni obstaret naturalis « verecundia, non magis concubinatui locus erat quam nuptiis. Caeterum, liberi ex « concubinâ, nec in potestate patris, nec ejus heredes erant; verum tamen, neque « hi tamquam spurii et vulgo quaesiti infamiâ notabantur, neque inter uxorem et con- « cubinam ullum, nisi dignitatis, erat discrimen. Frequens admodum jam Augusti « aetate erat haec conjunctio, eaque forsitan erat ratio, cur Augustus Romanis con- « cubinatum concessit. Illae autem solummodo in concubinatu haberi poterant, in « quas stuprum non committebatur. Primus de tollendo concubinatu cogitavit Con- « stantinus, qui, quum animadverteret et concubinis et liberis injustis donari le- « garique posse, hancce facultatem sustulit, non inepte suspicatus, facilius ita tabulas « signaturos cives. Eodem consilio hic legitimationem per subsequens matrimonium « introduxit; circa eos nempe liberos qui ante constitutionem erant editi. Idem postea « cavere Anastasius et Justinus, donec Justinianus perpetuam illam legitima- « tionem effecerit. Constantinus sanxit quoque ne viliores haberent viri perfec- « tissimi concubinas. At posteris haec res parum cordi fuit; quo factum est ut Jus- « tiniani tempore licita esset etiam nunc ista consuetudo, nec publicâ lege sublata « sit ante Leonis constitutionem, quae in oriente tantum valuit.”

Haec fere sunt, quae Heineccii interpretatione continentur, quae quanti momenti sint, ob lucem, quam obscurae illi concubinatus historiae affundunt, nemo non intelligit. Varia deinde quae breviter hic exposuimus, firmissimis argumentis stabilivit **Heineccius**, Corporis Juris non tantum verum classicorum scriptorum etiam et veterum inscriptionum usus subsidio. Haud minorem quoque eruditionem caeterorum capitum interpretationes spirant, quorum utilitas utinam ex eo, quod dedimus exemplo, fiat manifesta. Quodsi autem hac in parte noster nonnumquam erraverit, illud plerumque ibi factum videmus, ubi ipsa illa, quam explicandam susceperat, clausula ad nostram legem non pertineat; cujus rei exemplum praebet Caput LVII. de tacitis fideicommissis, ubi male restitutum caput totam interpretationem vitiat. Porto perperam **Heineccius** interpretatus esse videtur locum **Ulpian.** fragm. Tit. XII. §. 8. « feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia *sustinet* « exceptâ tutelâ patronorum." Etenim pro *sustinet* hic legendum esse *sustulit* jam **Cujacius** animadverterat, atque ulterius illud confirmatur verbis **Gaji** Comm. I. 157. « Sed postea lex Claudia lata est, quae quod ad feminas attinet (agnato- « rum) tutelas *sustulit.*" Cf. Clariss. **van Assen** adnot. ad **Gaj.** p. 107.

Universe vero hoc censeo, praeclare nostrum de Legis interpretatione atque illustratione esse meritum.

Conclusio Capitis.

Expositis singulis viri egregii in restitutionem Legis Juliae et Papiae Poppaeae meritis, ad summam hoc statuere convenit, **Heineccium** revera *restituisse* nostram legem. Vidimus enim quidquid suâ aetate de lege e veterum scriptis erui potuerit illum ingeniose perspexisse. Cum vero novis Juris fontibus, quos **Heineccium** non novisse dolendum est doctrina hujus legis ulterius illustrari potest, atque etiam de illis disputari postulat proposita quaestio, jam videndum erit, quatenus novo hoc subsidio adjuvetur hujus Juris expositio.

◆

CAPUT SECUNDUM.

DE LEGIS JULIAE ET PAPIAE POPPAEAE DOCTRINA EX NOVIS JURIS FONTIBUS ILLUSTRATA.

§. 1.

De novis Juris fontibus universe.

Ex iis veteris Jurisprudentiae reliquiis, quae nostrâ aetate detectae sunt, Gaji Institutionum Commentarii, Fragmentum Veteris JCti de Jure Fisci, atque fragmenta Vaticana, prae caeteris valent ad nostram legem illustrandam. Universe de horum argumento atque indole disputare, aut fusius quanti pretii haec monumenta sint disquirere, hujus loci non videtur (1).

Illud dixisse sufficiat fragmenta haecce nostrae legis explicationi multum addere lucis. Etenim, ut hoc utar exemplo, multa sunt eaque eximii momenti, quae ex hisce reliquiis de celebratissimo illo liberorum jure, quod ex lege Papiâ venit atque de caducis docemur. Ipsa vero Legis verba legitima, capitumque genuinam dispositionem non facile quis hoc loco reperiet; quare legem de novo restituere, quamvis novorum fontium fretus subsidio, equidem non conabor, nec vero etiam hoc postulare videntur viri docti, qui eam quaestionem proposuerunt, quae, quidquid de doctrinâ hujus Legis ex iis monumentis liqueat, exponi roget; nequaquam vero voluerunt, ut juvenis ea enucleet, ad quorum interpretationem, altero etiamnunc Heineccio indigemus.

Breviter igitur et quantum fieri possit accurate quidquid lucis ex hisce reliquiis legi nostrae affundatur, exponam, separatim quidem singula argumenta, quae ex-in-

---

(1) Cf. de Gaji Commentariis Celeb. Schraderus in libello: » Was gewinnt die Römische Rechtsgeschichte durch Cajus Institutionen?" Heidelb. 1823. 8vo. De fragmentis Vaticanis vide: » A. A. de Bucholtz in excursu I. de fontibus fragm. Vaticanorum," horum editioni subjecto. Cf. porro S. C. Klinkhamer dissert. de donationibus ex fragm. Vatic. illustr. Amstel. 1826.

inde illustrari possint, pertractans. Utinam autem varia, quorum hic mentio fiet loca, neque valde negligenter pertractata, neque omnino perperam videantur esse intellecta!

§. 2.

De legis Juliae et Papiae placitis juxta novos Juris fontes non confundendis.

Animadvertimus supra, omnes Legis Juliae et Papiae interpretes, uno excepto Antonio Augustino, confuse admodum utriusque legis clausulas proposuisse; neminem eas a se invicem discernere sustinuisse. Exemplum nempe sequebantur antiquiorum JCtorum, qui uno eodemque commentario ad legem Juliam Papiamque scripserant; atque, ut erat, ita difficillimum, ne dicam humanis viribus impar, videbatur accurate distinguere, quidquid alterutrâ lege cautum fuisset. Accedebat et hoc, quod omnia legis Juliae capita in Papiam legem fuisse translata existimarent nonnulli, quapropter supervacanea esset de utriusque legis discrimine disputatio. Alii, inter quos et ipse noster Heineccius, fatebantur quidem multis in causis legis Juliae diversas esse sanctiones, sed illas, lege Papiâ sublatas. Nequaquam vero contendere ausi sunt, priore rogatione aliquid fuisse cautum, quod lege Papiâ Poppaeâ neque abrogatum neque repetitum fuerit.

Atque etiam illud apprimis in causis fuisse videtur, cur unâ eâdemque restitutione utrasque leges complexi sint. Mihi quidem novis Juris fontibus persuasum est, non modo diversas esse legem Juliam et Papiam, verum etiam illius legis placita viguisse etiamnunc post Papiae rogationem.

Nimirum constabat jam olim, circa aetatem quâ nuptiae ineundae essent, aliter cautum fuisse lege Julia, aliter lege Papiâ. Haec enim citius liberos exigebat quam Julia matrimonium. Tertull. Apolog. c. 4. Quam ob rem circa aetatem, quâ quis caelebs haberetur lege Papiâ, priori rogationi derogatum esse oportet. Sed testimonio Tertulliani non liquebat, etiam de orborum poenis aliquid cavisse legem Juliam; immo vero, si tamen in tantis tenebris conjecturae indulgere liceat, non injuriâ cum Celeb. Cujacio (1) ex ejusdem verbis ducere videmur, de matrimonio contrahendo egisse legem Juliam, Papiam Poppaeam ad liberorum pertinuisse procreationem. Ecce autem egregie confirmatur eximii viri sententia verbis Gaji Comm. II. 286. « Caelibes quoque « qui per legem Juliam hereditates legataque capere prohibentur. Item orbi qui per « le-

---

(1) Ad Ulpian. fragm. tit. XVI. §. 5.

« legem Papiam, ob id, quod liberos non habent; dimidias partes hereditatum legatorumque perdunt." Disertis adeo verbis hic legis Juliae de caelibe, legis Papiae de orbis clausula memoratur; cujus distinctionis ea, ni fallor, vis est, ut ex eâ manifestum fiat legem Juliam de caelibum poenis aliquid cavisse, quod sequenti lege neque abrogatum neque repetitum est. Cur enim, Gajo opus fuisset legis Juliae mentionem facere, si Papia lege, quam in eâdem periodo memorat, idem Jus comprehensum aut mutatum fuisset? Accurate videlicet Juris fontes indicare solet Gajus; quare ne hoc quoque in casu, aliquid nimis temere dixisse aut negligentius scripsisse videatur. Praeterea, ex industria eundem utrasque Leges distinxisse ex eo probatur, quod, quoties de caelibum orborumque poenis agat, toties duarum rogationum separatim mentionem faciat, uti videre est in ejus commentario II. 111. II. 144.

Haec sunt ex Gaji commentariis nisi omni dubio expedita, satis tamen probabilia, ni fallor.

Ulterius autem eadem ex fragmentis Vaticanis illustrari possunt, ut ex sequentibus apparebit locis, diligenter inter se invicem conferendis.

§. 158. « Promiscua facultas potiores nominandi pupillos fortunis suis privabit; cui « rei obviam ibitur, P. C., si censueritis, ut collegae patris sive pupilli in decuriâ vel corpore, item cognati vel affines utriusque necessitudinis, qui lege Juliâ « et Papiâ excepti sunt, potiorem non nominent."

§. 214. « Sed nec cognati vel affines possunt nominare potiores; sed ut oratione ex« pressum est, hi soli, qui lege Juliâ Papiâve excepti sunt."

§. 215. « Proinde si quis cognatus alterutrâ lege exceptus est cet. — nec potiorem « nominare poterit affinis, qui alterutrâ lege exceptus est."

§. 216. « Item excipiuntur autem lege quidem Juliâ cognatorum sex gradus, et ex « septimo sobrino sobrinâve natus: sed et nata per interpretationem; item qui in « horum potestate sunt, quaeve in matrimonio, vel hii, qui supra scriptarum « personarum hoc gradu nos contingentium mariti sunt: item eorum, qui in po« testate nostrâ cognati, contingentes eos eâ cognatione, quae septimum gradum non « excedit."

§. 217. « Item nuptarum nobis cognati a nobis usque ad sextum gradum vel nostri « cognati ab uxoribus nostris excepti sunt."

§. 218. « Item Lege autem Papiâ hii affines excipiuntur, qui vir et uxor, et gener « et nurus, et socer et socrus umquam fuerunt."

§. 219. « Item et vitricus et noverca et privignus et privigna vel ipsorum vel eorum, « qui in eorum potestate fuerunt."

Agitur in hisce fragmentis de personis caelibum orborumque poenis exceptis, et me-

merito sane ad celeberrimam nostram legem provocatur, quippe cujus placita omnibus nota erant. Prouti igitur ad exemplum Legis Cinciae Lex Julia atque Servilia repetundarum circa personas exceptas redacta erat, ita in fragm. 158 Divus Severus Patres rogat, ut censeant, ne personae lege Juliâ et Papiâ excepti potiorem nominent. Ast in eâdem oratione tacite videtur innui legem Juliam cognatos, Papiam affines excepisse. Certissimum autem illud fit ex §. 216. ubi dicitur: « excipiuntur « autem lege quidem Juliâ cognatorum sex gradus," et ex illis quae §. 218. subjiciuntur: « Lege autem Papiâ hi affines excipiuntur cet."

Duae itaque hae leges et personae iis exceptae disertis verbis secernuntur. Contra vero ex §. 214 et 215. colligi posse videtur, et cognatos et affines utrâque lege exceptos fuisse. Hujus difficultatis probe gnarus, doctiss. de Bucholtz ad fr. Vatic. §. laud. repugnantia ita conciliari posse arbitratus est, ut primum, lege Juliâ latâ, soli cognati, lege Papiâ soli affines excepti fuerint; postea vero utraque lex conjunctim perlata sit, sanctiones alterius in alteram invicem perlatae fuerint. At, veniâ viri doctissimi, equidem duas potissimum ob causas ab eo dissentiendum putem. Primum scilicet, quamvis multa legis Juliae placita in Papiam legem migraverint, minime constat conjunctim duas hasce leges esse perlatas. Deinde mirum foret, duarum legum, quarum ita jam diu sublatum esset discrimen, separatim mentionem fieri.

Jam vero, ut alia ratione res expediatur, quod conjectura assequi possum, qualecunque illud erit, audacter proponam. Ita nimirum mihi rem informo. Lex Julia de caelibum poenis statuens solos cognatos exceperat. Papia vero lex, cum orbos dimidias partes hereditatum legatorumve capere vetaret, praeter cognatos etiam affines excepit, simul addens: ut personae hac lege exceptae, placito superioris legis de caelibe etiam exceptae essent. Quod igitur ad personas exceptas attinet conveniunt duae leges, neque amplius mirum est Ulpianum de cognatis vel affinibus, alterutrâ exceptis, sermocinari. Universe autem illud remansit discrimen, quod supra ex Gajo didicimus, Juliam nempe de caelibum, Papiam vero Legem de orborum poenis agere.

§. 5.

De tutelis et exceptionibus liberorum Jure constitutis.

Supra jam, cum de iis ageremus quae, corruptiora legis capita ab Heineccio melius restituta sunt, observavimus caput illud XIV. de tutore mulieri dotis causâ dando, praeclare ab eo fuisse emendatum; atque ibi ipsa Gaji verba (ex Comment. I. 178.), quibus illud confirmatur descripsi; quamobrem necesse non est, ut diutius de hac re disputem. Eodem vero loco, inter ea quae minus bene ab Heineccio restituta videbantur, clausulam de liberatione a tutela numeravimus, quam ita exhibuerat ille, ac si libertina *quater* enixa demum a tutela liberata esset. Atqui distinguendum esse hoc loco inter tutelam legitimam patronorum, quâ quatuor quidem liberorum jure libertinae liberabantur (1) et Atilianam aut fiduciariam, Gajus docet Comm. I. 194., ubi, « Tutela autem" inquit « liberantur ingenuae qui« dem trium liberorum, licet in legitimâ tutelâ sint; nam et caeterae" (libertinas intelligit ut recte exponit Göschen) « quae alterius generis Tutores habent, velut « Atilianos aut fiduciarios, trium liberorum jure liberantur." Postquam igitur *ter* pepererant libertinae, ab Atiliana et fiduciariâ tutela liberabantur. Cf. Clariss. v. Assen, adnot. ad Inst. Gaji Comm. p. 104. Gaj. I. 145. Pertinet autem hicce Gaji locus ad celebratissimum illud liberorum Jus, quod ex lege Papiâ venit, et novis Juris fontibus quam optime illustratur. Primum confirmatam jam habemus sententiam Heineccii, statuentis, lege Papiâ fuisse cautum, ut, qui liberos tres Romae natos incolumes, qui quatuor in Italiâ, quinque in Provinciis habeat, munerum personalium immunitatem habeat (Cf. ejus Comm. p. 85). Etenim fragmentis Vaticanis §. 168. hoc docemur, ubi abruptam sententiam cum doct. Bucholtzio hoc modo fere supplendum esse statuo: « ut aliquis numero trium justorum libero« rum a tutelâ excusetur, lege Juliâ et Papiâ cavetur. Qui vero sint justi dubitatur. « Quidam tamen justos secundum has leges putant dici" Mutationem postea in hoc Jure introductum fuisse colligi potest ex fr. Vatic. §. 247. Paulus libro I. editionis secundae de Jurisdictione tutelari: « qui tres pluresve liberos habent super« stites, excusari solent, idque compluribus constitutionibus cavetur, tam Dei Marci « et Luci, — quam dominorum nostrorum. Sed hic numerus in Italiâ Cives Romanos « liberabat." Scilicet significare videtur JCtus tempore Divorum Fratrum tres liberos non solum Romae sed et in Italicis municipiis ad tutelae excusationem suffecisse. Vetus autem illud legis Juliae et Papiae Jus Imperatorum Severi et Antonini constitutione retroductum est, uti patet ex iis quae Paulus l. l. statim subjicit: « nunc ex constitutione principum nostrorum nec in Italia sed Romae tantum exem« plo municipalium munerum." Idem probatur Fragm. Vat. §. 191. ubi haec leguntur: « Numerus quoque liberorum a tutela excusationem tribuit: civibus qui« dem Romanis earum tutelarum quae Romae sunt injunctae a trium filiorum: earum « vero quae in municipiis Italicis quatuor numero liberorum, etc."

Egregie, quae sequuntur fragmenta, idem Legis placitum claram in lucem vocarunt. Discimus namque ex fragm. 192. in excusatione eum locum spectari ubi in[illegible] jungitur tutela, quapropter: « etsi in provincia delata fuerit tutela, licet Romae excusatio allegetur a quinque liberis, debet recipi. ” Quinam vero liberi prosint ex sequentibus paragraphis audimus (194): « Justi enim an injusti sint filii non requiritur: multo minus in potestate nec ne sint, cum etiam judicandi honere injustos filios relevare Papinianus, l. V. quaestionum, scribat. ” Animadvertatur velim, hoc loco injustos filios non eos dici, qui alias spurii vel vulgo quaesiti audiunt, sed eos qui ex matrimonio Juris Gentium sunt progeniti; justos autem liberos, qui ex justo, id est, secundum Jus Civile contracto matrimonio nati sunt; quod recte probasse videtur doctiss. Bethmann Hollweg de caus. probat. p. 6. et 35 seqq. Vocantur igitur hoc loco injusti filii, qui contra praecepta legis Juliae et Papiae quaesiti in patriâ potestate non sunt; nihilominus tamen ad excusationem prosunt. Quodsi, itaque, ut supra animadvertimus p. 45. male hoc negavit Heineccius (Comment. ad legem Jul. et Papiam p. 207.) ideo hoc vitio ei vertendum non putem, quod, nullis ejus aetate de hoc jure exstantibus testimoniis obscurissima haecce Legis pars fuerit. Ipsos sane veteres de eo disputasse an *injusti* filii dicerentur, qui contra legem Juliam suscepti essent, ex fragmentis Vaticanis §. 168. supra laud. colligitur. Caeterum ex filiâ nepotes non magis quam adoptivi filii prosunt, sicuti neque nocet eos in adoptionem dedisse. Cf. fragm. §. 195 et 196. At bello amissi a tutelâ excusant; quod scilicet ex analogiâ capitis legis Juliae, de fascibus sumendis, deduxit Paulus §. 197. Cf. §. 198 — 200.

---

(1) Gaj. Comm. III. 44.

Haec fere sunt quae, quoad Jus liberorum circa tutelam, a novis Juris fontibus nobis suppeditata, mihi hîc componere licuit. Caeterae hujus Juris partes, quae cum caducorum vindicatione et Jure patronatus arctissime cohaerent, in sequentibus paragraphis magis idoneum obtinebunt locum.

§. 4.

De Caducis.

Pluribus in locis viros doctos fefellisse legis Papiae caducariae placita, suo loco exposui, ita ut subinde loca indicaverim, quae ex meâ quidem sententiâ male videbantur intellecta. Praestat vero hîc uberius dicere, quid novi circa obscurum hocce Jus, nos doceat recentiorum fontium studiosa inquisitio.

Lege nostrâ *caduca* fiunt bona eorum, qui aut ab hereditate legatisque *summoventur* prorsus, uti caelibes, aut dimidias partes hereditatum legatorumque perdunt, tamquam orbi. Gaji Comm. II. 144. « Aut propter caelibatum lege Juliâ summotus fuerit ab hereditate. ” Idem Comm. II. 286. « Caelibes quoque, qui per legem Juliam hereditates legataque capere prohibentur. Item orbi, qui per legem Papiam ob id, quod liberos non habent, dimidias partes hereditatum legatorumque

« perdunt." Illud autem *caducum* non fit, quod caelibi vel orbo a milite relictum est; cujus exceptionis apud Gajum mentio est in Comm. II. 111. « Caelibes quo« que, qui lege Juliâ hereditates legataque capere vetantur: item orbi, id est, qui « liberos non habent, quos Lex Papia prohibet . . . ." Scilicet egerat hoc loco Gajus de testamentis militum, quibus licere peregrinos Latinosque heredes instituere docuerat; quocirca illud, quod de caelibe et orbo addit, eodem referendum est. Verum non tantum haeredes institui caelibes possunt a milite, sed etiam instituti hereditatem capere. Nisi enim hoc statuas nullum est privilegium illud militum, quum etiam caeteri testatores hos heredes instituere possunt, uti manifestum est ex Comm. II. 144. ubi *jure* fieri tale testamentum dicitur. A milite igitur heres institutus caelebs statim capere potest, ab alio vero heres scriptus summovetur ab hereditate, nisi intra centum dies legi paruerit.

Illud autem, quod universe de caelibe ab hereditate summoto diximus, ad ejus cognatos vel affines non pertinet. Etenim hi lege Juliâ et Papiâ nominatim excipiebantur. Cf. fragm. Vat. 158. 214—219. et vide supra pag. 23, 28. neque vero etiam nostrâ lege fideicommissa capere prohibentur caelibes atque orbi; videbantur nempe ea solida capere posse. « Sed postea, SCto Pegasiano, perinde fideicommissa quo« que ac legata hereditatesque capere posse prohibiti sunt, eaque translata sunt ad « eos, qui testamento liberos habent, aut si nullos liberos habebunt ad populum; « sicuti Juris est et in legatis et in hereditatibus." Gaj. Comm. II. 286.

Praeterea vero lege Papiâ collegatarii deficientis portio caduca fit. Nam, cum ante nostram legem deficientis portio in per damnationem legato in hereditate retineretur, in per vindicationem vero collegatario accresceret, universe cavit Lex Papia, ut caduca fieret pars conjuncti deficientis. Cf. Gaji Comm. II. 206. Ita factum est, ut discrimen illud, quod olim inter legatum per damnationem atque per vindicationem relictum intercedebat, lege sublatum fuisse, visum sit JCtis. Ait enim Gajus II. 208. « Sed plerisque placuit quantum ad hoc Jus; quod lege Papiâ conjunctis constituitur, « nihil interesse, utrum per vindicationem an per damnationem legatum sit." Utrum vero universe sublatum fuerit Jus accrescendi lege Papiâ, dubitari de eo possit.

Aliorum etiam bona caduca facta fuisse, vel ex eo patet quod Gajus III. 63. Latinum Junianum memoret. Plura exempla praebebit Ulpianus fragm. Tit. XVII.

Quodsi autem quaeramus quorsum illa bona delata fuerint, multa nobis respondent loca, quibus hujus Juris adjuvari possit expositio. Primum enim certo scimus, caduca illa non directo ad aerarium pertinere, verum prius vindicari posse ab iis, *qui in eo testamento*, quo incapaci aliquid relictum est, liberos *habeant*. Argumento nobis est Gaji Comment. II. 206. « Quod autem diximus deficientis portio« nem in per damnationem quidem legato in hereditate retineri, in per vindicatio« nem vero collegatario accrescere, admonendi sumus ante legem Papiam jure civili

« ita fuisse : post legem vero Papiam deficientis portio caduca fit et ad eos pertinet, « qui in eo testamento liberos habeant." Nam, quamvis hoc in loco legata tantum memorentur, universe illud et de hereditatibus verum esse, ex Comm. II. 286. intelligimus. Cum enim ibi dixisset Gajus SCto Pegasiano fideicommissa, caelibi vel orbis relicta, translata esse ad eos, qui testamento liberos habent, aut si nullos liberos habebunt, ad populum, statim subjicit: « Sicuti juris est in legatis et hereditati« bus." Scilicet ex lege Papiâ. Caeterum ad caducorum vindicationem profuisse liberos, magis etiam confirmatur locis, qui sequuntur.

Fragm. de Jure fisci §. 3. « Jus patrum non minuitur si se is deferat, qui so« lidum id, quod relictum est, capere non potest. Sane si post diem centesimum « patres caducum vindicent, omnino fisco locus non est." *Patres* hoc loco ii dicuntur qui liberos habent, ut egregie observarunt doctissimi Hugo et Heise in diario « Zeitschr. für Gericht. Rechtswiss. III. 294 et 298.;" nec ideo cum Savignio eod. loco p. 162. ad Senatores tamquam aerarii Curatores illud referendum ducimus.

Fragm. Vatic. 195. « Ex filiâ nepotes prodesse ad tutelae liberationem, sicuti, « nec ad caducorum vindicationem, palam est."

Quonam porro ordine ad caducorum vindicationem vocentur patres, ex Gajo discimus. Ait enim: « primam causam esse heredum liberos habentium, deinde, si « heredes liberos non habeant, legatariorum liberos habentium." Comm. II. 207. Quid vero si ad plures heredes legatariosve liberorum Jure caduca pertineant? Quaenam hoc in casu successio obtineat, ex Gajo effici haud potest. Non injuria tamen statuere videmur ad exemplum illius clausulae, qua in fascibus sumendis is, qui plures liberos habebat, praeferebatur (cf. Gell. II. 15.) etiam hac in causa lege Papia fuisse cautum, ut patrum ille qui liberorum numero praecelleret potior esset; eos vero, quibus liberorum aequus erat numerus, partes fecisse. Quamvis autem primo vocantur heredes, deinde legatarii, in casu tamen, quo collegatarii deficientis portio caduca fit, exceptio obtinet. Etenim teste Gajo §. 208. ipsa lege Papia significatur, « ut collegatarius conjunctus si liberos habeat, potior sit heredibus etiamsi li« beros habebunt."

Haec fere sunt quae ex novis Juris fontibus circa celebratissimum illud caducorum Jus, quod ex lege Papia venit, erui possunt. Ea maximi momenti esse, quod ad restitutionem legis Papiae Poppaeae attinet, manifestum erit unicuique, reputanti; nil fere de hoc Jure olim liquido constitisse; pleraque vero ex Ulpiani fragmentis atque Justiniani de caducis tollendis constitutionibus magis suspicari quam probare potuisse viros doctos. Prouti autem legi nostrae hac in causa restituendae optime inservit novorum fontium pertractatio, sic ipse Gajus, et ipsa Vaticana fragmenta subinde intelligi nequeunt, nisi rite perspectis caducariae legis placitis. Exempli ergo sit illud ex Fragm. Vatic. §. 84. « Quamquam non sit longe quod Marcellus « l. XII. Dig. scribit: « si duobus pure Stichus legetur, et alter manumittat alter post « « manumissionem repudiet, *ubi non fit caducum*, libertatem locum habere. " " Etenim si caducum fiebat legatum (fac. v. c. alterutrum conjunctorum coelibem vel Latinum Junianum fuisse), manumittendi Jus neuter habebat, post legem Juliam et Papiam, ut supra nos docuit Gaj. II. 206.

Haec de caducis dicta sunto. Sequenti paragrapho ulterius persequemur liberorum Jus, quatenus videlicet illud cohaeret cum Patronorum jure in libertorum successionem.

§. 5.

De Jure Patronorum quatenus illud e lege Pepiá venit.

Lex Papia auxit quidem jura patronorum, sed eorum tantum qui locupletiores libertos, qui sestertium centum millium patrimonium reliquerant, habebant. Cf. Gaj. III. 42. Nequaquam igitur nostrâ lege de libertorum centenario minorum bonis actum est, neque verosimile est, ut supra indicavimus, p. 48. expressis verbis in lege cautum fuisse, ut hi antiquo Jure fruerentur. Ea autem quae paragraphis 43 et 44. apud Gajum legimus, egregie me judice cum iis congruunt, quae nobis restituit Heineccius. Ait enim Gajus III. 43. « In bonis libertinarum nullam « injuriam antiquo jure patiebantur patroni; cum enim hae in patronorum legitimâ « tutelâ essent, non aliter scilicet testamentum facere poterant, quam patrono aucto- « re etc. " §. 44. « Sed postea lex Papia cum quatuor liberorum jure libertinas tu- « tela patronorum liberaret et eo modo — tutoris auctoritate — habuerit, virilis pars « patrono debeatur." Scilicet antequam jure liberorum liberari poterant libertinae patronorum tutelâ, semper sibi ipsi prospicere poterant patroni; sed post legem Papiam alio modo patronis prospiciendum erat. Quis autem ille modus fuerit ex hoc loco discimus, quem recte, ut opinor, ita restitui posse putavit doctiss. Göschen: « sed postea Lex Papia (cum) quatuor liberorum jure libertinas tutelâ pa- « tronorum liberaret et eo modo (inferret ut jam sine patrono) tutoris auctoritate « (testari possent prospexit ut pro numero liberorum, quos superstites liberta) ha- « buerit, virilis pars patrono debeatur."

De caeteris, quae hoc Gaji commentario circa patronorum Jus, quod ex lege Papiâ venit, proponuntur, clausulis, singulatim videre libet.

§. 46. « Lege XII Tabularum patronis datum est — patronorum liberos — testa- « menti liberti — adoptivum — bonorum possessionem petat, trium liberorum jure lege Papiâ consequitur; aliter hoc Jus non habet. "

Collato Ulpiani fragm. Tit. 29. §. 5. ita Gaji verba intelligenda sunt: « *Feminis ex* lege XII Tabularum *idem Jus concessum est quod masculi patroni* liberi « *habent. Verum si contra tabulas* testamenti liberti *aut ab intestato contra suum* « *heredem non naturalem sed* adoptivum *femina* honorum possessionem petat, trium « liberorum jure lege Papiâ illud consequitur; aliter hoc jus non habet." Cf. doctiss. Gösschen in not. ad h. l.

III. 47. « Sed ut ex bonis libertae suae quatuor liberos habentis virilis pars ei « debeatur, liberorum quidem jure — ut quidam putant, sed tamen intestatâ libertâ mortuâ, verba legis Papiae faciunt ut ei virilis pars debeatur. Si vero testa« mento facto mortua sit liberta, tale Jus ei datur, quale datum est — liberique « contra tabulas testamenti liberti habent: *quamvis parum diligenter ea pars legis* « *scripta sit.*"

Patet ex primis hujus paragraphi, verbis Gaji aetate dubitatum fuisse an filia patroni tribus liberis honorata virilem partem consequeretur contra tabulas libertae quater enixae.

Maximis autem difficultatibus obnoxius est hicce locus: « Sed tamen intestatâ « libertâ mortuâ, verba legis Papiae faciunt ut ei virilis pars debeatur." Etenim in omnia bona succedebat patroni filia, quum liberta suos heredes habere non poterat. Cf. Gajus Comm. III. 51. et clariss. Gans Scholien zum Gajus 358. Equidem quomodo hoc *verbis legis Papiae fieri* potuerit, non intelligo. Quid vero, si statuamus hanc ipsam illam legis partem esse, quam parum diligenter scriptam esse Gajus ait ibidem? Sane ipsum illud: « verba legis Papiae faciunt" ut caetera arguere mihi videntur dubitasse auctorem an tale placitum convenienter sancitum fuerit, eundemque ut illud agnosceret, magis ipsius Legis verbis quam juris elegantiâ permotum fuisse.

III. 49 — 55. « Patronae olim, ante legem Papiam hoc solum Jus habebant in bonis « libertorum, quod etiam patronis ex lege XII Tabularum datum est; nec enim ut « contra tabulas testamenti in quo praeteritae erant vel ab intestato contra filium « adoptivum, vel uxorem nurumve bonorum possessionem partis dimidiae peterent; « Praetor similiter, ...

50. « Sed postea lex Papia duobus liberis honoratae ingenuae patronae, libertinae « tribus eadem fere Jura dedit, quae ex edicto Praetoris patroni habent. Trium « vero liberorum jure honoratae ingenuae patronae ea jura dedit, quae per eandem « legem Patrono data sunt; libertinae autem patronae non idem Juris praestitit. « Quod autem ad libertinarum bona pertinet, siquidem intestatae decesserint, nihil novi patronae liberis honoratae Lex Papia praestat. Itaque si neque ipsa pa« trona neque liberta capite diminuta sit, ex lege XII Tabularum ad eam hereditas « pertinet et excluduntur libertae liberi; quod Juris est etiamsi liberis honorata

« non sit patrona ; numquam, sicuti supra diximus, feminae suum heredem habere possunt, etc."

52. « Cum autem testamento facto, moritur liberta, ea quidem patrona, quae liberis honorata non est, nihil Juris habet contra libertae testamentum; ei vero quae liberis honorata sit, hoc Jus tribuitur per legem Papiam, quod habet ex edicto patronus contra tabulas liberti."

53. « Eadem lex patronae filiae, liberis honoratae, patroni Jura dedit, sed in hujus personâ etiam unius filii filiaeve Jus sufficit."

Egregia est horum Gaji verborum cum Heineccii restitutione consonantia. Verumtamen novi quid etiamnunc hoc loco docemur. Cum enim ex Ulpiano (fragm. Tit. ult. §. 6.) probaverit Heineccius, patronam ingenuam duobus liberis honoratam, eodem jure frui, quod patronus ex edicto Praetoris habet; hic §. 50. legimus patronam ingenuam si ter enixa sit ea jura habere, quae *per hanc legem* patrono conceduntur. Illud deinde, filiam patronae patroni jura habere, etiamsi unum tantum filium filiamve habuerit, antea non constabat. Cf. §. 53. Atqui mirum hoc videatur necesse est nobis reputantibus, ipsam patronam trium liberorum jure eguisse, ut tale Jus obtineret. Neque me fugit ex hoc quoque loco indicari, male Heineccium legi inseruisse hancce clausulam supra pag. 48. jam a nobis rejectam: « Patroni filia si jus trium liberorum habebit, eadem jura, quae et ipse patronus patronique filii edicto Praetoris habent, habento."

§. 2.

De caeteris locis, quibus doctrina legis Juliae et Papiae Poppaeae illustrari possit.

Praeter ea quae circa tutelam, caduca, atque liberorum Jus, e novis Juris fontibus colligere nobis licuit, quaedam etiamnunc loca attingenda sunt, quae ad argumenta illa jam exposita commode referri non poterant. Primum igitur obiter hîc in censum veniant verba Gaji I. 28 seq.; quod enim ibi legi Aeliae Sentiae tribuitur placitum, de modo, quo Latini ad Jus Quiritium perveniant, viri docti, ut jam a nobis dictum est, Legis Juliae et Papiae esse contenderant. Atqui, hujusmodi quid lege nostrâ nequaquam fuisse cautum, supra ostendimus. Ulterius illud probat B. Hollweg diss. de caus. prob. p. 31.

Ad nostram legem etiam pertinuisse illam clausulam, quâ cautum erat, ut Latinus, perficiendo Romae aedificio, Jus Quiritium consequeretur, probabiliter statuit Clar. Göschen ad Gaj. I. 33. Cum enim ex Ulpiano fr. III. 1. constaret, etiam hoc modo ad Jus Quiritium pervenire posse Latinos, satis manifesta erat sententia eorum, quae ex Gaji Comment. l. l. non nisi mutila nobis relicta sunt: « aedi-« ficio ..... non minus quam partem ..... patrimonii sui impenderit, Jus Quiri-« tium consequatur ....." Conferendum autem est ad hunc locum fr. 139. D. de V. S.; ex quo patet, Ulpianum in libro VII. ad leg. Jul. et Pap. de aedificio Romae construendo egisse his verbis: « Aedificia Romae fieri etiam ea videntur, « quae in continentibus Romae aedificiis fiant. §. 1. Perfecisse aedificium is videtur, « qui ita consummavit, ut jam in usu esse possit."

Hisce Clar. Göschen adactus est, ut statueret, locum Gaji hunc in modum esse restituendum: « Lege Juliâ cautum est, ut Latinus si in perficiendo aedificio « Romae non minus quam partem s..... patrimonii sui impenderit, Jus Quiritium « consequatur."

Quodsi igitur, hujusmodi privilegium Latinis nostrâ lege fuisse concessum, Gajus scripsit, de iis certe egit, qui voluntate dominorum in libertate morabantur, ac postea, latâ lege Juliâ Norbanâ, Latini dicti sunt. Cf. Schult. ad Ulp. fragm. III. 1. laud. De iisdem egerat quoque lex Aelia Sentia. Cf. Gaj. I. 29. laud.

Usum, tamquam modum in manum conventionis, legibus Juliâ et Papiâ fuisse sublatum, Clar. Schraderus (1) ex verbis Gaji (I. 111.) deducit. Ibi enim, postquam exposuerat quomodo usu in manum conveniat femina, atque absentiâ trium noctium interrumpatur usucapio, subjicit JCtus: « sed hoc totum Jus partim legibus « sublatum est, partim ipsâ desuetudine oblitteratum est." Statuit igitur vir doctus, legibus illis Juliam Papiamque significari, quod sane mirum non esset, cum saepius simpliciter ita legum fit mentio (2). Ut verosimilior haec conjectura videatur, affert idem, talem Juris mutationem cum argumento legis nostrae egregie convenire. Equidem tamen haud scio, an hujusmodi sanctio congrua sit consilio Legislatoris, quod, sine dubio, hoc fuit, ne quid nuptiis impedimento esset; quare mihi nondum persuasum est, usum legibus Juliâ et Papiâ fuisse sublatum. Cf. Clariss. van Assen adnot. ad Gaj. p. 75.

Majoris autem momenti sunt, quae ex fragmentis Vaticanis §. 197. colligere potuimus. Ibi enim Ulpianus, « An bello," inquit, « amissi a tutelâ excusare debeant? « nam et in fascibus sumendis et in judicandi munere pro superstitibus habentur, ut « lege Juliâ de maritandis ordinibus, de fascibus sumendis et publicorum capite vi-« cesimosexto, item privatorum Capite VII. de judicando cavetur. Et puto consti-« tuendum, ut a tutelis excusent." Ac primum quidem hoc loco discimus, inscriptionibus jam olim varia legis Juliae capita fuisse insignita; et quidem Capitis VII. ru-

---

(1) In opere: was gewinnt die Röm. Rechts-geschichte durch Gaj. Instit.? p. 43.

(2) Cf. Comm. nostrae p. 14 et 40. Plura exempla suppeditat Merillius, Observ. l. V. c. 10.

rubricam fuisse: « de fascibus sumendis.” Deinde vero etiam hoc ex illo loco efficitur, disertis verbis in illo capite fuisse cautum: « ut bello amissi pro superstitibus « haberentur.” Nimirum verba: « et puto constituendum, ut a tutelis excusent” ex interpretatione sunt JCti, qui ut probet suam sententiam, ad analogiam capitis de fascibus sumendis provocat.

Caeterum conferatur ad hunc locum doctiss. de Bucholtz, fragm. Vatic. §. 197. et Ulpian. fr. XVIII. D. de excusat.

Denique animadvertendum restat, commentarios ad legem Juliam et Papiam conscripsisse Gajum, antequam Institutionum Commentarios ederet, atque ideo sub initiis regni Antonini Pii. Ait enim l. III. §. 54., postquam Patronatûs Jus, quod ex lege Papiâ venit, exposuerat: « Hactenus omnia jura quasi per indicem te- « tigisse sat est: alioquin diligentior interpretatio propriis commentariis exposita est.” Cf. Schraderum op. laud. p. 39.

Atqui haec sunt, quae etiamnunc de caeteris locis, ex quibus doctrina legis Juliae et Papiae illustrari potest, monenda restabant. Quare jam satis ostendisse videmur, quomodo, ad nostrae legis placita constituenda, valeat novorum fontium pertractatio.

Conclusio.

De Heineccii meritis in legis Papiae Poppaeae restitutionem deque novis Juris fontibus, quibus doctrina de hac amplissima lege illustrari possit, pro viribus disputavi. Quodsi autem non ita sese opella habeat, ut vobis, Viri Clarissimi! quicunque tandem ratione probetur, utinam illud tamen effecisse videar, quod a juvene in his omnibus rebus novitio exspectari possit! Sin vero etiam haec spes me fefellerit, ne tunc quidem frustra manus operi admovisse videbor, utpote qui e diligenti legis Juliae et Papiae pertractatione uberrimos jam fructus perceperim. Illud vero apprimis me didicisse gaudeo, plurimum, tam in excolendam universam Jurisprudentiam Romanam, quam in legis Juliae et Papiae cognitionem, perfecisse Heineccii industriam; atque etiamnunc, repertis novis subsidiis, ejus commentarios eximii esse pretii. — Scilicet magis magisque, dum haec tractarem, mihi persuasum est, nequaquam solis novis Juris fontibus investigandis, verum, prae caeteris quoque, diligenti Veterum quorumlibet optimorum Interpretum lectione promoveri Juris Romani studium. — Verissime enim dixit Plutarchus:

> *« — Πρεσβυτέρων ἐπιχειρήματα . . . . ἀρχὴν ἐνδίδωσιν οἰκείαν καὶ*
> *« τόλμαν ἐπὶ τὸ ζητεῖν, καὶ ἀνιχνεύειν τὴν ἀλήθειαν.”*

❦

JANI REGNERI WERNINK,

ZWOLLA-TRANSISALANI,

THEOLOGIAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

COMMENTATIO

IN

QUAESTIONEM, AB ORDINE THEOLOGORUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXXVIII. PROPOSITAM;

Qua postulatur: *interpretatio effati Paulini*: Rom. VIII: 22. πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν, *ad quàm accedat* oportet *brevis et dilucida totius orationis contextae* vs. 19—25.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXIX.

COMMENTATIO
IN
QUAESTIONEM THEOLOGICAM.

INTROITUS.

Fontem errorum in Sacris Literis interpretandis unum omnium uberrimum semper in eo fuisse constat, quod, qui his Literis operam darent viri docti, haud raro adeo non horum sententiam Scriptorum e verbis ipsorum eruere conarentur, ut suam ipsi mentem, conciliatis tamen utcunque cum ea (ni enim fecissent, quis, quaeso, mentem sibi Virorum Divinorum exponi credidisset?) auctoris, quibus usus erat, verbis, in ipsas Literas Sacras inveherent. Quaecunque igitur nugarum deliria, quae quomodo hominibus in mentem venire potuerint, haud injuria mireris; sed omnia tamen, nullo negotio, Divini Codicis auctoritate confirmata reperimus. Non est igitur, quod quaeras, quemadmodum antiqua memoria, ut horum exemplo utar, Gnostici sua opinionum portenta, quae haud temere delirantium appelles somnia hominum, salvis tamen, ut ipsis videbatur, Christianorum nomine ac juribus, tam contumaciter defendere potuerint; quemadmodum his quidem meliores, sed qui in gravissimis tamen erroribus versabantur Platonici philosophi (quales multos e Patribus Ecclesiasticis fuisse constat) ne Literarum quidem Sacrarum praesidium sibi deesse opinarentur; imo tam praeclare iisdem se adjuvari jactarent, ut (quae Clementis Alexandrini vox est) Platonem summo jure Μωσῆν ἀττικίζοντα appelles: quippe philosophus Atticus, Academicorum parens, quam in omnibus cum Hebraeo Mose consentiret, dici vix posset. Neque hi solum, sed omnes omnino, quotquot unquam fuerunt, sectae, a vera Christianae religionis ratione haud raro tam longe distantes, quam a terra sol et reliqua sidera, ad unam tamen omnes (si a paucis quibusdam fanaticis discedas) in Literis Divinis quod satis, et supra quam satis erat, invenerunt, quo opiniones suas defenderent atque tuerentur. Quid, quod ne medii quidem, quod di-

dicitur, aevi barbaries his se destitui putaverit? quod, cum opinionibus Patrum, Conciliorum decretis, Paparum sententiis, Scholasticorum argutiis, divinam fere auctoritatem tribueret, nihilo tamen minus in rebus vel civilibus omnia ad Sacrum Codicem referenda esse, existimaret; quapropter, cum in Francia controversia incideret de eo, utrum solis maribus, an feminis quoque, regnum jure deberetur, difficilem illam, quae videbatur, quaestionem facillime solutam esse accepimus hac una Sacrarum Literarum voce: *lilia non nent!*

Sed, ne hominum nos ineptia ad ludicra deducat; omni igitur dubio carere debet, sanae librorum horum interpretationi maximopere nocuisse perversum istud suas opiniones, vanas haud raro atque futiles, cum Divini Codicis doctrina conjungendi studium; quam proni autem multi sint ad suas sententias, quamquam minus quidem per se absurdas, interdum quoque verissimas, ubivis in Sacras Literas importandas, ad earumque patrocinium omnia fere revocandum, exempla docent interpretum nonnullorum celeberrimorum, quorum aeternitati consecratum est nomen.

Huic autem aliae, eaeque satis multae, causae accesserunt, quae indagandae verae Scriptorum Divinorum sententiae vehementer obfuerunt. Cum enim primis rei Christianae temporibus, omnis, quae quidem ordine disposita literisque mandata esset, desideraretur artis interpretandi disciplina, hujus quidem nonnullas regulas exponere coeperunt Hieronymus atque Augustinus (ne de aliis, parum illis probatis, quidquam dicamus); mox tamen, invalescentibus tetrae cujusdam barbariei tenebris, interpretationi quoque Sacrorum Librorum sempiterna veluti nox offusa videbatur, quam cum paulatim dispulisset literis pariter atque religioni oblata melioris conditionis lux, ut in aliis disciplinis ab aliis, ita in hermeneutica insignis opera collocata fuit a Matthia Flacio Illyrico, qui, cum artis fundamenta praeclare posuisset, paucos tamen habuit, qui, ante Ernestii quidem aetatem, inchoatum aedificium altius exstruere et penitus absolvere conarentur; quae causa fuit, ut multi, nullis rite interpretandi legibus adstricti, imprudenter et temere in hoc munere versati sint. Mox, denuo increbrescente (nam plures recentioribus cum antiquis interpretibus communes causae fuerunt) studio allegoriarum, ingenio serviebant, judicio parum; cumque plurimi linguae, qua Novum Testamentum conscriptum est, ad Hebraeorum illius et interpretum Alexandrinorum consuetudinem magnam partem compositae, veram rationem atque indolem vel ignorarent, vel, quod turpius etiam, negarent et oppugnarent, atque omnia ad dictionis bene Graecae leges exigenda esse praeciperent; aliter accidere non potuit, quin pro vera scriptoris sententia substitueretur ea, quam quisque conjectando singulis locis maxime consentaneam esse arbitraretur. Postremo, (nam plura memorare nihil attinet) ut in locis, maxime difficilioribus, ingens exsisteret discrepantia interpretum, causa effecit haec. Namque viros doctos, nihil, quod quidem probabile esset, ab aliis excogitatum re-

reperientes, nec ipsos quidquam melius invenientes, ut tamen non omnino nihil afferre viderentur, saepe deprehendimus illud secutos esse, quod, etsi interdum ingenii laude ornari mereatur, tamen et linguae rationi aperte repugnet, et cum consilio scriptoris nihil habeat conjunctum.

Quae omnia cum ingentem pepererint diversissimarum, quae in dicta, praesertim obscuriora, habentur, interpretationum numerum; ita tutissime judicium nostrum recturi esse videmur, ut et sermonis, quo scriptor usus est, ratione habita, nec argumentationis continuatione neglecta, simplicitatem sequamur in interpretando, in qua non temere certum indicium veri esse, vulgo statuitur.

Quae hactenus disputavimus, si quo alio, illo certe, qui responsioni nostrae propositus est, locus Epist. Pauli ad Romanos cap. VIII: 19—25. illustrantur et confirmantur, cujus in loci cum incidimus commemorationem, sponte eo deducimur, ut nonnihil de nostro in hac commentatione scribenda conatu dicamus. Loci quidem difficultas, magnus interpretum de eo dissensus, virium nostrarum imbecillitas, alia plura, ab incepto hujuscemodi facile nos cohibere potuerant. Sed quoniam majorum sapientiam in eo quoque admiramur, quod adolescentibus, in singulis literarum generibus operam collocantibus, hac etiam ratione explicandae intelligentiae, doctrinae augendae, omnes ingenii animique vires contendendi, opportunitatem suppeditaverunt, nos quoque sapientiam eorum in nostros usus convertere studuimus; idque eo magis, quia, qua estis, Viri Amplissimi, in condonandis erratis humanitate, nobis quoque ipsis erratorum veniam facile concessum iri, non temere sperabamus. Quare Viros Clarissimos, si quid hisce insit minus probandum, (ne autem multa, metuimus) illud ut imperitae adolescentiae benigne condonent, etiam atque etiam rogamus.

Cum autem *interpretatio* quaeratur *effati Paulini* Rom. VIII: 22. πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν, *ad quam accedat* oportet *brevis et dilucida totius orationis contextae* vs. 19—25, cumque recta, ut effati illius, ita totius hujusce pericopes, intelligentia, unice contineatur recta de vocabulo κτίσις, quo pertineat, sententia, haud temere commentationem nostram ita instituturi esse videmur, ut in *duas partes* tribuamus. In *priore*, breviter memoratis variis, iisque magnam partem levissimis, quae cum hac voce conjunctae sunt, sententiis, ad eas accedemus ponderandas Virorum Doctorum rationes, quae etiamnum probantur a multis, saltem non omni auctoritate carent. Quae omnia efficient hujusce partis *caput prius*. In *posteriore capite* de eo exponemus, quid nobis potissimum hac in re sequendum esse videatur. *Pars altera* interpretationem complectetur totius pericopes a versu 19 ad 25, cui suo loco commode inseretur, opinor, *uberior* versus 22 interpretatio.

PARS PRIOR.

QUO VOCABULUM κτίσις, IN HAC QUIDEM CONTEXTA ORATIONE, PERTINEAT, INQUIRITUR.

CAPUT PRIUS.

ALIORUM DE HAC RE SENTENTIAE AFFERUNTUR, EXPENDUNTUR, DILUUNTUR.

§. 1.

Praecipuae perstringuntur Virorum Doctorum sententiae.

Cum infinita sententiarum, quod ad vocabulum κτίσις attinet, discrepantia, ne commodum ordinem negligamus, omnino requirat, has ut ad certa quaedam veluti genera referamus, genera iterum in subjectas sibi formas distribuamus; nobis quidem aptissima visa est illa ratio, qua omnes, quae huc spectant, Virorum Doctorum sententias, ad *duplex genus* revocemus: *alterum* complectetur eas, quibus vox κτίσις ad naturas refertur *non nisi ratione praeditas*; in *alterum* concludentur illae, quae τὴν κτίσιν, hîc significatam, *multo latius patere* volunt; illi quidem generi hujusce partis caput assignabimus *prius*; *posterius* alteri.

Principio igitur sententiam videamus eorum, qui Paulum hoc loco non nisi cogitantium et intelligentium rerum rationem habuisse statuunt, quorum in ratione ita versabimur dijudicanda, ut, omissis vanis, quae diu explosae sunt, cum significatione vocis κτίσις conjunctis opinionibus dicam, an somniis? quis enim facile sibi persuadeat, mentionem hîc fieri v. g. *angelorum*, sive *bonorum*, sive *malorum*, de qua sententia ejusque patronis vid. *Ontwerp eener volledige geschiedenis van de Godsdienstgevoelens der eerste Christen-eeuwe*, Tom. II. pag. 228. Petr. Curtenius in libro, qui inscribitur: τὰ Παύλου δυσνόητα of *de zwaarste plaatsen der brieven van Paulus* cet. Tom. I. p. 285. Deyling. *Observ. Sacr.* part. 1. obs. 57. §. 5. p. 274.

p. 274. Mosche, *Bijbelvriend*, Tom. II. p. 220. Beausobre, *remarques sur le N. T.* Tom. I. p. 263. nec defuisse, qui *Adamum* imprimis atque *Evam* intelligi vellent, idem docebit Curtenius l. l. p. 286; conf. etiam Tholuck *auslegung des briefes Pauli an die Römer*, p. 285. eorum quoque sententiam memorans, qui *animam*, quae ab Origene aliisque sideribus inesse putabatur (vid. Venema, *Hist. Eccl.* Tom. III. p. 603.) cogitandam esse statuerent; sed his neglectis, eam viam nobis sequendam esse putamus, ut primum dicamus de iis, qui *Judaeos* hîc opinantur commemorari; dein ad illos transeamus, qui *Ethnicos* Pauli animo obversatos esse volunt; tum ad eorum rationem animum adhibeamus, ex qua omnes omnino, *qui religionis expertes sunt Christianae*, sive Judaei sunt origine, sive Ethnici, intelligere oporteat; [praeterea expendamus, num ad *Christianos*, hoc quidem loco, spectare possit nomen κτίσις; postremo videbimus, quid sentiendum sit de iis, qui *universum genus humanum* potissimum cogitandum esse existimant. Multa non nisi strictim attingere necesse erit, cum operam magnopere levaverint Tholuck Flatt, *Auctor anonymus* in Beets, *Christ. Magazijn*, al., quos deinceps suo quemque loco citabimus. In omnibus modestiae, quae adolescentem decet, memores nos praestare studebimus.

§. 2.

Num jure et merito ad Judaeos *referatur vocabulum* κτίσις, *breviter inquiritur.*

Itaque, ut primum quidque videamus; sunt, quibus a verosimilitudine non abhorrere videatur, ut Paulus hac oratione de solis locutus sit *Judaeis*, qui tamen quales intelligi debeant, admodum varium est. Namque alii cogitant Judaeos, *his ipsis, quibus scripta haec epistola est, temporibus aequales;* alii *illos* significari malunt, *qui Christum vivendo antecesserunt;* pars *a Christiana religione alienos;* pars, his exclusis, *eos* tantum existimant κτίσεως vocabulo comprehendi, *qui Christo nomen dederant.*

Antequam vero ad ipsam harum sententiarum expositionem quamvis brevissimam accedere licebit; quod universam hujus rei investigationem continere videtur, oportet teneamus: *primum*, Paulum, in tota hac pericopa, vel, ut accuratius loquamur, in priore ejus parte, agere de iis, quae ad *felicitatem* spectant Christianorum *futuram*, cujus rei argumento sunt verba, cum proxime antecedentia vss. 17, 18, tum ea, quae his ipsis commatibus 19 seqq. comprehenduntur, atque prorsus eodem pertinent: conf. *Scriptor anon. l. l.* Tom. III. p. 269, 270. *deinde* eum, non id sibi propositum habere, quod voluit ille ibid. p. 273 seq., ut *certam* esse eam, quae a Christianis exspectaretur, beatitatem, argumento quodam confirmaret, neque etiam, quod Melanchthoni, Hyperio, Calvino, visum est; *patientiae*, quam non diserte quidem, at tacite tamen, vs. 17. commendaverat, aliquod *exemplum* commemoraret; sed in eo Apostolum versari, ut veluti specimine quodam ostenderet, quam *summe beata* futura sit sectatorum Christi sors, quamque prae ea omnem hujus vitae miseriam nullo loco habere conveniat, ipsa orationis forma ostendit: quippe praepositionis *γὰρ* ea vis est, ut eorum, quae antegressa sunt, rationem reddi, indicio sit, quod recte observatum esse judico a Flatt. in *Vorlesungen über den brief Pauli an die Römer*, p. 230, et Tholuck. l. l. p. 284, 285. qui Chrysostomo quoque hîc secum convenire probavit. Haec quidem postea clarissime apparebunt, opinor; nunc strictim indicavisse suffecerit. Ad rem praesentem veniamus.

Primum igitur fuerunt, qui *pios* Judaeos, *quorum Servatorem antegressa est aetas*, voce *κτίσις* significari putarent, quam sententiam, (si fides habenda est auctori anonymo citato ab J. Th. Elsner. in *Epicrisi ad expositionem loci ad Rom.* VIII: 19—23, inserta *Symbolis liter. Duisbergens.* Tom. I. part. 1. p. 221, 222.) a Blackwallo primum propositam (in *Crit. Sacr. N. T.* p. 314), dein exornatam ab Altmanno, Bernensi Theologo, (in *dissert. sing.* inserta ejus *melet. philol. crit.* part. 2.) postea probatam a Curtenio l. l. p. 291 seqq. tandem, ex parte saltem, nominis sui fama celebravit Jo. Christ. Doederlein in *comment. ad locum Pauli Rom.* VIII: 19—25. quam in *Commentationes Theol.* a se editas susceperunt Velthusen., Kuinoel. et Rupertius, Vol. I. p. 483 sqq. qui tamen Doederleinius in multis nova via incessit. Loqui enim Paulum (vs. 18.) de ingenti, quae sinceris Christianis parata sit, felicitate, qua tamen si, dum nondum potiti erant, multis affligerentur malis, nemini debere hoc mirum videri: quis enim miretur, quod omnibus commune sit (vs. 19—23)? aut quis nesciat, non hoc verae felicitati obstare, ut multa tibi adhuc ad plenam beatitatem deesse sentias, modo animum erigas spe futurorum bonorum (vs. 24, 25.) Itaque vs. 19. (sunt fere verba Doederleinii l. c. p. 490, 491.) vocabulum *κτίσις* spectare ad homines omnes, id est permultos (popularem enim loquendi consuetudinem de *omnibus* affirmare, quod in *pluribus* verum sit), quorum aut historiae conservarentur, aut animum intueri liceret, quique in spem et expectationem beatioris conditionis *ὁμοθυμαδὸν* consentirent. Cum autem Paulus ad *Judaïcos* scripserit Christianos, atque expressae *τῆς κτίσεως* notae, illud quo trahendum sit, aperte designent; qui alii hisce in mentem venire potuerint, nisi illi, quorum, vel antiqua memoria, vel hoc ipso tempore, et fides spectata esset, et beatioris desiderium conditionis in vulgus notum? quorum *universitatem* complecti versum 19. Deinde vss. 20, 21. ad magis *singularia* descendi: superioris aevi pios, hujus vitae aerumnis agitatos, vel, quod praefert Doederlein, Mosaïcae disciplinae severitatis tenuitatisque taedio affectos, non nisi beatioris spe fortunae afflictum malorum sensu animum consolari potuisse. Quid, quod ne posteris quidem, quam patribus, felicioribus esse liceret? Hos enim eodem adhuc, quo majores, laetioris conditionis desiderio teneri (vs. 22). Quocirca nemini admirationi esse possit, si ipsi quoque Christiani, pars illa τῆς κτίσεως longe nobilissima, iisdem vexentur calamitatibus: quid enim causae foret, ut ex communi omnium bonorum sorte exemptos esse oporteat? Et quid est, quod veris eorum commodis obstare videatur? spes enim, futura bona tanquam praecipiens, moestos animos potest dulcissimo solatio perfundere. Sic fere Doederlein; cujus ratio, etsi ingenii laude non debet privari, tamen haud scio an severitate judicii prorsus repudietur. Etenim ne de languore, qui sic in orationem inducitur, quidquam dicamus; tollitur connexio versuum 18 et 19, quam supra unice veram esse diximus, postea autem probabimus, et Paulus, si hoc voluisset, *non tantum nos, sed multos quoque alios praesentis conditionis vehementer taedet;* ut significaret, de iis se loqui, qui a Christianis essent *diversi*, nonne potius dixisset ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία καὶ τῆς κτίσεως vel καὶ αὐτῆς τῆς κτίσεως? cum autem versum 22. ad eosdem spectare manifestum sit, quorum in antecedentibus mentio occurrit: ratio enim affertur antecedentium; inde quis non colligat, discrimen illud, a Doederleinio propositum, constare nullo modo posse? Nec quidquam erat, cur Apostolus tam operose ea probare aggrederetur, quae nullus in dubium revocaret, verbis quidem adeo obscuris, fere ut a nemine intelligi possent? Sed haec quidem latius persequi nihil attinet; persecutus est Anonymus saepius jam citatus in *Christ. Mag.* Tom. IV. p. 89. qui Doederleinii rationem funditus evertisse videtur.

A Doederleinio valde discrepat Findeisenius in *Epist. gratulatoria ad* Führmannum, inserta iisdem *Commentationibus*, Vol. IV. p. 363. et ante hunc Cramer in libro *Verklaring van den brief van P. aan de Rom.* Tom. II. p. 92 seqq. qui Paulum Judaeos *a sacris Christianorum alienos* in mente habuisse putant; quam interpretationem cum a nexu non minus, quam superior illa, abhorreat, et vim verbis inferre videatur, necesse non est, ut data opera confutemus; conf. Anonymus l. l. Tom. IV. p. 77 seqq. Flatt l. l. p. 243, 244. qui cum ibid. p. 241—243. et uberius in *Opusc. Acad.* p. 388 seqq. redarguerit Gockelii sententiam, quam explicuit in Augusti *Theol. monatschrift für das jahr* 1801. Vol. I. p. 51 seqq. hanc quidem nos non morabimur. Retulerat autem Gockelius omnia, a Paulo τῇ κτίσει tributa, ad Christianos, natione Judaeos, *quorum in Palaestina habitandi sedes esset.*

§. 3.

Num Gentiles *intelligi possint*?

Venimus ad perpendendam eorum sententiam, qui vocem *κτίσις* de *gentibus* dici putant, *quae vera Dei cognitione carebant.* Habet sane haec ratio, quibus glorietur, patronos longe celeberrimos, **Lightfootum**, **Hammondum**, **Lockium**, **Semlerum**, alios, citatos a **Wolfio** in *Cur. ad h. l.* Tom. III. p. 147. quibus add. **Ge. Lud. Rhodius** in *dissert. ad h. l.* inserta **Gerdesii** *Miscell. Duisberg.* Tom. II. Fasc. 1. p. 451 — 494, qui tamen Vir Doctus haud scio an verbis copiosior, quam argumentis subtilior, existimari debeat; assensionem tamen sibi conciliavit **Gerdesii**, *Miscellaneorum editoris*; vid. ibid. p. 494. *in nota.*

Neque vero nulla sunt, quibus ejusmodi hujus vocabuli potestas confirmari videatur. Attulit **Lightfootus** in *Hor. Hebr. et Thalm.* ad Marc. XVI: 15. *Oper.* Tom. II. p. 468. quatuor ex Rabbinorum scriptis locos, ubi vocabulum בריות de gentibus usurpatur, quae verum Deum non cognoscerent, quibus testimoniis alia adjecit **Rhodius** l. c. p. 481, 482. Sed, uti magnam hoc genus cautionem habere, recte ostendit **Ernesti** in *Instit. interp.* N. T. Part. 3. Cap. 8. §. 7. p. 517. vid. quoque **Moshem.** excitatus a **Cramero** l. l. Part. 2. p. 85. atque usus loquendi Rabbinorum consulendus videtur, nisi ubi, neque Graecae, neque Hebraïcae, veteris linguae scientia suppeditet, per quod sensus commodus et contextui aptus reperiri possit vid. **Ernesti** l. l. ita, ut maxime hoc loco Rabbinici sermonis rationem habere liceat, tamen ex eo nihil quidquam, quod quidem ad hanc inquisitionem pertinet, effici posse videtur. Quid enim? Ipse **Lightfootus**, nonne exemplis allatis probavit, eosdem Rabbinos eodem vocabulo non raro uti de *universis hominibus*, vel, quod eodem redit, *de universo genere humano?* vid. *Oper.* l. l. p. 468 add. **Deyling** l. c. p. 266, 267, quapropter, nisi expressa reperiuntur in oratione Paulina indicia, quae *solos Gentiles*, Judaeis exclusis, intelligi ostendant, prorsus eodem jure *omnes omnino homines* seu *universum genus humanum* interpretatione nostra complecti poterimus.

Sed ex ipsis quoque Sacris Literis testimonia depromunt, quibus evidenter probetur, illud, *ἡ κτίσις*, praesertim si addita est vox *πᾶσα*, nullos alios indicare, nisi *gentiles*, et hos quidem *solos.* Quid enim Servator, a discipulis jamjam discessurus? *κηρύξατε*, inquit, *τὸ Εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει* vid. Marc. XVI: 15. quorum verborum eam rationem esse, ut palam sit, nomen *κτίσις* ad *Gentiles* referri; quippe Matthaeum, in loco, illi apud Marcum prorsus respondenti, posuisse: *πάντα τὰ ἔθνη* (*μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη*) quae vox, *ἔθνη*, eos ipsos indicet, quos V. T. Scriptores גוים i. e. *populos germana divini nunimis notitia non imbutos*, appellare consueverint.

Sed, ut posterius hoc libenter largimur, ita, quod de loco Matthaei dicitur, non una de causa reprehensione dignum esse videtur. Hoc enim Euangelista si cogitavisset, quidni potius *μαθητεύσατε τὰ ἔθνη* dixisset, quam *πάντα τὰ ἔθνη*? (conf. Act. XXII: 21. ubi Jesus per visionem Paulo: *πορεύου*, inquit, *ὅτι ἐγὼ εἰς ἔθνη μακρὰν ἐξαποστελῶ σε*) perinde ac si ex his jam nonnulli populi in Christi se disciplinam contulissent; quod si vel nimiam argutiam redolere videatur, verba tamen Marci, itemque Matthaei, non ad *solos* posse Gentiles revocari, sed ad *quosvis* pertinere, *cujuscunque* tandem sint *gentis atque nationis*, homines; facile docere poterit collatio Lucae, qui Euang. XXIV: 27. ita habet: *καὶ* (*οὕτως ἔδει*: nam haec debent ex superioribus hisce adjici, seu, ut vult Kuinoel, *οὕτω δεῖ*) *κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν — εἰς πάντα τὰ ἔθνη, ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ*, ubi planum est, in *πάντων τῶν ἐθνῶν* numero reponi *Judaeos* non minus, quam alienigenas. conf. Act. I: 8. qui locus citatur a Kuinoelio. Recte igitur idem verba *πάσῃ τῇ κτίσει* explicat *omnis generis hominibus*, secutus in eo, ut alios interpretes, ita imprimis Bezam atque Elsnerum. conf. brevi post §. 6.

Cum loco Marci frequenter confertur alter ex Ep. ad Colloss. I: 23, ubi Paulus Euangelium dicit annuntiatum esse *ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν*, quae tamen haud scio an male eodem trahantur, cum possint, pariter atque vidimus in loco Marci rem sese habere, *totam* complecti *hominum universitatem*, quam interpretationem magis etiam probabilem reddunt ea, quae continuo subjuncta sunt: *τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν*, quae non tam *illustrandi* causa (quid enim dictionem per se satis claram attineat illustrare?) apposita esse videntur, sed ut fines hujus *κτίσεως* quam latissime fieri posset, proferrentur. Conf. Act. II: 5. et IV: 12, quae loca eam his verbis vim inesse ostendunt, ut Latine fere sonent: *qua late patet terrarum orbis, sub quacunque coeli plaga*, unde non sine veri specie colligimus, in loco ad Coloss. laudato non *Gentiles*, sed *quoscunque homines* memorari. conf. iterum Luc. XXIV: 27; nec quidquam obstare videtur comma 27, ubi vox *κτίσις* vulgo permutari putatur cum altero *ἔθνη*; vid. Noesselt in *Opusc. ad interp. Sacr. Script.* Fasc. 1. p. 124. nam quamquam permutari videtur, tamen non vera permutatio est: cum enim maximam *τῆς κτίσεως*, quam brevi ante Paulus memoraverat, partem *Gentiles* efficerent, quidni illi hoc loco *disertis verbis* appellarentur, praesertim cum eos, magis etiam, quam Judaeos, quos semper singulari institutione ornaverat Summum Numen, ad grati animi laudes Deo afferendas compellere deberet infinita ejus in concedendo sibi quoque eodem beneficio benignitas.

Major, quam commati 27, cum 23 similitudo intercedere videtur versui hujus cap. sexto, quem Grotius quoque ad sect. 23 citavit. Ut enim vs. 23. Euangelium dicitur *κηρυχθῆναι ἐν πάσῃ τῇ κτίσει*, sic idem vs. 6. dicitur *παρεῖναι ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ*, Vocabulum *κόσμος* (de quo vid. Valckenar. in *Schol.* Tom. II. p. 91 et 92. Suicer.

Thes. Eccles. h. v. Tom. II. p. 149 seqq. in N. F., cujus quippe auctores Hebraeo-Graecum dicendi genus sequuntur, non parum recedit a bene Graece loquentium consuetudine. Ut enim *κόσμος* per *synecdochen totius* pro *parte* non raro dicitur pro *γῆ orbis terrarum* vel *οἰκουμένη* i. e. *ea* hujus telluris *pars*, *quae ab hominibus incolitur;* ita per *metonymiam continentis* pro *contento* saepissime usurpatur ad significandum *universum genus humanum*, quod in *terra* sedes habet. Vid. Joh. I: 29. III: 16, 17. IV: 42. VI: 33 et alibi saepe, praesertim apud Johannem, cui hoc in more est positum; quamquam nec reliquis N. T. auctoribus insolitum esse, ut *κόσμου* vocabulo totam hominum universitatem indicent, argumento sunt loca Matth. V: 14. XIII: 38. XVIII: 7. Rom. III: 6 et 19. V: 19 al. Cum vero Judaei reliquas gentes omnes alto supercilio despicerent, atque se, quibus, Abrahamo oriundis, Deus ipse Rex praeesset et gubernator, e ceterorum populorum numero eximerent, eosque prae se nullos esse putarent; haec igitur superba gens ceteras nationes a Deo contemtas simpliciter *ἔθνη* vel et *κόσμον* appellare solebat (vid. Noesselt l. l. p. 125.) cujus consuetudinis certa in N. F. libris testimonia exstant; veluti Rom. XI: 12. ubi verbis *πλοῦτος κόσμου* respondent illa *πλοῦτος ἐθνῶν*; quae vis tamen his vocibus non *per se* inest, sed *ex singulari oritur hujus loci ratione.* Hîc autem, in Ep. ad Col., non *Ethnicos* tantum commemorari, sed *totam intelligi gentium universitatem*, cujus tamen *partem* longe *maximam* efficerent *Gentiles*, tum rei ratio argumento esse videtur: nam cum antea *paucis* tantum hujus orbis incolis contigisset veri Dei vera cognitio, ab hoc inde tempore, quae praeclara erat Summi Numinis benignitas, *quilibet* homines illustri illo beneficio inceperant ornari; tum declarat, opinor, additum illud *παντὶ*, quod, si solos Gentiles cogitasset Paulus, minus necessarium foret, et a vulgari illius ratione abhorreret, utpote qui gentiles *κόσμου* vocabulo appellans, nusquam, quod quidem sciam, adjicere soleat voculam *πᾶς* i. e. *ὅλος* vid. Glassius in *Philol. Sacr.* p. 161—163. ed. Dathii, quod scriptum invenitur Rom. I: 8. qui locus nostro ad Col. lucem adhibere posse videtur: nam ibi quoque haec dictio spectat non ad *solos gentiles*, sed ad *quoscunque*, in *quibuslibet* oris versantes, homines. conf. quoque Matth. XXVI: 13. atque Marc. XIV: 9. ubi occurrunt haec: *ἄπου ἐὰν κηρυχθῇ τὸ Εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ* vid. et ibid. cap. XVI: 15. quo in loco verba *κηρύξατε τὸ Εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει* de *quibusvis* hominibus capienda esse, quod supra nobis jam confirmavisse videmur, etiam id ostendit, quod antecedentia illa: *πορευθέντες εἰς κόσμον ἅπαντα*, ad eosdem omnino pertinent.

Ex omnibus, quae disseruimus, manifesto putamus elucere in scriptis, ut N. T., ita ne Rabbinorum quidem, vocabulum *κτίσις per se* significare *Gentiles;* sicubi tamen de his solis vox *κτίσις* usurpata occurrit, illud non nisi e contexta oratione colligi posse. Quare nunc quidem investigandum erat, cujusmodi ea sint, quae in loco ad Rom. *τῇ κτίσει* attribuerit scriptor; quale consilium, quod in omni hac oratione secutus sit; quae antecedant, quae consequantur; sed haec omnia postea adhuc, data occasione, attingentur; nunc non nisi brevissime percurrere licebit.

1. Et *primum* quidem, quomodo tandem Paulus illis, quae modo scripserat de futura vere Christianorum in altera vita felicitate, continuo subjungere, et *comprobandi* quidem causa, subjungere possit ea, quae ad laetiorem, (nam sic illi volunt) quae mox exortura esset, rerum Christianarum in his terris conditionem spectarent; (quae sententia fuit Hammondi in *Paraphrasi*, graviter de hac re castigati a Clerico, Semleri in *Paraphrasi* hujus Ep. p. 100 seqq. et doct. Brouweri in libro postea laudando) hoc igitur quale sit, nos quidem non assequimur. Putant quidem Viri Docti proxime antecedentia quoque eodem pertinere; num optimo jure, postea videbimus.

2. *Deinde* ex eadem illa interpretatione verba *ματαιότης* et *δουλεία τῆς φθορᾶς* referri debebunt ad *cultum fictorum Deorum*, in quo usque ad illud tempus *inviti* (quod quemadmodum cum hujus Epist. cap. I. 21 seqq. concilietur, aegre expedias) perseverabant gentiles, illa spe erecti, fore aliquando, ut his tamquam vinculis abjectis, publice filiorum Dei dignitatem sustinere liceat. Sed vocabula *ματαιότης* et *δουλεία τῆς φθορᾶς* plane alio spectare; felicitatem (*δόξαν*) illam, quae hic memoratur, ejusmodi esse, ut cum hoc rerum humanarum statu nihil habeat conjunctam; repugnare huic sententiae versus 23 et 24, haec igitur omnia totius hujusce pericopes interpretatio facile, credo, ostendet. Conf. Flatt in *Vorl.* p. 243, 244.

Paucis nunc dicendum restat de iis, qui non Gentiles *universe*, sed ex his tantum eos animo Pauli obversatos esse putant, qui *Christo erant conciliati*, quam sententiam nisi Clerici commendaverat (in *animadvers.* ad Hammondi *paraphr. N. T.* Tom. II. p. 42) et Noesselti (in *commentatione ad h. l.* l. c. p. 115 seqq.) auctoritas, tuto mitteremus; nunc breviter videamus.

Cum ea, quae supra de hac re disputavimus, palam faciant, vocem *κτίσις* nullo jure ad *Gentiles* revocari, sequitur, ne *Christianos* quidem e *Gentilibus* cogitari h. l. posse; quod si vel concederetur, tamen huic interpretationi alia obstarent, et ea quidem satis gravia.

Judaeos, circumcisione ab omnibus aliis gentibus distinctos, eique ritui mirum quantum tribuentes, in N. T. crebro *περιτομῆς* nomine appellatos invenias; Christiani tamen ea natione oriundi, dicuntur illi quidem *οἱ ἐκ περιτομῆς* (vid. Act. XI: 2. Gal. II: 12. Tit. I: 10) vel *οἱ ἐκ περιτομῆς πιστοὶ* (Act. X: 45) *περιτομὴ* simpliciter nusquam. Quidni igitur Paulus hoc loco, *κτίσις* si significaret *Gentiles*, ad eandem rationem *οἱ ἐκ κτίσεως* scripsisset: nam in loco certe ad Rom. XI: 13. *ὑμῖν λέγω τοῖς ἔθνεσιν* nihil est, quo causa haec labefactetur: promtus enim sensus est: *dico vobis, qui (origine) estis gentiles.*

Ut autem usu loquendi prorsus refelli videtur Clerici atque Noesselti ratio, ita nihil habet, quod cum consilio Pauli ullo modo sit conjuctum. Etenim quo jure Apostolus e communi Christianorum, qui antea Gentiles fuerant, futurae felicitatis exspectatione, hujus felicitatis colligere magnitudinem posset? in exploranda autem eorum sententia, qui *κτίσις* de universo Christianorum numero dictum esse opinantur, videbimus, hunc locum ita esse comparatum, ut non possint *Christiani* intelligi, sed debeant cogitari alia, ab his penitus diversa; quare nunc plura mittimus.

§. 4.

Expenditur sententia eorum, qui omnes, quibus non erat cum Christianis Sacrorum communitas, *cum* Judaeos, *tum* Gentiles, *intelligendos esse statuunt.*

Sequitur, dicamus de iis, qui vocem *κτίσις* referendam esse putant ad *omnes, qui Christo nondum se sectatores adjunxerant*, veluti existimavit Langius in libro, qui inscribitur *zur beförderung des nützlichen gebrauches des Tellerischen Wörterbuchs des Neuen Testaments* Tom. I. p. 175 seqq. ed. 2. Grimm in *comment. de vi vocabuli κτίσις*, Rom. VIII: 19 seqq. *quo simul locus iste Paulinus explanatur*, et ante hos Wetstenius, cujus haec verba sunt: « genus humanum dividitur in eos, qui jam Christo nomen dederant, quique *primitiae* vocantur hîc (vs. 23) et in Jacobi Ep. cap. I: 18; et reliquos, qui nondum Christo nomen dederant, qui vocantur *creatura* Marc. XVI: 11. Et Judaei sentiunt onus legis suae, et gentes reliquae tenebras suas palpant, praedicatione Euangelii tanquam e somno excitatae; illi expectant mutationem in hac vita, quae continget, si ad Christum accesserint; nos vero in altera vita." Sed verba *τῇ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη — ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ κ. τ. ἑ.* omnino excludere ejusmodi interpretationem, qua *κτίσις* pertineat ad omnes, qui nondum in Christianorum se familiam contulerant, vel sola ostendat collatio Wetstenianae rationis cum ea, quam Grimmius proposuit. Wetstenius enim cum has voces ad fortunatiorem rerum in hac vita conditionem revocavisset; quippe haerens in eo, quomodo tandem *ἡ κτίσις*, quam quidem ille cogitabat, tam certo sperare possit ea bona, quae Christianis in vita demum altera obtingent; Grimmius, verbis istud Paulinis prorsus contrarium esse videns, ut hoc incommodum vitaretur, aliam viam ingressus est, qua incedens, ipse non leviore implicitus esse videtur errore: nam, quae et evidens verborum potestas est, de *futura* quidem Christianorum *beatitate* ille hîc agi arbitratur, et hactenus quidem bene; cum tamen spem illam non *certam* dici posse facile intelligeret, hanc interpretationem ne abjicere cogeretur,

tur, aliud amplexus est: defendit enim, spem significari non firmam certamque, sed quam excitaret gravium dolorum molestia atque sensus; quod ipsum illud erat, quo Wetstenius, ut aliam rationem iniret, fuerat commotus: probe enim animadverterat vir perspicacissimus, spem hîc memorari *ab omni dubitatione remotam;* quae vis inest verbo ἀπεκδέχεσθαι: hoc enim non simpliciter est *sperare*, sed *expectare*, quod non nisi de rebus dicitur iis, quarum satis firma nobis allata spes est. Cum igitur omnino cogitentur a scriptore bona *ejusmodi*, *quae* quis *temere in hac vita* exspectet, cumque spes in illis reposita, *stabilis* sit *firmaque*, qualis τῇ κτίσει, siquidem ita accipias, tribui nullo modo potest; non temere nobis efficere videmur, hanc quoque interpretationem omni fere probabilitate carere.

De usu loquendi non est fere, quod moneamus; hoc tamen tenendum. Namque Viri Docti hac fere argumentatione secum usi esse videntur: vocabulum κτίσις magna ex parte convenit cum altero κόσμος; jam, ut κόσμος i. e. ut brevi ante vidimus, *hujus orbis incolae*, crebro dicitur de *iis*, *qui beneficio carent Religionis Christianae* (vid. Schleusner in *Lex. h. v.*); ita κτίσις videtur eodem jure ad eosdem potuisse referri: usurpatur enim interdum de *universo genere humano;* quare quis dubitet, quin per synecdochen de *maxima* dici possit hujus generis *parte*, id est, *de iis*, *qui non sunt Christiani?* Sed haec ratiocinatio nobis quidem in vitio esse videtur. In pervestigando enim usu loquendi ante omnia oportet videre, quid certis constet scriptorum testimoniis; siquid autem sat firma auctoritate stabilitum invenerimus, tum vero inquirendum est, quomodo homines, humanam cogitandi et loquendi rationem secuti, in eam consuetudinem venire potuerint. Veluti, vocabulum κόσμος certum est, dici saepe de *iis*, *qui ad societatem non pertinent Christianorum*, cumque hoc dubio vacet, apertis declarantibus, quae in N. F. scriptionibus exstant, indiciis, diligentis grammatici est investigare, qua ratione ita dici potuerit. Quapropter vocabulum κτίσις, si testatum est, multis vel nonnullis duntaxat in locis, ita, ut volunt Viri Docti, usurpari, comparata voce κόσμος, facile assequimur, qua via illa ratio dicendi invalescere potuerit. Verum testimonia prorsus desunt; deesse autem vix possunt, cum in N. T. valde frequens sit mentio eorum, quorum de pluribus Diis opinio erat; ex quo quis non sponte sua colligat, temere hîc a vulgari ratione discedi? Loca enim Marc. XVI: 15. Coll. I: 23, quae in hanc partem traxit Wetstenius, alius generis esse, planum est comparantibus Marc. XVI: 15. cum Matth. XXVIII: 19. conf. quae diximus §. 3. et Flatt in *Vorles.* p. 245. Neque vero minore probabilitatis specie possit contendi, vocabulum γῇ, quod scilicet per *metonymiam continentis* pro *re contenta* dicatur de *hominibus has terras tenentibus*, usurpari quoque ad significandos *eos*, *quibus nulla cum Christianis intercedit Sacrorum societas.* Denique, si res ita haberet, sequeretur, omnia omnino vocabula, quae quidem, nativam (*originalem*) si vim spectas, accurate consentiunt, in omnibus omnino linguis eodem modo accipi debere; quod nemo facile contendat. conf. **Ernesti** in *Inst. interp. N. T.* Part. 1. Sect. 1. Cap. 1. §. 4. p. 17. Sect. 2. Cap. 1. §. 1. p. 56 ibique nota **Ammonii.** add. **Morus** l. l. Tom. I. p. 34. conf. ibid. p. 74, 75.

§. 5.

Alia affertur, eaque non ignobilis, loci hujus interpretatio, qua κτίσις *dictum esse accipitur de* hominibus Christianis.

Quae cum viderent viri Literarum peritia Sacrarum insignes, nullos alios a Paulo indicatos esse putarunt, nisi ipsos *Christianos.* Huc pertinent **Socinus**, **Crellius**, **Przipcovius**, **Vorstius**, **Schlictingius**, et universe illi, qui Socinianam rationem secuti sunt; qui tamen haud scio an magis studio sectae suae vindicandae, quam probabilitate rei, in hanc opinionem adducti esse videantur; **Socinus** certe (qui, quantum equidem reperire potui, primus, eam, quam mox aperiemus, rationem, ut ingenio valebat, excogitavisse videtur) quam captiosas secutus sit, defendendae opinionis suae causa, argutias, continuo apparet ipsum legenti. vid. ejus *Responsio ad defensionem* **Franc. Puccii** *in Biblioth. Fratr. Polon. Oper.* **Socini**, Tom. II. p. 313 seqq., ut facile sentias, non liberum ac praejudicatis opinionibus solutum judicium proferri, sed hominis suae opinioni uni omnia tribuentis, eludendique adversarii studio vehementer inflammati (1). De reliquis idem ego non affirmem, quamquam hos quoque, ne aliter sentirent, impedire potuit commune illud sectae suae decretum. Postea et aliis placuit haec interpretatio, quibus nihil cum illis commune fuit, in his **Schleusnero**, et nuper Ven. D. H. **Wildschut**, V. D. M. Am-

---

(1) Igitur, ut alibi, ita hic quoque, valde prodest, singularum de singulis locis sententiarum causas tenere, atque auctores, unde interpretatio quaeque fluxerit, bene nosse. Veluti **Socinus**, quod ipse in disputatione cum **Puccio** fatetur (conf. **Venema**, *Hist. Eccl.* Tom. VII. p. 504.) perexigua erat Hebraeae Graecaeque linguae peritia; qua si quis caret, quomodo tandem subtilis Scrarum Literarum interpretis fungi munere possit? Et, quod omnium gravissimum est, cum ipse statueret, homines a Deo ita esse conditos, ut non tantum natura sua mortales essent, sed, si vel numquam peccavissent, tamen mortis necessitati aliquando succumberent; adversariis, in his **Puccio**, urgentibus, τὴν κτίσιν i. e. rerum naturam, cujus partem *homo* efficiat, *invitam* h. e. praeter ordinem a Deo constitutum, τῇ φθορᾷ a Paulo subjectam esse dici, ut ne homines quidem, nisi alia causa hoc fieri coëgisset, relapsuri ad interitum fuissent; **Socinus** hanc difficultatem eludere potius, quam diluere ac solvere conatus, aliam hunc locum interpretandi viam ingressus est, in quam non ejus, quod verum esset, reperiendi studio adductum, sed prava cupiditate delatum esse, manifesto apparet. Quamobrem necesse est videre, forte fortuna in illud, quod probabile esset, inciderit; an contra, quae facilis suspicio est, severitate judicii ingenii et conjecturae levitas convincatur. Conf. **Placaeus** *Op.* Tom. II. p. 321.

Amstelodamensi, qui suam sententiam, perspicue illustratam, docte et eleganter commendare conatus est in diario *Nieuw Christelijk Maandschrift*, II Deel, N°. 6. *Bijlage* p. 18 seqq.

Ad *Christianos*, quorum vi divina ad Christianae Religionis praecepta conformatus esset animus, a Paulo *καινῆς κτίσεως* vocabulum nonnunquam accommodatum esse, nemo est, qui ignoret. vid. Gal. VI: 15. 2 Cor. V: 17. De appellationis ratione h. l. exponere nihil attinet; exposuit copiose et erudite Borgerus ad Gal. VI: 15. Koppius in *Comment.*, atque ipse Wildschut l. l. p. 20.

Cum igitur (nam haec brevis Viri Doctissimi argumentatio est) Paulo non inusitatum fuerit, ut hoc vocabulo Christianos significaret, posse nemini mirum videri, si et h. l. eandem illam consuetudinem secutus sit, quae, ut usu loquendi omnino probetur, ita insignem commendationem habeat a consilio scriptoris sententiarumque continuatione. Sed (quod justa dictum sit, quae in hac re nos decet, modestia) ut ipse sibi occursum iri facile perspexit vir acutissimus; ubicunque *Christiani* hoc modo appellantur, *semper voci κτίσις aliquod vocabulum adjicitur*, quo illa, quae ibi intelligitur *κτίσις*, accurate indicetur, et ab omnibus reliquis *κτίσεως* veluti formis disjungatur; ne locis quidem Apoc. III: 14. Jac. I: 18. exceptis: nam, si vel maxime in his quoque eadem sit, quae in Paulinis illis, loquendi ratio; nihilo tamen minus addita vox Θεοῦ, quae acuta observatio est B. Aretii ad l. l. Apoc., signo erit, *ejusmodi* intelligi *κτίσιν*, *cujus eximie Deus parens* dici mereatur.

Qui vocabulum *καινὴ* nomini *κτίσις*, si quidem ad *Christianos* spectare possit, omnino adjiciendum esse existiment, (existimare autem videtur, aliqua duntaxat ex parte, Flatt in *Vorles.* p. 241.); hos quidem satis confutavit Doctissimi Viri peritia; et quis inficietur, ut Christiani Eph. II: 10. dicuntur *ποίημα αὐτοῦ* i. e. Θεοῦ, ita et eodem modo appellari potuisse *κτίσμα* vel *κτίσιν* Θεοῦ? Verum enim vero omnem posse abesse distinctionis notam, ut Christiani simpliciter nominentur *ἡ κτίσις*, hoc quidem nobis a verosimilitudine prorsus abhorrere videtur. Quid enim? nonne aliquo, quocunque tandem, ab ea, quae *proprie* diceretur, hanc alteram eamque *figuratam κτίσιν* indicio distinguere necesse erat, quo neglecto, non poterat non vehementer ambigua oratio reddi? Sit sane, ut iis, ad quos Paulus hanc Epistolam scripsit, cognita vis fuerit phraseos *καινὴ κτίσις*, ut cognitam fuisse probabile est (nam Abrahamum v. g., ab idololatria ad unius verique Dei agnitionem et cultum conversum, a Judaeis nomine בריה חדשה appellari solere, docent Koppius et Borger ad Gal. l. l.) tamen non potuit ab iis simplex *κτίσις* eodem modo accipi. Nam, ut in phrasi *καινὴ κτίσις* figuratae dictionis indicium inest in addito illo *καινὴ*, ita hîc nihil prorsus adjectum est, quo figuratam dictionem esse agnoscas. Neque ulla ex ullis vel Paulinis vel reliquis N. F. scriptionibus depromi testimonia possunt, quibus ea vis simpliciter posito nomini *κτίσις* satis quidem probabiliter vindicetur; ex quo colligimus, nullo jure eam in loco ad Rom. huic voci adscribi; cumque prudentis scriptoris sit ad vulgarem loquendi consuetudinem se accommodare; ambiguitatem autem, quoad ejus fieri potest, omnem evitare, nobis quidem a prudentia Pauli valde aliena esse videtur tanta in scribendo ambiguitas.

Sed et hoc tenendum (leges interpretandi ipse mihi praescribo, non aliis, rite eas callentibus); appellatio κτίσις, ad Christianos relata, sine dubio non est ex *propriis*: est e *figuratis*, et, ut propria appellatione ubivis uti licet, ita figurata non item, nisi haec rei imposita fuerit proprio nomine carenti, vel usus loquendi proprii ipsi nominis potestatem tribuerit, conf. Ernesti l. l. P. 1. S. 1. C. 2. §. 6. p. 37. Neutrum in vocabulo κτίσις, sic quidem accepto, accidere potuit; illud enim ut nemo facile contendat, ita hoc si cui probaretur, satis illum confutarent libri N. T., in quibus proprio quidem ἀδελφῶν, πιστῶν, ἁγίων, μαθητῶν, nomine dicuntur Christiani; κτίσεως nunquam: nam si proprii nominis haec appellatio vim obtinuisset, qui fieret, ut, cum crebro ibi Christiani memorentur, tamen illi nusquam simpliciter κτίσεως nomine appellentur? Itaque nulla quidem major, quam figuratae dictionis, (siquidem ad Christianos refertur) tribui ei potest in his literis potestas. Jam figuratae dictionis ea vis est, ut semper apta debeat esse ad id, de quo agitur. Sic, ut hoc utar, aptissime Paulus Eph. V: 8. ad Christianos ἦτε γάρ ποτε σκότος, inquit, νῦν δὲ φῶς ἐν Κυρίῳ; et propterea quidem aptissime, quoniam de nefariis gentilium sceleribus locutus erat, quae horrendas arguerent ignorantiae *tenebras*, quibus liberatos Christianos ad divinorum mandatorum *lucem* vitam pie et sancte componere oporteret. Eadem imagine lucis usus quoque est in loco 1 Thess. V: 4, utpote ubi de eadem re loquitur. conf. Rom. XIII: 12, 13. Sed quis Paulum ullo modo excusari posse putet si in aliis quoque locis, ubi non de pristina Christianorum ignorantia, et cum hac conjuncta nequitia ageretur, tamen eandem lucis tenebrarumque imaginem secutus esset?

Aliud exemplum afferam. In loco Phil. III: 3. περιτομῆς nomen ad Christianos refertur: ἡμεῖς, inquit, ἔσμεν ἡ περιτομή, quo etiam pertinent loca Rom. II: 29. Coll. II: 11, quae testantur, nostro, ubi de ea, quam ibi tractat, re disserit, non insolitum fuisse ejusmodi dictione uti. Verum si ex his ita a me ratio concluderetur: περιτομῆς nomen in promptu est loco Phil. III: 3. al. ad *Christianos* spectare, quare et loco ad Rom. VIII: 19. pro κτίσεως vocabulo non minus bene auctor posuisset περιτομή, vel, si hoc nimis ambiguum, περιτομὴ ἀχειροποίητος; (ἡ ἀποκαραδοκία τῆς περιτομῆς ἀχειροποιήτου ἀπεκδέχεται) non defuturos esse, credo, a quibus graviter castigarer. Quid enim? dicerent illi. Nomen tu in hunc locum plane alienum infers: in iis enim, quos modo citavisti, locis scriptor dedita opera disputat de τῇ περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ, quam vocat, sive ἐν πνεύματι, opposita illa τῇ περιτομῇ χειροποιήτῳ vel ἐν σαρκὶ, cujus rei hîc ne umbra quidem apparet.

Quae omnia argumento sunt in manifesto vitio videri esse interpretationem eam, qua *κτίσις* ad Christianos trahatur: cum enim hîc nihil quidquam memoretur de insigni illa animi vitaeque immutatione, cujus ratione habita Christiani improprio hoc nomine interdum, quamquam addita, ut brevi ante vidimus, alia quadam voce, a Paulo dicebantur; profecto omnem loquendi usum neglexisset, si huic loco nullo modo aptam dicendi rationem adhibuisset.

Et haec quidem de *usu loquendi;* videamus, num magis faveat *ratio contexta.*

Hîc primum admirationem habet illud, quod legitur vs. 19: *ἡ κτίσις ἀπεκδέχεται τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ*, cujus dictionis is color est, ut dicas, *τοὺς υἱοὺς τοῦ Θεοῦ* omnino alios esse, atque *τὴν κσίσιν*; cum tamen hi ipsi, iique soli, *τῆς κτίσεως*, efficere debeant universitatem; quod quia constanti lege loquendi refutari videtur, non potest *κτίσις* de Christianis accipi.

Eam consuetudinem Hebraeorum esse (ad quam, teste Tholuckio, l. l. p. 283. provocavit jam Augustin. *Quaest. 57.*) ut pro relativo pronomine ipsum ponant nomen, res satis nota est, et infinito exemplorum numero constat. Vid. Glassius l. l. p. 150—152. Gesenius *lehrgebaüde der Hebr. sprache* §. 196. n. 4. p. 741. Sed est ea e summa Hebraeae linguae simplicitate derivata, quemadmodum infantibus quoque, cum primum loqui incipiunt, ut omnibus gentibus, quarum minus exculta lingua est, idem videmus in usu esse solere; cum in N. T., in quo non tam quidem puerilis, (nam sic dicere liceat) quam in multis antiquiorum Hebraeorum libris orationis simplicitas inest (2) (conf. Winer, *grammatik des Neutestamentlichen sprachidioms*, p. 24. ed. 2.) multum abest, ut tam frequentia sint hujus rei exempla. Sunt tamen omnino. vid. Glassius l. l. (quem male tamen huc revocavisse locum Joh. IV: 1, bene ostendit Winer l. l. p. 62.) conf. Rom. III: 25. IV: 12. 1 Cor. I: 30. 1 Thess. III: 12, 13. 2 Thess. I: 7, 8. III: 5. 1 Petr. III: 1. 1 Jo. III: 2. Verum id ad nostrum locum nihil quidquam pertinet. Nam, ut de puerili illa simplicittae nihil dicam, quam non posse libris N. T. adscribi modo vidimus; vel propterea loco pronominis nomen ipsum scriptum est, quia, quod priore loco positum erat nomen, satis longo intervallo distabat; quae res esse videtur v. g. in locis Rom. III: 25. 1 Thess. III: 12, 13. (conf. Jer. XVIII: 4. XX: 1, 2. 2 Reg. XXIV: 2.) quamvis haec quoque ad alterum genus, de quo mox videbimus, referri possint; vel idcirco haec permutatio facta est, quoniam nomen multo majorem habebat gravitatem

---

(2) Paulo v. g. non illud simplicitatis genus usitatum esse, quod in V. T. libris reperitur, argumento sunt illa dicta, quae ex his memoriter citavit, in quibus quamquam Hebraïca dicendi ratio facile agnoscitur, tamen haec proprius ad Graecismum accedit. Exemplo sit testimonium, quod loco ad Rom. XI: 3. petitur e 1 Reg. XIX: 10, ubi non tantum pro *μονώτατος*, quod in Alexandrina versione legitur, et minus bene Graecum est, substituit *μόνος*, verum etiam supervacanea illa, *λαβεῖν αὐτήν*, verbis *ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου* ex Hebraeorum more adjecta, penitus neglexit. Conf. ibid. vs. 4. cum 1 Reg. XIX: 18. e Graeca interpretatione.

tem et insignem quendam verecundiae sensum, quod multis cum V. tum N. T. locis confirmari possit; veluti Job. XXXI: 6. Jes. XLV: 25. coll. vs. 23. Dan. IX: 17. coll. vs. 19. Hos. I: 2, 7. Joël. II: 14, III: 21. Amos. VI: 8. Mal. III: 16. et forsan huc quoque pertinent nonnulla in libris maxime Regum et Chronicorum, ubi crebro nomen v. c. Salomonis, pronominis locum tenet; vid. 1 Reg. VIII: 1. IX: 1, 2. XII: 21. 2 Reg. XVIII: 16. add. Dan. III: 3. V: 2; e N. T. conf. Rom. XIV: 11. 1 Cor. I: 21. 1 Jo. III: 2. denique hic modus loquendi interdum originem habet a formulis, in quibus cum constanter aliquod vocabulum usurparetur, ne tum quidem, cum ipsum illud vocabulum proxime erat praemissum, facile poterat omitti. Huc referam loca Job. I: 8. II: 3. 2 Chron. XXXIV: 20. 2 Thess. I: 7, 8. Quae cum ita sint, atque hujusmodi dictionis usus semper ab aliqua causa oriatur, non profecto injuria quaeras, quae huic nostro loco adhibendi causa fuerit; quae quia nulla afferri posse videtur, haud scio an levis suspicio sit eorum, qui Paulum nulla causa nomen cum pronomine commutavisse opinantur. Sed sit sane, ut interdum rudem illam in loquendo simplicitatem secutus fuerit; tamen exempla prorsus desunt similium formularum, in quibus quod in pronomen converti possit nomen, quamvis eodem refertur, quo id, quod subjecti locum tenet, tamen ita sit ab illo diversum, ut hoc loco nomen *κτίσεως* ab *υἱῶν Θεοῦ* appellatione diversum esse videmus. Et in promptu causa est. Nam, quod ex infantum loquendi more discimus, cum simplicitatis causa pro pronomine ipsum dicatur nomen, profecto omnis illa simplicitas in ambiguitatem abiret maximam, si vocabulum, vi et significatione penitus diversum, sed eodem tamen pertinens, posteriore loco collocare liceret. conf. quoque Tholuck l. l. p. 285, 286.

Beatorum animis, in coelestes regiones susceptis, *υἱῶν Θεοῦ* nomen imponi, est illud quidem ab Ittigio, ut videtur (vid. Wolf l. l. Tom. III. p. 148.) excogitatum, certe commendatum; a Deylingio (l. l. p. 277, 278.) exornatum, doctissimo quoque Wildschut (l. l. p. 22, 23.) probatum; nec tamen quidquam vel in usu loquendi, vel in hac ipsa oratione inest, quo hoc confirmetur. Nam ut hos nunquam eo proprio nomine appellatos reperire memini, ita repugnare videntur hujus ipsius capitis vss. 14—17, ubi, cum plane aliam nomini *υἱοὶ* vel *τέκνα Θεοῦ* notionem subesse certissimum sit, atque vss. 19 et 21. nulla appareant mutatae significationis vestigia, imo expressae notae exstent, quae eosdem, qui in superioribus, intelligi declarent, profecto nullo causa novam hujus dictionis potestatem tueri videaris. — Sed hoc nunc quidem breviter attigisse suffecerit; postea uberius videbimus; nec necesse est ostendere, argumentandi, quo Paulus utitur, modum non parum obstare eorum sententiae, qui *τὴν κτίσιν* putant pertinere ad Christianos, quod subtiliter factum a Moshemio, quem citat Cramer l. l. p. 87—89.

Proximum est, eorum referamus sententiam, qui vocabulum *κτίσις* ad Christianos quidem spectare putant; at paulo tamen aliter, quam superiores illi, in hujus rei comprobatione versantur. Eorum ratio huc redit: *κτίσιν* per se significare *genus humanum universum;* ut autem multa ejusmodi vocabula, quibus *multitudinis* vis inest, ita ab hominibus dicuntur, ut quod in magna hujus multitudinis parte verum est, id toti tribuatur, sic quoque comparatum esse cum hac voce. Quamvis enim homines universe denotat, tamen attributa, illi hoc loco adscripta, efficere, ut ex hominibus soli cogitandi sint *ii*, *qui Christi doctrinam probaverunt.* Sic fere, ut puto, (nam ipsos inspicere non licuit) Gregorius Magnus, Nicol. Lyranus, citati a Tholuck l. l. p. 215. Zwinglius, laudatus a ven. Wildschut, et, quem ipsi consuluimus, Bullingerus. Paulo quidem aliter Deyling l. l. p. 276. et, uti ab hoc didici, Ittigius; in summa tamen rei cum illis prorsus consentiunt. Sed hoc quoque nihil est, cur assensu nostro probemus. Est enim (quod et supra ostendimus) consuetudo dicendi ad diserta scriptorum testimonia exigenda, non argumentatione quadam constituenda; testimonia vero desiderantur, quibus confirmetur, *κτίσιν*, simpliciter nominatam, unquam de Christianis dici. Neque vero negligendum est, vocabulum *κτίσις* interdum quidem *universum* complecti *humanum genus.* vid. Marc. XVI: 15. cum tamen Christiani partem generis humani efficerent *longe minimam*, haud scio an ab omni loquendi consuetudine dissentiat ejusmodi hujus nominis usus. Partem enim *minimam* pro *toto* quis facile ponat? Nequidquam autem citetur locus Joh. XII: 19. ubi Pharisaei, *ἴδε*, ajunt, *ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν;* quis enim ignorat, quam res exaggerare soleat animus metus sollicitudine jactatus? Sed haec quidem hactenus.

§. 6.

De toto genere humano *num cogitandum?*

Quae omnes rationes cum parum probarentur magno peritorum interpretum numero, ex iis haud pauci aliud sibi sequendum esse putaverunt, quod et cum consuetudine dicendi magis conveniret, et contextae orationi foret accommodatius. Hac autem laude multis digna visa est ea sententia, quae Paulum de *universo hominum genere* loquentem inducit; quae cum suffragantem sibi habeat usum loquendi, atque satis probabilem verbis Paulinis sensum attribuat, reliquis fere omnibus longe mihi cum Pauli mente conjunctior, et omnino aptior esse videbatur. Fuerunt tamen, quae, ut hanc quoque repudiarem, non temere efficere viderentur: de quibus jam paucis exponam.

Consuetudini dicendi, quae quidem in N. T. scriptis reperitur, minime contrarium est, ut vox *κτίσις* ad *universum* pertineat *humanum genus*, et Rabbinis quoque idem in more positum esse, docet Cartwright in *Mellificio* ad Marc. XVI: 15. item ad Rom. III: 19; neque tamen huic significationi nimium tribuendum esse videtur. Κτίσις, ut postea videbimus, *totam* complectitur *rerum creatarum universitatem*, quae cum immensa sit et infinita, nec nisi raro in scriptis hujusmodi, quale N. T. est, memoretur, frequentissime haec vox per *synecdochen* ad aliquod earum genus refertur, quod quale sit, singula loca ostendunt. Porro, hujus κτίσεως, quantum quidem ad hanc terram spectat, pars una omnium nobilissima homines sunt, qua in re causa est, cur illi non semel hoc nomine dicantur, quo pertinet annotatio Grotii ad Marc. XVI: 15, hominem per excellentiam *creaturae* nomine a Rabbinis ornari solere, docentis. conf. Flacius in *Clav. Script.* v. *creatura;* ex quibus manifestum est, vim hanc non *per se* κτίσεως vocabulo inesse, sed totam pendere a verbis *vicinis.* Exemplo vocis similis rem illustrasse juvabit. Saepe in V. T. *homines* nomine בשר appellatos invenias; conf. Drusius in *Notis majoribus* ad Num. XVI: 22; saepe *multo latius* haec vox sumitur. Sic, ut hoc utar, loco Gen. VI: 12. in verbis השחית כל בשר את דרכו i. e. ut Graecus convertit, κατέφθειρε πᾶσα σὰρξ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, continuo intelligimus, memorari *solos homines*, quam notionem loco Gen. VII: 15. justo *multo arctiorem* esse, demonstrant conjunctis verbis comprehensa indicia. His ad vocem κτίσις traductis, tuto statuemus, κτίσις cum proprie *totam* contineat *rerum creatarum universitatem*, saepe accidere, ut ex immensa ista rerum copia quaedam pars veluti eximatur; quae cujusmodi sit, ex una effici possit oratione contexta; cumque homo una sit de illustrissimis, quas quidem novimus, naturis, crebro fieri, ut, orationis continuatione testante, de sola *hominum* universitate dicatur.

Quibus, uti spero, rite constitutis, relictis omnibus, in id inquirendum esse patet, num omnia, quae τῇ κτίσει tribuuntur, ejusmodi sint, ut jure meritoque ad genus humanum pertinere censeantur. Multa quidem quin rectissime huc possint referri, neutiquam dubitamus; dubitamus tamen de nonnullis, quae modeste depromere liceat.

1. Et primum quidem, consilium Pauli eo unice spectare, ut ea confirmet, quae de maxima futurae Christianorum conditionis felicitate praedicaverat, supra monuimus. Jam ponas, nomen κτίσις referri ad *totum humanum genus*, tum ratio ita fere concludatur necesse est: *tam infinita nobis bona parata sunt, ut, quibus nunc afflictamur malis, ne comparari quidem ea possint cum incredibili, qua olim fruemur, felicitate; ingentem cujus magnitudinem atque splendorem comprobat commune illud universo nostro generi futuri illius temporis desiderium, quo sperat fore, ut ipsum quoque* (non tantum nos Christiani) *in partem veniat eorum bonorum, quae nobis obtingent.* Hoc autem num illud probat, quod Apostolus probare conatur? Non profecto videtur. Nam brevius enuntiata sententia huc redibit: *cuncti homines, multis malis vexati, eandem se beatitatem consecuturos esse sperant, quam consequentur Christiani;* e quibus quis tandem colligat,

hanc tam immensam fore, ut prae ea omnes hujus vitae calamitates pro nihilo habendae sint; hoc forsan colligi possit, meliorem futuram esse, quam Christiani expectent, conditionem, quam illa sit, in qua hoc tempore una cum reliquis hominibus versantur. Verum non hoc solum est, quod ei rationi magnopere obstare videatur. Nam quis tandem verisimile esse ducat, ut Paulus, i. e. scriptor longe prudentissimus, in re gravissima, qua omne fere Christianorum hominum solatium contineretur, argumentum petat ab ea re, quae sit per se valde levis: nam levis sine dubio haberi debet spes eorum hominum, quos ipse alibi in maxima coarguit opinionum vanitate versari; ne dicam hujusmodi argumentandi modum non esse ad plurimorum hominum captum accommodatum, quapropter nullum similis argumenti exemplum e Paulinis scriptis facile allatum iri credo, quo huic interpretationi aliqua probabilitas possit conciliari.

2. Superioribus et hoc accedit. A filiis Dei (*υἱοῖς τοῦ Θεοῦ*) *ἡ κτίσις* manifesto distinguitur, quae igitur ab his diversa sit, necesse est. Jam sic loqui ponamus auctorem: *universum genus humanum ardenter expectat tempus illud, quo palam et publice summa felicitate afficientur Christiani: nam ea communis omnium spes est, fore, ut ipsi quoque homines liberentur* cet.; quis non sentit, perperam cogitata enuntiavisse Paulum. Etenim illa: *ipsi quoque homines* num aliter, ex communi quidem loquendi ratione, accipi possint, nisi ut *in hominum numero non ponendos esse Christianos* ostendant. Neque ita hic nobis occurri posse videtur, ut dicas: vocabulum *κτίσις* redundat; profecto redundat, seu, ut melius dicamus, poterat abesse. Sed in hoc vis nostri argumenti non cadit; cadit in voculas *καὶ αὐτὴ*, quas male omnino reddas *illa quoque:* debent enim verti *ipsa quoque*, quod et linguae ratio postulat, et forma orationis requirit. Conf. Luc. I: 36. quem locum a Noesselto citatum inveni. add. Matth. XXVII: 57. Ex quibus sic rationem concludo: Christiani cum sint e numero hominum, cumque a Christianis ita distinguatur *ἡ κτίσις*, ut referri non possit ad homines, profecto non constare posse interpretationem eam, qua *κτίσις* ad homines seu genus humanum trahendum esse statuitur.

3. Neque hoc omittendum esse judicamus. Dicit Paulus *τὴν κτίσιν* h. e. *humanum genus*, ita multis malis constrictam teneri, ut simul speret, fore, ut aliquando, liberata *ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς*, consequatur *τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ*; quae verba in altera hujus commentationis parte probaturi nobis esse videmur, eodem spectare, quo voces *ἡ ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος ἡμῶν* vs. 23, quae cum pertineant ad *illud* tempus, *quo piorum corpora in vitam revocata omni omnino malo liberabuntur* (quod et ipsum demonstrandum nobis sumemus) illa quoque ipsa *ἡ ἐλευθερία τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ eodem* referre oportet. Cum autem *ἡ κτίσις* a Christianis sit diversa, et ob id ipsum Religione careat divinitus his tradita, Apo-

stolus docebit hoc loco, illos quoque ipsos homines, qui de instaurata olim corporum nostrorum vita ne per somnium quidem unquam cogitaverint, tamen tam communiter, tam certo, tam denique constanter futurum hoc eventum sperare, ut ex eo argumentum adeo deducere posset, quo ad stabiliendam Christianae Religionis de hac re doctrinam uteretur (3); quod quia cum sapientia Pauli et constanti ejus more vehementer pugnat, atque idcirco τῆς κτίσεως, quae hîc describuntur, attributa non in universum genus humanum conveniunt, alia res inquirenda est, cui haec commode tribui possint.

4. Quandoquidem argumentorum non copia, sed veritas et pondus considerandum est, nunc quartam addamus, eamque ultimam causam, quae nos quidem non parum commovit, ut hanc interpretationem rejiciendam esse statueremus. Eam quoque memoratam esse video a Ven. Wildschut l. c. p. 17. nec minorem, quam reliqua, quae modo attulimus, ad convincendum vim habere videtur.

Futurumne sit, ut omnes omnino homines, quos Supremo rerum humanarum Gubernatori singulari divinarum rerum institutione ornare visum non est, futura piorum felicitate excludantur; de eo quidem hîc non est agendi locus, nec ad hanc inquisitionem quidquam pertinet. Sed prorsus a constanti Pauli doctrina abhorrere videtur, ut generi humano, et ei quidem universo, tam laetam tribuerit, tamque certam, exoptatissimi eventi hujus exspectationem, quantam hic tributam esse videmus. Sumas licet probos viros e gentilibus beatitatis illius participes fore; tamen, qui sunt illi probi? Profecto non nisi pars generis humani longe minima. Igiturne *toti* adscripsisset, quod *parti* tantum proprium esset, tam *exiguae*, ut ne in comparationem quidem cum reliquis ullo modo adduci posset? quod ut omni veritatis similitudini repugnat, ita hoc jure a nobis assumi videtur: *omnes, qui Deo sunt probati*, quacunque tandem gente vel natione sint oriundi, quocunque tempore vixerint; omnes omnino, quotquot Deo probati sunt, υἱοὶ sunt Θεοῦ; in quorum igitur numero vel ii collocandi sunt, qui, quamvis divinae patefactionis beneficio non affecti, tamen ingentem hominum vere Christianorum felicitatem consecuturi sunt. Cum vero a filiis Dei diversa sit κτίσις (*genus humanum*), ad hanc qui alii referri possint, nisi *illi, qui vitam suam Deo non probarunt?* Quorum cum Paulus ubique doceat non tam laetam fore sortem (vid. e. g. Rom. II: 8, 9. 2 Thess. I: 8), quo tandem modo ἡ κτίσις ita accipi possit, me quidem ignorare confiteor.

---

(3) Quod Origenes, et post hunc alii, opinati sunt, Stoïcos philosophos reditum mortuorum in vitam verbis non appellavisse, re docuisse (vid. Origenes *adv.* Celsum cit. ab J. G. Hesse in *Comment. de Religionis Christ., Philosophiae Stoïcae nec aemula, nec patrona*, quam *Sylloge Opusculorum ad Sacr. doctr. pertinentium* complexus est Muntinghius *V. C.* Tom. I. p. 143. Conf. Scriptores laudati a B. de Moor in *Comment. perp. in* Marckii *compendium* Part. 6. p. 617) hoc igitur e male intellecta Stoïcorum παλιγγενεσίᾳ fluxisse, idem ostendit Hesse *l. l.* p. 148 seqq.; si vel verum esset, tamen prorsus nihil commune haberet cum hoc loco. Quid enim paucis philosophis cum genere humano universo?

Neque vero probabilius videtur esse id, quod Keilius defendit, in *Commentatione: quinam sint* Rom. VIII: 23. οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, inserta ejus *Opusc. Acad.* p. 194 — 210, ubi, p. 207 seqq. Paulum eo potissimum argumento illius, quae Christianis obventura sit, felicitatis magnitudinem declarare dicit, quod, cum nunc corporis vexentur imbecillitate, quae viam paret morti, aliquando corpori, ab interitu retracto, vita concilibiatur prorsus sempiterna; quod quantum sit bonum, omnium omnino hominum desiderium probare, qui, cum pariter atque illi, qui Christianam Religionem acceperant, corporis affligantur conditione misera atque caduca, vehementer sperent, fore, ut his malis futuro aliquo tempore liberi praestentur. Sic Keilius; qui tamen, cum alterum scopulum evitaret, in alterum incidisse videtur. Quae enim causa potest esse, cur Paulus, qui ad vs. 18. de iis maxime locutus est calamitatibus, quae Christianis Christi causa acciderent, nunc derepente ad singulare illud malorum genus se convertat, quod e sola oriatur corporis humani imbecillitate; praesertim cum horum ea sit cum proxime praegressis conjunctio, ut illa his confirmentur ac stabiliantur; ne iterum dicamus id, quod brevi ante vidimus, non hîc levem aliquam spem, sed certam intelligi exspectationem; immortalitatis autem illius, quam hîc memorari putat Keil, ne levis quidem opinio tribui potest hominibus illis, quibus natura sola veritatis magistra esse contigit. Postremo (nam plura, Keilianae rationi contraria, modo jam praecepimus) verba τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς multo magnificentiora esse, quam ut ad *solam* adstringi possint *corporis immortalitatem*; hoc quidem unusquisque facile dabit, opinor. Jam vero hujus δόξης ut magis etiam splendorem declaret, affirmat Paulus, τὴν κτίσιν summopere desiderare tempus illud, quo ea τοῖς υἱοῖς τοῦ Θεοῦ obtinget. Et quare desiderat? Quoniam se ipsam quoque, ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς liberatam, consecuturam esse sperat τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Videsne, illud *et ipsa* magno argumento esse, non tantum τοὺς υἱοὺς τοῦ Θεοῦ, sed etiam τὴν κτίσιν in partem venturam esse illius, quae hîc memoratur, ἐλευθερίας? Quapropter cum supra nobis effecisse videamur, δόξαν (quacum ἐλευθερία conjuncta erit) solis obventuram esse Filiis Dei, κτίσις, utpote a Filiis Dei diversa, reliqui homines esse non potest. Est tamen, quod contra dicas, saltem dicere contra possis: hanc ἐλευθερίαν, cum opponatur τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς, nihil aliud significare, nisi *libertatem a mortalitate* (siquidem ita interpretari vocem φθορὰ velis); sed videtur id parum commode dici: vehementer enim improbabile est, Paulum corporibus eorum, qui contempto Numini justas daturi sunt vitiorum scelerumque poenas, adscripsisse ἀφθαρσίαν (hoc enim oppositum τῆς φθορᾶς). Nam vox ἀφθαρσία ampliorem multo illustrioremque vim habet, atque solis tribuitur iis, qui sunt *vere beati.* vid. Rom. I: 23. II: 7. 1 Cor.

XV: 42, 52 (4), 2 Tim. I: 10, quo modo etiam Epicureos Deos suos *ἀφθάρτους* appellavisse, notavit Davies. ad Cicer. *de Nat. Deor.* l. 1. c. 17. Porro conditionem eorum, a quibus Deus justas persecuturus est contumaciae poenas, *φθορὰν* vocat Gal. VI: 7; vocat *θάνατον* Rom. VII: 21. vocatur quoque *ὁ θάνατος ὁ δεύτερος* Apoc. II: 11. XX: 6, 14. XXI: 8. potest Deus, quae Servatoris vox est, Matth. X: 28. *ἀπολέσαι καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἐν γεέννῃ*; quae loca omnia planum facere videntur, corpus eorum, qui felicitatis piorum expertes futuri sunt, ex constanti ratione loquendi nullo modo dici posse *ἄφθαρτον*. Mittimus alia, quibus Keilius refutatur. Nonnulla praebet Flatt in *Vorles.* p. 249. Mittimus quoque opinionem Bergeri, *κτίσιν* conjicientis esse *hominem imbecillum, qui sensibus serviat, eorumque illecebris capiatur.* Vid. *Versuch einer moralischen einleitung in das N. T.* Part. 3. p. 60 seqq. Hoc enim ut consuetudine loquendi, ita consilio Scriptoris prorsus refelli, et quivis facile intelligit, et bene probavit Flatt l. l. p. 250 seqq. copiosius in *Opusc. Acad.* p. 380 sqq.

CAPUT ALTERUM.

VERA, QUAE NOBIS QUIDEM VIDETUR, DE HAC RE SENTENTIA DECLARATUR, CONFIRMATUR, VINDICATUR.

§. 1.

Notio vocis κτίσις explanatur; quam late pateat, definitur.

Hae igitur rationes omnes cum in errore esse videantur, age, aliam investigemus, quae et usui loquendi sit consentanea, et cum orationis continuatione bene conveniat; qua veluti duce, tuto viam nostram persequamur, et in ipsam nos Pauli mentem insinuemus.

---

(4) Nam quod Paulus vs. 52. dicit, *οἱ νεκροὶ ἐγερθήσονται ἄφθαρτοι*, id non de *omnibus* hominibus accipiendum esse, sed ad *solos* pertinere *pios*, elucet ex universi hujus Cap. argumento, quod non nisi ad hos referendum esse, more suo, id est docte atque subtiliter, adversus Chrysostomum, Theodoretum, Hyperium, aliosque defendit Abresch *ad Hebr.* Spec. I. p. 128 seqq. Vid. et D. Gerdes in *Melet.* ad 1 Cor. XV. p. 23. ven. Bosveld ad 1 Cor. XV. p. 155 seqq. cl. van Hengel, *Bibl. van Theol. Letterk.* Part. VIII. p. 624 seqq.

Vocabulum κτίσις in N. T. ad significationem bene Graecam exigere non licet. Verbum enim κτίζω, quod ab eodem fonte fluxisse videtur, a quo κτάω, κτάομαι, ut proprie sonet, *habeo*, *possideo*, *possidendum mihi comparo*, vid. Lennepii *Etymolog. ling. Graecae*, Part. I. p. 453; perinde atque Latinum *habito*, derivatum ab *habeo*, dicitur de *incolendo* aliquo loco, unde vox περικτίονες apud Homerum, et ἀμφικτίονες apud Herodotum, i. e. *vicini* seu *accolae*, *qui circum aliquem habitant*. Vid. Valckenarius in *Scholis*, Tom. I. p. 394; multo tamen frequentius de *iis* usurpari solet, qui *domicilium* suum alicubi *constituunt*, *urbem condunt*, *coloniam deducunt*, et universe locum quemdam, aedificiis in eo exstructis, *ad habitandum idoneum reddunt*: hoc enim qui facit, locum illum sibi veluti *acquirit*. Vid. Lexicographi, et add. Wesseling. ad Diodorum Siculum l. V. c. 80. Tom. I. p. 396. Hinc ad *eos* traducitur, qui, quocunque tandem modo, alicujus rei *auctores* sunt et *effectores*, quae Alexandrinis V. T. interpretibus causa fuit, ut verbo κτίζειν interdum uterentur ad exprimendam vim Hebraïci ברא, vid. Eccl. XII: 1. Amos. IV: 13. Mal. II: 10. quod ut usurpari solet de *quavis* rerum *effectione*, vid. Jes. XLV: 7. XLIV: 16 al. conf. Borgerus in *Comment. ad Gal.* VI: 15. ita imprimis dicitur de *eo potentiae divinae effectu*, *quo totus mundus ex nihilo ortus*, seu, ut uno verbo dici solet, *creatus est*, vid. Schleusner in *Lexico* h. v. et loca ab eo laudata. Κτίσις igitur, quod *forma* vocis declarat, proprie *actio* est *creandi* seu *creatio*, vid. Rom. I: 20; longe tamen crebrius per Metonymiam valde usitatam, vid. Glassius l. l. p. 826, *creatas res* ipsas significat, i. e. *totam rerum universitatem*, quae alias dicitur κόσμος: nam quod Matth. XXIV: 21 legitur ἀπ' ἀρχῆς τοῦ κόσμου, a Marco (quam huic propriam consuetudinem fuisse, docet Hug, *Einleitung in das N. T.* Tom. II. p. 158. edit. 3) plenius et magis definite ita enuntiatur: ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, ἧς ἔκτισεν ὁ Θεὸς; huic autem, κόσμος, ex usu quidem Hebraeo-Graeco, rursus respondere vocabulum αἰὼν vel αἰῶνες, e comparatione locorum Joh. XIV: 30. et 2 Cor. IV: 4. effecit Valckenarius l. l. Tom. II. p. 90; ipsi Graeci appellant τὸ πᾶν, quocum, quod Latinis in usu est, *universitas rerum*, prorsus convenit. Ceterum, quod de *universitate* diximus, non ita capiendum est, ut haec *quovis* in loco significetur: nam interdum ad aliquid refertur *singulare*; *creandi* autem notionem nonnunquam prorsus perire, ostendit Grotius ad Rom. VIII: 33. add. Abresch in *Paraphr. Epist. ad Hebraeos. Spec.* II. p. 272 et 274. not. *r*. Sed hoc quidem tamquam aliud agentes. Nunc, cum veritas interpretationis maxime eo contineatur, quod sit ad usitatam loquendi rationem prorsus accommodata, necesse est, paulo plura ex Hebraeo-Graecis (nam sic dicere liceat) scriptis depromta testimonia afferamus, quibus illum vocis κτίσις usum pervulgatum fuisse appareat. Haec satis magno numero ex Apocryphis V. T. libris adduxit Grotius ad h. l. Tamquam in libro Judithae Cap. IX: 12 (5) Juditha in precibus Deum appellat Βασιλέα πάσης κτίσεως αὐτοῦ. Cap. XVI: 14 sic habetur: σοὶ δουλευσάτω πᾶσα ἡ κτίσις σοῦ, ὅτι εἶπας καὶ ἐγενήθησαν, cum quo dicto conf. Apoc. IV: 11. Sap. V: 17. ὁπλοποιήσει (ὁ Κύριος) τὴν κτίσιν εἰς ἄμυναν ἐχθρῶν. Cap. XVI: 24 ἡ γὰρ κτίσις, σοὶ τῷ ποιήσαντι ὑπηρετοῦσα, ἐπιτείνεται εἰς κόλασιν κατὰ τῶν ἀδίκων κ. τ. λ. Cap. XIX: 6. ὅλη γὰρ ἡ κτίσις (loquitur Auctor de Israëlitarum per sinum Arabicum transitu) ἐν ἰδίῳ γένει πάλιν ἄνωθεν διετυποῦτο, ὑπηρετοῦσα ταῖς ἰδίαις ἐπιταγαῖς κ. τ. λ. quibus add. Sirach. XVI: 17. μὴ εἴπῃς, ὅτι ἀπὸ Κυρίου κρυβήσομαι· μὴ ἐξ ὕψους τίς μου μνησθήσεται; ἐν λαῷ πλείονι οὐ μὴ μνησθῶ· τίς γὰρ ἡ ψυχή μου ἐν ἀμετρήτῳ κτίσει; Haec autem amplissima nominis κτίσις significatio etiam in N. T. reperitur. De loco Marc. XIII: 19. brevi ante vidimus; conf. ibi nota Bezae. Dictum Pauli Col. I: 15, quo Christum appellat πρωτότοκον πάσης κτίσεως, varie accipitur ab interpretibus: nonnullis cum Grotio, Ernestio, Heinrichsio, al. non ita late, nec proprie, sumendum esse opinantibus; aliis, et iis quidem longe pluribus, contrariam sententiam tuentibus, quam etiam alteri praelatam esse video a cl. Palmio. Et profecto haec interpretatio quemadmodum evidenter comprobatur iis, quae vs. 16. ad explicandum illud πρωτότοκος π. κ. subjecta leguntur: nam haec sine dubio multo latius patent, quam ut ad solam κτίσιν eam referri possint, quam cogitant Viri Docti; atque vss. 17, 18. idem requirere videntur: quae enim ista verborum redundantia est, qua unum idemque ita enuntiatur, ac si reapse plura, eaque inter se diversa, memorarentur? quod longe a Pauli more recedit; ita huic rationi auctoritatem conciliat locus Hebr. I: 3, ubi, posteaquam Auctor Christum appellaverat ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ, (quod fere convenit cum eo, quod in loco ad Col. scriptum est, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου) continuo addit, eum Φέρειν τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, quae verba non ad rerum tantum Christianarum administrationem pertinere, sensit quoque Abresch in *Paraphr.* ad h. l.; quapropter quid aptius excogitari possit, quam ut Paulus in Ep. ad Col. dictioni εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, vss. 15^b, 16, 17 adjecerit ea, quae non minus late pateant? Hoc quoque judicium est Abreschii, l. l. Specim. I. p. 8 et 15. comparationem utriusque loci instituentis. — Denique vox κτίσις eodem modo explicanda esse videtur loco Apoc. III: 14. quamquam ille quoque aliter explicatur a nonnullis.

Verum ut in locis, quae modo adduximus, non semper intelligitur *omnis omnino rerum universitas*, sed saepe aliqua tantum ejus *pars* significatur, *quae qualis sit, contexta oratio indicat*, ita et hic, quae prudens observatio est ven. Bosveldi in *Interpretatione hujus Epistolae Belgica*, p. 372, non nimis late fines τῆς κτίσεως proferendi esse videntur, sed coërcendi intra illos terminos, quos ipsa ei posuit oratio Paulina. Fuerunt v. g., qui *solem* et *lunam*, ac *reliqua sidera*, *genios* praeterea *coelestes*, a Scriptore ambitu ejus comprehensos esse crederent, uti ex recentioribus voluerunt Beza atque Carpzovius. vid. ejus *Stricturae*, p. 186, 187; ex antiquioribus Theodoretus, cit. a Suicero in *Thes. Eccles.* v. *κτίσις*, Tom. II. p. 179, 180. *οὐχ ὁρᾶτε, φησὶν* (*ὁ* 'Απόστολος), *οὐρανὸν, γῆν, θάλατταν, ἀέρα, ἥλιον, σελήνην, πᾶσαν τὴν ὁρωμένην κτίσιν, καὶ πρὸς τούτοις ἀόρατα, ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, δυνάμεις, ἐξουσίας, κυριότητας; ταῦτα πάντα τὴν ὑμέτεραν προσμένει τελείωσιν*· quae profecto rhetoris magis artem, quam interpretis redolent subtilitatem, veluti testimonio est constans et perpetua Apostolicae doctrinae ratio, quam hujusmodi res parum curare novimus. Porro vs. 22. voces *οἴδαμεν κ. τ. λ.* tale quid significant commemorari, quod vulgo Christianorum hominum satis quidem *cognitum* esset; haec vero non poterant non prorsus latere. conf. Flatt in *Vorles.* p. 253 item infra §. 2. n. 4.

---

(5) Commatum numerum ad eam rationem indicavimus, quae est in editione versionis Alexandrinae Bosiana.

Neque tamen haec cautio non adhibenda esse videtur, ut ne *nimis anguste* vocem *κτίσις* dictam esse opinemur; tamquam fuerunt, qui, neglectis hominibus reliquisque omnibus rebus, *solarum animantium*, quae praeter homines in hac terra vivunt, rationem habendam esse praeciperent, a quo alienus non fuit Michaëlis in *Nieuwe Overzetting des Ouden en Nieuwen Testaments*, Tom. XVI. p. 126, 127; quae sententia non valde dissimilis est alteri, qua omnia *ea, quae in hac terra vita praedita sunt* i. e. cum homines, tum animantes, intelligenda forent. Michaëlis quidem ratio, non dubito, quin paucissimis probetur; neque tamen propter eam causam rejiciendam esse arbitror, cui nonnulli magnam ad convincendum vim inesse putaverunt: Paulum enim, *animantes* si intellexisset, hoc loco tradere necesse esse, non tantum hominum, sed mortuarum etiam animantium corpora vita denuo donatum iri; quod, si vel maxime consilio divino consentaneum esse videatur, tamen ejusmodi sit, ut vulgi quidem intelligentiam longissime fugiat. vid. Anonymus in *Christ. Magaz.* Tom. III. p. 284, 285. Verum enim haec non ad *individua*, quae dicuntur, spectare, sed unice de *genere* dici, ex evidenti hac verborum illorum explicatione manifestissimum est: animantes, cum nunc multis malis debilitantur, ac tandem morti succumbunt, tamen aliquando hae ipsae i. e. genus earum, quod eo tempore erit, ab hac calamitate tam liberum erit, ut laete vigeat floreatque; quae ab unoquoque facile intelligi possunt. Quapropter, nisi alia obstarent, non sane improbabilis dici poterat haec interpretatio; sunt vero, quae obstent; saltem obstare videantur. Nam quamquam vox *κτίσις* de *animalibus*, et, ut eos una complectamur, qui his *homines* adjungunt; de omnibus *iis, quae vivunt*, dici sine dubio potest, tamen, cum per se latius pateat, debent in contexta oratione certae notae inesse, unde agnoscas, haec sola, non alia quoque, intelligi; quae notae hic prorsus deësse videntur; nisi in hanc partem trahere velis ea, quae de *suspiriis* et *exspectatione τῆς κτίσεως* memorantur. Sed injuria hoc fiat. Exspectatio enim est non ni-

nisi ratione utentium; quos cum non solum vel praecipue illi hîc existiment significari, coguntur per Prosopopoeïam exspectationem tribuere bestiis, in quas haec proprie non cadit. Quare quo jure illi his, eodem alii toti rerum naturae exspectationem adscriptam esse defendant; unde facile est ad intelligendum, nullum hîc indicium reperiri, quo appareat, tam anguste vocem κτίσις accipiendam esse. Cum autem brevi post (§. 2.) diligentius considerаturi simus ea, quae cum e pervulgata Judaeorum ea aetate opinione, tum ex insigni quodam loco in altera Epistola Petri, et ex aliis forsan rebus effici posse videantur, haec nunc, ne eadem bis dicantur, praeterire praestat.

Multo etiam magis, quam proximi illi, peccare videntur hi, qui κτίσιν putant esse omnia *ea, quae hominum utilitati commodisque inserviant.* vid. Flatt l. l. p. 253: nam ut taceamus, hoc prorsus cum loquendi usu pugnare; Paulus his verbis futurae beatitatis magnitudinem non in eo praecipue ponit, ut omnia beatorum hominum commodis atque deliciis inserviant, sed, quod acute perspexit Chrysostomus, ut tantum fore dicat exoptatissimae illius conditionis splendorem, ut hujus tamquam lumine universa natura rerum collustrata, novum et insolitum splendorem accipiat. Sed haec ad ipsam pericopes interpretationem rejicere malumus.

His igitur utrisque scopulis devitatis, sic tuto, spero, cursum nostrum dirigemus, si, mediam viam tenentes, κτίσιν ponimus esse *eam totius naturae rerum partem, quae, cum sit arcta hominibus necessitudine conjuncta, ab iis utcunque cognoscitur* i. e. ipsa terra, atque ea, quae hanc proxime cingunt. Quod nunc paulo uberius et illustremus et confirmemus.

§. 2.

Expositae rationis argumenta proferuntur.

1. Et *primum* quidem, cum reliquae, quas adhuc consideravimus, rationes omnes inexplicabilibus difficultatibus implicitae esse videantur, et vel ab usu loquendi, vel a contexta oratione omnino discrepent; hanc uti vulgarem dicendi rationem suffragantem sibi habere vidimus, ita universae huic orationi et consilio Pauli prorsus accommodatam esse, nunc ostendere conabimur.

Vocem κτίσις ita posse sumi, ut sit *ea creatarum rerum pars, quae, cum hominibus in oculos incurrat, cognosci ab his potest* h. e. orbis terrarum cum omnibus, quae in eo sunt et ad eum pertinent, supra jam multis testimoniis confirmavimus. Neque orbis hîc cogitatur, quomodo cogitari solet ab iis, qui in naturalibus vel astronomicis rebus operam consumunt, sed uti cogitatur a vulgo i. e. quatenus *sedes est animantium, et superficies illius tegitur rebus quam maxime variis at-*

que diversis, quae in maxima, qua inter se discrepant, diversitate, hoc tamen omnes commune habent, ut paulatim intereant atque exstinguantur. Aër seu atmosphaera una comprehendatur, nec ne, dubium est; illud tamen, ut postea videbimus, non a verisimilitudine abhorret, quamquam non facile mihi persuaserim, Apostolum in subtiliter definiendo *τῆς κτίσεως* ambitu magnopere sollicitum fuisse.

Cum igitur hoc nomen per se valde late pateat, ubicunque notae desunt, quae hanc significationis veluti amplitudinem angustioribus tamquam finibus circumscribant, non videtur consentaneum esse, ut in interpretando vim ejus extenuemus. Recte quidem in loco 1 Tim. IV: 4. verba *πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν* arctius accipias, cum ob orationem illam universam, tum ob adjecta ista *μετὰ εὐχαριστίας λαμβανόμενον*, quae declarant, haec de *cibo* dici, quo homines utuntur. Verum prorsus alia res est hujus loci, in quo cum, praeter id, quod supra monuimus, non v. g. ad sidera quoque haec posse referri, nullae hujusmodi notae insint, latissimam vocis potestatem tenendam esse apparet.

Neque vero hîc nos eo reprehendi posse videmur, quod *τῇ κτίσει* tribuantur ea, qnae non sint, nisi *ratione praeditorum*, *ἀποκαραδοκία*, *ἐλπὶς*, *στεναγμός*. Etenim ne dicamus, illos ipsos, qui v. c. *solum genus humanum* intelligi malunt, ut verus sensus oriatur, vim verborum *ἀποκαραδοκία* et *ἀπεκδέχεται* ita imminuere cogi, ut multo etiam latius, quam ad unum hoc referri queant, (quod tamen quo jure fiat, equidem non video: nam quid tandem est, cur veram horum vim vocabulorum tollere liceat?) sed hoc ut omittamus; quocunque *κτίσις* pertineat, tamen commode nec ad *homines universe*, nec ad *aliquod eorum genus* referri posse, modo evidenter nobis ostendisse videmur; unde fit, ut necessario sit ad alia descendendum, in quae haec cum, proprio sensu acceptis verbis, non cadant, non nisi per *Prosopopoeïam* tribui potuerunt. Quam legitimam interpretandi normam esse, auctor est Ernesti l. l. P. 1. S. 2. C. 4. §. 8. p. 118, 119. ed. 5. Prosopopoeïa autem, ut brutis animantibus rationem, ita inanimis rebus vitam adscribit et actionem. Ex quo exsistit, hac ratione si *τῇ κτίσει* tribuuntur ea, quae vitam declarant et rationem, tamen minime consequi, *τὴν κτίσιν* vitae et rationis esse participem; dum tamen ab altera parte veram vocum *ἀποκαραδοκία* rel. notionem sic nullo modo everti, evidentissimum est.

2. *Dein* observandum est, ea, quae hîc de *τῇ κτίσει* dicuntur, ejusmodi esse, ut possint omnino *latius patere*, quam ut ad *solos homines* trahere necesse sit. Adscribitur *τῇ κτίσει ματαιότης* vs. 20, quod eodem spectare, quo, quod vs. 21 legitur, *φθορὰ*, videbimus postea; *φθορὰ* iterum quemadmodum sit accipiendum, explicant verba vs. 23 *ἡ ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος ἡμῶν*, quae rursus facillima sunt ad intelligendum, comparantibus 1 Cor. XV: 42 sq. 53 sq. *δεῖ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν*, unde manifesto liquet, *τὴν ματαιότητα* et *τὴν φθορὰν* spectare ad *fluxum hunc*

et caducum rerum statum, quo sensim sensimque intereunt atque extinguuntur. Igitur ἡ κτίσις, hîc significata, ejusmodi sit, necesse est, ut τῇ φθορᾷ revera sit subjecta, quod de tota, in quantum quidem nobis cognita est, natura rerum dici verissime potest. Quare, cur tandem hanc vocem angustius interpretemur, quam ut hac omnia ea comprehensa esse statuamus, quae τῇ φθορᾷ obnoxia sunt? Quae nova causa est, ut de solis *animantibus* cogitare nolimus.

5. Unusquisque Scriptor, qui quidem eo consilio scripsit, ut ab aequalibus intelligeretur, ita explicandus est, ut verba ejus illi interpretari debuerunt. Vid. Planck *Einleit. in die Theol. Wissensch.* Tom. II. p. 104 seqq. Haec rite interpretandi regula hîc quoque judicium nostrum in dijudicaudo vero dirigere posse videtur.

Notum est, quid de omnium rerum, ubi Messias regnum occupaturus esset, instauratione, communi Judaeorum fama ferretur. Vid. Lakemacher in *Observ. Philol.* ad Rom. VIII: 19—23. in *Biblioth. Bremens.* Class. 7. Fasc. 1. p. 819. et, qui hoc allatis ex Judaeorum scriptis exemplis ostenderunt, Lud. Cappellus ad Rom. VIII: 21. Pott ad 2 Petri III: 13. maxime vero Tholuck l. l. p. 287, 288. Haec autem opinio, quamvis superstitiosorum hominum nugis inquinata, tamen ejusmodi erat, ut Apostoli eam, in sanam partem acceptam, ad futuram totius rerum naturae conditionem traducerent; quod profecto a sapienti Virorum Divinorum ratione neutiquam discrepat; quippe qui, uti vanas Judaeorum de τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ fabulas rejiciendas esse, facile viderunt, ita eam huic formulae vim subjecerunt, quae esset ad sanam rationem reique veritatem prorsus composita; quare non tantum Apostoli, sed ipse quoque summus Magister ea identidem in doctrina sua exponenda usus esse legitur; atque hic quidem eo magis, quoniam ipsi cum solis Judaeis res erat; Apostoli vero postea, et ex his maxime Gentilium Apostolus, Paulus, Gentiles quoque cura sua complectebantur. Eodem modo Paulus in scriptis suis vocabula ὁ αἰὼν ὁ νῦν et ὁ αἰὼν ὁ μέλλων vel ὁ αἰὼν ὁ ἐρχόμενος, non semel usurpavit, quae et ipsa ab Judaeorum loquendi consuetudine hausta sunt. Si igitur pervulgata inter Judaeos opinio erat, regnante Messia, ingentem omnium rerum mutationem orituram esse; cum Paulus ad eos scribat Christianos, qui, quod hujus Epistolae argumentum testatur, origine magnam partem Judaei erant; cum de re scribat omnibus probata et cognita (οἴδαμεν vs. 23.) denique ita de hac scribat, ut ex illa Judaeorum opinione facile explicari posse videatur; quid magis cum ratione convenire videatur, quam ut ejus omnium maxime rationem habeamus? Demus, aliam interpretationem grammatice posse defendi; tamen propterea, quod ita maxime a Christianis illius temporis verba Apostoli capi et potuerunt et vero debuerunt; profecto vel hanc solam ob causam jure et merito illam reliquis omnibus rationibus anteferendam esse censeremus. conf. Planck l. l. p. 106.

4. Neque vero Judaeis tantum, sed ipsis quoque Christianis (6) eo tempore communis erat laeta haec exspectatio. Audiamus Petrum. Hic 2 Ep. III, ut inanes esse ostendat cavillatorum calumnias, quod olim de omnibus mortalibus habebitur judicium ridentium, atque huic conjunctam conversionem omnium rerum fabulae loco habentium: nihil enim esse, quin in eodem statu permaneat, quo jam diu ante fuerit, quare tam ingentem rerum immutationem prorsus fictam esse videri; his igitur ut occurrat, falsam et futilem reprehensionem esse, ostendit Apostolus; quippe quod de perpetuo et immutabili rerum a mundo condito ordine dicant, historia prorsus refelli, qua constet, coelum et terram, posteaquam diu ratis naturae legibus obtemperavissent, tamen aliquando a constanti illa ratione ita discessisse, ut terribilis omnium rerum conversio exsisteret; quam eandem fore coeli, quale nunc est, et hujus terrae sortem. Ex quibus manifesto elucet, conversionem a Petro istiusmodi futuram esse dici, qualis illa esset, quam ad confutandos cavillatores istos brevi ante attulerat, hoc est, verba *proprie* capienda esse, nec cum alia re ulla conjuncta esse, nisi cum postremi adventus Christi tempore, quod etiam designant illa: *ἡ παρουσία τοῦ Χριστοῦ* vs. 13. *ἡμέρα κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων* vs. 7. *ἡ ἡμέρα Κυρίου* vs. 10. conf. Pott in *Comm.* p. 257. Eandem interpretationem commendant quoque vanae istorum hominum voces vs. 4. *ποῦ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ; ἀφ' ἧς γὰρ οἱ πατέρες ἐκοιμήθησαν, πάντα οὕτω διαμένει ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως* i. e. ut explicantur a Potto, *ὡς ἦν ἀπ'. ἀ. κ.*, unde consequitur, cum illi propter perpetuum naturae ordinem et constantem rationem nullam fore hanc *παρουσίαν* defenderent, talem omnino cogitandam esse, quae magnam naturae conversionem efficiat; quod iterum argumento est eodem quoque pertinere verba vs. 13. *καινοὺς οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν, ἐν οἷς κατοικεῖ δικαιοσύνη*, quae, cum sine dubio e vaticiniis Jesaïae Cap. LXV: 17. LXVI: 22. huc translata sint, ibi autem vates loqui videatur de emendata humani generis conditione, nonnulli, in his ven. van der Roest in *Tafereelen van leerzame Sterfgevallen*, p. 393. item Anonymus in *Christ. Mag.* Tom. III. p. 251, 252., eo adducti sunt, ut Petrum quoque hanc unice spectavisse opinarentur, hoc modo: *non nimis cito Christi ad judicandos homines adventum exspectare oportet: illud enim antequam fiat, ex promisso, olim a Jesaïa facto, exspectamus fore, ut totum genus humanum ad emendatam et longe meliorem conditionem pervenerit.* De verbis Jesaïanis nos, loci angustia exclusi, nunc non disputamus. cf. Cl. van der Palm

---

(6) Stoïcorum. quod huc forsan trahi possit, decretum de industria non commemoramus. Non enim dubium est, quin maximae Christianorum hominum parti ignotum fuerit; nec multum commune habet cum pervulgari illa Judaeorum Christianorumque spe et exspectatione. conf. de eo Justus Lipsius, Jac. Thomasius, Bruckerus cit. ab Hesse l. l. p. 144. add. Reimarus, *Voornaamste waarheden van den Nat. Godsd.* p. 62 in not. Pott in *Comment.* ad 1 Petr. III: 10. p. 256 sq. al.

ad 2 Petr. III. 13; Petrum tamen de iis loqui censemus, quae olim in adventu Jesu Christi eventura sunt. Nam, ut taceamus, vocabula γῆ et οὐρανοὶ in toto hoc Cap. semper *proprie* dici, quare fere prorsus necesse est, hîc quoque *proprie* ea usurpari; sed hac re neglecta, connexio, qua versus 12 cum 13 junctus est, omnem aliam interpretationem excludere videtur. Cum enim vs. 12. Apostolus scripserat, οὐρανοὺς πυρουμένους solutum, στοιχεῖα incendio colliquefactum iri, his continuo addens: καινοὺς δὲ οὐρανοὺς κ. τ. λ. quid tandem aliud significare potuit, atque hoc: *sed pereat coelum, pereat tellus! nova exspectamus!* Recte autem Grotius *coelum et terram* e consueta loquendi ratione Hebraeorum Latine sonare dicit *hoc universum.* (conf. Cicero *de Nat. Deor.* L. I. C. 24. (*ex atomis*) *effectum esse coelum atque terram*) cui tamen interpretationi omnino ea cautio adhibenda est, ut *universi* notionem ne nimis latam faciamus, sed hos fines observemus, quibus eam inclusit usus vulgaris. Nam, ut hoc paulo uberius illustremus, antiqui mortales, cum exigua essent astrorum, et immensi, quod ab his conficitur, spatii scientia; vulgus autem solem et lunam ac cetera corpora coelestia, non longius a terra putaret distare, quam summum aërem seu atmosphaeram, ut tota rerum universitas exiguis his finibus terminata esse videretur; in hac igitur opinione versantes homines, si vel ea tantum commemorabant, quae non nisi ad hanc terram, et, qui eam ambit, aërem, ac summas ejus partes, pertinerent, tamen *universitatem*, seu, cum hoc nimis abstracto, ut dicitur, vocabulo etiamnum carerent, *coelos et terram* appellare solebant. Hoc modo orta, et communi usu celebrata, formula, ne tum quidem desiit usurpari, cum opinio, a qua fluxerat, non amplius tam esset vulgaris; quare nec Petrus ea abstinuit: hunc enim non de *universa*, *qua late patet*, rerum natura, sed de ea ejus *parte* locutum esse, quam modo significavimus, totius disputationis ratio confirmat. Cum enim vs. 5. pridem coelos atque terram fuisse dicat, antequam tempore Noachi ingenti illa conversione concuterentur; nisi opinamur, hanc ad sidera quoque pertinuisse, et, quod ipsi invenire non possent, priscis hominibus divinitus significatum esse, (quod prorsus improbabile esse, unusquisque facile agnoscit) statuamus necesse est, formulam οὐρανοὶ καὶ γῆ non latius patere, quam modo definivimus; neque igitur sidera ea una posse comprehendi. Deinde, quia phrasis οἱ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, vs. 7, prorsus respondet alteri illi, vs. 6, ὁ τότε κόσμος i. e. οἱ τότε οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, hanc quoque eodem modo interpretandam esse liquet, quare nec οἱ καινοὶ οὐρανοὶ καὶ γῆ καινὴ, vs. 13. qui τῶν νῦν οὐρανῶν καὶ τῆς γῆς locum obtinebunt, aliter intelligi posse videntur, quam ut ad hunc terrarum orbem referantur, eumque proxime cingentem aërem, nubium, nivium, grandinum, ventorum tempestatumque regionem.

Hac autem Petrini loci interpretatione satis refutatur ratio Lakemacheri, quam proposuit l. l. p. 619, 620., tamquam Paulus in Ep. ad Rom. hoc tantum dicere vo-

voluisset: « tam certa futura est (ipsius Lakemacheri verba sunt) tamque propinqua singularis illa, qua in Christi regno beandi sumus, prosperitas, ut ipsa etiam creatura eodem tempore integritatem suam, ut creditur, recuperatura, desiderio maximo illam exspectet, cum quasi sciat, propediem illam nobis obventuram." Sed vide, quam omnia sint languida; quam a consuetudine et ratione Pauli remota, qui nusquam, Judaïcae alicujus fabulae auctoritate, Christianorum de rebus gravissimis persuasionem corroborare conatur; quod si vel alibi fecisset, tamen hîc ea suspicio ad illum neutiquam pertineat. Quis enim credibile esse putet, virum longe sapientissimum Christianorum, in Religione sua tuenda, constantiam voluisse ea ratione confirmare, quae ratio si falsa esse deprehenderetur, periculum foret, ne actum esset de omni eorum, in perpetiendis Religionis suae causa malis, fortitudine atque constantia? Nam profecto quicunque vel leviter Apostoli verba perpenderit, hic facile sentiat, eum non loqui tamquam de fabella quadam, quam illustrandae et exornandae orationis causa adhibeat, sed tamquam de re certa, quae nullo pacto possit in dubium vocari. Quapropter sic habeamus, opinionem Judaeorum, demtis fabulis, siquidem Petri velimus auctoritatem sequi, in rebus ponendam esse certissimus. conf. Pott ad 2 Petr. III: 10. Michaëlis, *Inleiding in het N. V.* Tom. II. Part. II. p. 776 seq.

Locum autem Petrinum ideo uberiore illustratione dignum esse duximus, cum, quia hic testimonium edit locupletissimum de communi Christi Sectatorum eo tempore exspectatione, ad quam, cum unice, qui Paulo erant aequales, illa, quae de τῇ κτίσει dicta erant, referre potuerint, nos quoque haec eodem referenda esse existimavimus; tum quia locus ille, bene intellectus, confirmat ea, quae supra in constituenda κτίσεως notione posuimus: etsi valde probabile sit, aërem quoque et alia τῇ κτίσει comprehendi, tamen id cavendum esse, ne ita hujus vocis vim interpretando exaggeremus, ut Paulum v. c. de corporibus coelestibus disserentem inducamus (7).

5. Quid autem hac interpretatione aptius; quid argumento istiusmodi gravius excogitari possit? Videte, inquit, quam infinita vobis parata sit felicitas; tanta quidem, ut prae ea omnes miserrimae hujus vitae calamitates nullo loco habere oporteat! quid enim? Tota rerum natura nunc quidem caduca est et fragilis; continuis mutationibus subjecta, omnia ad interitum ruunt et paulatim evanescunt; hoc jam fuit inde a longissimo tempore ad hodiernum usque diem; nec ante amovebitur triste illud malum, quam qui nunc Filii Dei sunt, sed nondum palam hac dignitate ornati, publice ingentis hujus honoris splendore illustres apparebunt. Vide- [illegible]

---

(7) De locis Ps. XXXVII: 11. Matth. V: 5. al. non opus est hîc monere, imprimis quia valde dubium est, an huc pertineant. conf. cl. van der Palm ad cc. ll. et ven. van der Roest l. l. p. 392, 393.

tisne ab hac vestra felicitate laetam pendere totius naturae sortem, unde quanta futura sit dignitas, quantus honos, quis non facile perspiciat?

6. Neque vero minus hanc interpretationem magna quaedam simplicitas commendare videtur. Ut enim multae, quae in hunc locum afferuntur, interpretationes philosophicam redolent variarum rerum contemplationem, quae cum parum valeat ad vulgi animos capiendos, tum a Paulo nusquam ad Christianam doctrinam adhibita reperitur; ita huic magna inest ad quosvis homines deliniendos ac prorsus devinciendos vis et efficacitas; animum movet quidem, sed et sensus percellit, seu, ut melius dicam, dulci perfundit laetissimarum rerum exspectatione, tali quidem, quae non longis efficiatur et obscuris argumentis, sed ratione ejusmodi, quae in vulgus nota esset, et ab omnibus, tam Judaeis, quam Christianis, communiter comprobata.

§. 3.

Aliorum reprehensiones diluuntur.

Venimus eo, quod ultimum est, ut nonnullas reprehensiones diluamus, quibus nostra interpretatio vulgo subjecta esse existimatur.

1. Et primum quidem; displicet haud paucis talis et tam dura dictionis veluti audacia, qua rerum natura ardenter exspectare fingatur meliora illa tempora; fuerit, inquiunt, ut Prophetae talibus usi sint orationis figuris; fuerit, ut orientales Poëtae hujusmodi dictionis insolentiae indulserint; at Paulus, in epistola, ad Christianos scribens, quorum maxima pars essent homines valde simplices; Paulus sine dubio a tam inusitata in loquendo audacia abstinuit.

Nec tamen quidquam hoc nos movet. Nam ut universe verum est, de talibus non facile posse disputari, cum pendeant ex uniuscujusque sensu magis, quam judicio, ut, quod tibi durum, idem alteri minime durum, imo venustum atque decorum esse videatur; ita, ut reapse vulgarem rationem deseruerit Apostolus, quod ne ipsi quidem negamus, tamen nihil quidquam est, cur nostram interpretationem mittamus. Quis enim illam bene interpretandi scriptiones Paulinas legem scripsit: quidquid durum est et nimis audax, id interpretatione ita leniendum est, ut audaciam nullam esse appareat? Namque constat, Paulum formam orationis minus curasse, multo magis res; et alia in ejus Epistolis occurrunt, eaque ex uniuscujusque sensu durissime dicta, quae tamen nemini causa esse solet, ut dictionis insolentiam interpretationis subsidio tollendam esse statuat. Quis tandem quidquam durius audivit, quam illud: *induere hominem*, *exuere hominem*, *induere Jesum Christum*, quae tamen phrases sunt consuetudine Pauli perquam frequentatae? et ut exemplum afferamus, quod est cum nostro loco conjunctius, ubi Capite hujus Epistolae 7. τῇ ἁμαρτίᾳ, τῷ *νόμῳ*, *τῇ ἐντολῇ*, *personae* tribuit rationem, et late de iis veluti *personis* disputat; nemo inficiabitur, opinor, illud a nostro quidem loquendi modo longissime differre, atque adeo, res si ad nostrum i. e. ad Occidentalium hominum, judicium refertur, improbandum et rejiciendum esse? Sed omni exemplo, orationis si formam spectas, insolentius est, quod idem scripsit in eadem hac Epistola Cap. VI: 6. ubi, Graecis ad verbum Latine expressis: *vetus noster homo*, inquit, *una cum Christo in crucem sublatus est, ut destruatur corpus peccati, ut ne amplius peccato serviamus;* quibus verbis haud scio an nullo loco quidquam insolentius dictum reperias. Vitiositas, nostro animo insita, *homo* dicitur, et ille quidem *vetus;* hic homo *crucis supplicio affectus est*, *una cum Christo* i. e. tum, cum nos nondum essemus. Porro peccato tribuitur *corpus;* nos autem, hac veluti parte nostri *morte exstincta*, *vivi* dicimur *superesse*. Profecto, siquid video, multis partibus hic locus durior haberi debet, quam ille est, quem nunc dedita opera tractamus; dum nemo tamen eum propterea ita explicare studuit, vel adeo potuit, quin illa a vulgari ratione discrepantia tota remaneret.

Qui autem aliter accidere potuit? nam praeterquam quod homo erat orientalis, quorum acerrimi affectus esse solent; tale a natura Paulus nactus erat ingenium, ut, ad audaciam veluti factus, non nisi magna et excelsa efferret, ut grandia consectaretur, ut vehementia sua omnia percelleret. Testatur hoc tota historia, testantur omnes scriptiones. Hicce vir, natura audax, ingenio vehemens, affectibus flagrans, ingenti obruitur malorum multitudine: aerumnae et probra et insidiae et verbera et carceres; ne longus sim, quaecunque mortalibus in hac vita tristia accidere possunt, ille experitur; sed ita experitur, ut animum erigat, et dulcissimo solatio perfundat beata illa, quam de vita altera habebat, opinio et certa spes. Fierine aliter poterat, quam ut, si de talibus loqueretur Paulus, vulgo hominum vehementius multo, multo etiam audacius loqueretur; et cum infinitis ipse calamitatibus agitaretur, meliora autem ardenter desideraret tempora, totam rerum, cui meliorem conditionem instare sciebat, naturam in iisdem suspiriis, in eadem expectatione esse sibi fingeret?

At enim, occurritur, in *epistola* tamen istiusmodi orationis audacia neutiquam toleratur! Sed, ut supra ex *epistolis* ejusdem generis exempla depromsimus, ita excitatus animi motus non valde curat locum; sed veluti rapidum flumen, perruptis aggeribus, libere per agros ruit, nec ulla re potest cohiberi; sic quoque negotium est affectuum, qui si semel eruperint, non facile compescuntur, nedum ut scribenda epistola ardor eorum exstinguatur. Non haec quidem eo valent, ut summum virum non ratione affectus temperavisse existimemus et rexisse; imo vero temperavit et rexit quidem praeclare; sed quomodo affectuum vim repressisset, quam sola excitaret in Deo collocata fiducia, et de ejus bonitate futuraeque felicitatis magnitudine *a sana ratione* *ne orta*, eaque laetissima, persuasio? Certe Paulus, quamdiu quidem et Paulus et Christianus erat, non poterat, quin de his rebus ita loqueretur; et quemadmodum illustri hac nota scriptorum ejus, quam *Critici* vocant, *authentia* summa in luce ponitur, ita vanam esse patet omnem suspicionem astutiae fraudisque, quippe quae naturam tam vere imitari nullo pacto potuerit.

Neque vero in aliorum scriptis exempla desunt similis cujusdam Prosopopoeïae. Digna sunt, quae cum loco Rom. VIII: 19 sqq, contendantur verba Ignatii in Ep. ad Ephesios C. 19. ubi hic, quamvis longe abest a celeribus illis animi motibus, qui in Paulo erànt, tamen rem multo leviorem tanta dictionis audacia describit, ut Paulum ea longe superet. Fingit enim stellam illam, de qua Matthaeus Euang. Cap. 2. memoriae prodidit, eo luxisse splendore, ut sol (nox erat!) et luna una cum reliquis sideribus, tanto miraculo rei obstupefacta, eam undequaque cingerent; quod nisi me omnia fallant, longe insolentius dictum est, quam id, quo Paulus in Ep. ad Rom. utitur. Quid, quod vel elegantissimo cuique scriptori Prosopopoeïa in simili re probata fuit? Unum instar omnium citamus Ciceronem, qui loco nobilissimo pro Milon. C. 8. quo acerbius interfectum Clodium irrideat, *luget senatus*, inquit, *moeret equester ordo*, *tota civitas confecta senio est*, *squalent municipia*, *afflictantur coloniae*, *agri denique ipsi tam beneficum*, *tam salutarem*, *tam mansuetum civem desiderant.* Rogo, si Cicero, deridendi Clodii causa, quamquam soluta oratione utens, tamen hanc Prosopopoeïam non devitavit, quid tandem esse causae possit, cur Paulus, in describenda re exoptatissima, fugere eam debuerit, ille, qui in ipsis epistolis, ubi de re magna mentio incidit, oratorum vehementiam sponte sua sectatur, atque adeo superat. Nam quid v. g., ut alia hujus generis praeteream, quid vehementius, quid gravius, denique ad oratorum rationem quid possit esse accommodatius, quam divina illa disputatio, qua in priore ad Corinthios Ep. Cap. 15. futurum mortuorum in vitam reditum vindicat atque tuetur. Profecto haec legens propemodum non epistolam tibi legere, sed oratorem pro magna hominum concione dicentem audire videaris.

Haec vero omnia, et quae plura addi possint (8), palam facere videntur, injuria interpretationem a nobis probatam eo reprehendi, quod prorsus insolita ratione Paulum loquentem inducit. Hunc autem locum propterea diutius urgendum esse judidicavimus, quia non paucis haec unica vel praecipua causa fuit, cur eam rationem repudiaverint. In ceteris brevioribus esse licebit.

---

(8) Mittimus alia bene multa, veluti quod Josua, in libro, qui ejus nomen praefert, C. XXIV: 27. congregatae Israëlitarum multitudini dicit, *lapidem*, quem manu monstrabat, *audivisse* omnia, quae Jehova ipsis praecepisset cet. Seneca de *Beneficiis*, l. 3. c. 27. Rufus, *vir ordinis Senatorii, inter coenam optaverat*, *ne Caesar salvus rediret ex ea peregrinatione*, *quam parabat*, *et adjecerat*, *idem* omnes et tauros et vitulos optare rel. Utrobique certe non poëta loquitur, sed vehemens animi motus, et in aliis eundem motum agitandi studium, talia expressit.

2. Putant nonnulli, si κτίσις est rerum natura, minime ferri posse, quod Paulus dicit, eam consecuturam esse τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ: nam de reliquis, veluti his: τῇ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα κ. τ. λ. non necesse est dicere: semel enim τῇ κτίσει personae forma induta, continuanda erat Metaphora, et recte omnino scriptum est: *natura rerum subjecta est, eaque invita*, tamquam persona esset. Sed illud non statim apparet, quo pacto τῇ κτίσει tribuatur ἡ ἐλευθερία τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ, quae verba plerumque explicantur: ἡ ἐλευθερία ἔνδοξος, et quamquam paulo secus capienda esse videntur, tamen sumamus, recte se habere illam interpretationem. Quid jam est φθορά? Est conditio rerum fluxa et fragilis, qua fit, ut paulatim intereant, ac tandem exstinguantur. Porro δουλεία, servitus illius φθορᾶς, quid aliud sibi velit, nisi quod omnia illi conditioni necessario sint obnoxia; quod, volente Deo, non possint non sensim sensimque interire, et ad nihilum recidere? Quapropter quae huic δουλείᾳ opposita ἐλευθερία est, nullam aliam cogitari posse liquet, quam libertatem ab interitu (τῇ φθορᾷ), quod bonum quia rerum naturae cum Filiis Dei *commune* esse potest, jure Paulus scripsit, in ea hanc spe versari, fore, ut *illa Filiorum Dei felicitas* sibi aliquando contingat.

3. Sed jam ab alia parte impugnamur. Quis tandem, ajunt, affirmet, fore, ut hic orbis aliquando instauretur, et nova veluti facie induatur? Sed recte Bucerus: « qui sic ista euangelizat, inquit, non probat: modis enim omnibus humanum sensum superant." Quamquam ne Philosophi quidem hoc improbabile habuerunt, vid. Tholuck l. l. p. 290. et *Christ. Magaz.* Tom. III. p. 282 in *nota*; sic autem futurum esse, ni opinio nos fallit, necessario consequitur e loco, quem supra consideravimus, Petrino, qui quidem ad nullam aliam, quam ad hanc ipsam rem, accommodari posse videtur.

4. Posset et hoc objici. An igitur in novo, quem tu ponis, orbe, omnia et singula ita erunt comparata, ut semper maneant, intereant nunquam? Respondeo verbis Calvini « qualis futura sit integritas illa, tam in pecudibus, quam in plantis et metallis, curiosius inquirere, neque expedit, neque fas est, quia praecipua pars corruptionis est interitus. Quaerunt arguti, sed parum sobrii homines, an immortale futurum sit omne animantium genus; his speculationibus si frenum laxetur, quorsum tandem nos abripient? Hac ergo simplici doctrina contenti simus, tale fore temperamentum, et tam concinnum ordinem, ut nihil vel deforme vel fluxum appareat." Eodem modo Flatt l. l. p. 258.

5. Quod autem supra Cap. 1. §. 2. p. 17. contra rationem Doederleinii attulimus, Apostolum, si eam, quam ipse putabat, verbis sententiam subjecisset, dicturum fuisse: ἡ ἀποκαραδοκία καὶ τῆς κτίσεως vel καὶ αὐτῆς τῆς κτίσεως, videatur illud

nonnullis, nobis non minus contrarium esse; quamobrem paucis attingendum est. Ex mente Doederleinii Paulus ostendere aggreditur, *non solos Christianos* in calamitatibus versari: *Judaeos enim ejusdem sortis socios* esse; quod Apostolus si intellexisset, Particulam καὶ omnino additurus fuisset. Verum id e nostra ratione necessarium non est: *ingens Christianorum felicitas erit: nam tota rerum natura* cet.; addi hîc quidem potuerat illud, καὶ αὐτῆς; non minus bene prorsus abest.

Quod autem argumentum e vs. 23. petivit Keil l. l. p. 208. quo vulgarem hujus loci interpretationem labefactaret, id nunc quidem praeterire liceat. Hujus enim commatis, quam modo afferemus, interpretatio illud, uti spero, satis infirmabit.

De his igitur hactenus. Optamus, ut non omnino infeliciter in ea sententia probanda versati simus, quam nobis sequendam esse duximus; quae si ipsa in errore esset, haberemus, quo nos excusaremus. Eandem enim tuiti sunt interpretes cum antiquiores, tum qui recentiore aetate floruerunt, multo celeberrimi (9), Chrysostomus, Theodoretus, Melanchthon, Calvinus, Beza, Hyperius, Flacius Illyricus, Victorinus Strigelius, Grotius, Dan. Heinsius (in *Exerc. Sacr.* ad h. l.) Beausobre et l'Enfant, Ernesti, Moldenhauer, Morus, Palmius, alii quam plurimi, quos magno numero citatos invenias in libro supra jam allegato, *Kort ontwerp* etc. p. 232, 233. nota *m*. Nunc ipsam interpretationem suscipiamus.

---

(9) Hoc tamen non in eam partem accipi velim, tamquam vana me opinio teneret, eos, qui aliter statuerint, ex horum numero eximendos esse; quod longe secus est, et omnino nihil in hac re tractanda ingratius fuit, quam quod juvenis parum doctus cogerer judicium depromere de iis, quae a Viris Doctissimis docte et subtiliter disputata essent; a quibus si dissensi, profecto non propterea dissensi, quia me illis vel doctiorem vel sagaciorem esse somniarem, sed quoniam, quod verum est, id non nisi unicum est, non potui, quin illud, quod verum mihi esse videretur, unice tenerem atque probarem. Imprimis vehementer doluit, quod virum eruditissimum, eundemque de re Christiana optime meritum, (venerandum Wildschut intelligo) ducem sequi non licebat, quem tamen, si haec forsan in lucem edenda essent, id solita sibi humanitate benigne interpretaturum esse, vehementer spero.

PARS

PARS ALTERA.

INTERPRETATIO TOTIUS PERICOPES, COMMATIBUS COMPREHENSAE 19 AD 25; CUI INSERTA EST UTERIOR EFFATI: πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν, EXPLICATIO.

Ex iis, quae copiose disseruerat, colligit Apostolus, non esse, cur divinas poenas metuant illi, qui, Christo fide habita, et animi sensus, et totam vitae rationem, ad sanctissimae Religionis Ipsius praecepta conformarent; contra, ut animus eorum vera jam ante mortem felicitate fruatur, ita certissime futurum esse, ut illi, quorum corpus Spiritus Sancti veluti templum esset, hoc templum, morte destructum, aliquando restitutum viderent. Oportere igitur Christianos, exutis vitiis, quae omnis sint mali causae, ad veram virtutem omni virium contentione incumbere, auxilio usos Divini illius Spiritus, quem quicunque vitae suae rectorem moderatoremque esse ostendunt, hos esse Liberos Dei, quos Numen amantissimum, quavis occasione, sine ulla metus sollicitudine, precibus adire liceat. Legitimi autem filii justi patrimonii quî tandem exheredes essent? Quapropter necesse esse, ut, qui in hac vita tales se esse praestiterint, aliquando eam hereditatem obtineant, cujus jam Christus particeps est factus; modo ne eadem illa via incedere recusent, qua ille ad haec tanta bona pervenit: hunc enim qui imitentur, tam magnam exspectare posse beatitatem, ut miseriam hujus vitae, cum ea comparatam, nullam esse constet.

Haec summa rerum est, quae hujus Capitis versibus continentur 1 ad 18; non temere autem vss. 17, 18. a nobis ad *futuram* illam *vitam* revocari; ne universae hujus pericopes interpretatio fluctuet, necesse est, paucis ostendamus.

Nonnulli, tamquam Semlerus in *Paraphrasi*, quocum fere convenit Ven. Brouwero in egregio libro, *Onderzoek naar het doel en beloop van het schrijven van Apostel Paulus in de elf eerste Hoofddeelen van den Brief aan de Rom.* p. 240 seqq. haec de *florentiore*, quae prope instaret, Christianorum *fortuna* dicta esse putant. Perperam, si quid video. Paulus enim, ut crebro Christi fata et calamitates contendere solet cum iis, quae Christianis in hac vita contingunt, (conf. clar. Borger ad Galat. VI: 17.) ita et summum, quo ille, post exantlata multa mala, affectus est, honorem, non raro comparat cum illa, quam Christiani, decurso vitae suae curriculo, adipiscentur, dignitate; quare quid cum ingenio et ratione Pauli convenientius, quid ad constantem, quo ille, pariter atque Jesus et reliqui Apostoli, utitur, Christianos homines ad perseverantiam adhortandi modum accommodatius excogitari possit, quam ut eadem ipsi mens fuerit, cum his verbis uteretur: *εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν*? quibus magna lux oritur ab iis, quae scripsit 2 Tim. II: 11, 12. *Πιστὸς ὁ λόγος· εἰ γὰρ συναπεθάνομεν (τῷ Χριστῷ), καὶ συζήσομεν· εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν.* conf. Rom. VIII: 29. 2 Cor. III: 10, 11, 17. 2 Thess. II: 14, 1 Petr. IV: 13. add. Matth. XIX: 28. Luc. XXII: 29, 30. Apoc. III: 21; Apostolum vero tam prospera Christianis, et ea quidem brevi futura, tempora prospexisse, quae splendido *δόξης* nomine digna judicaverit, nec aliunde constare videtur, et parum credibile est comparantibus locum 2 Tim. III: 12. ubi *πάντες*, inquit, *οἱ θέλοντες εὐσεβῶς ζῆν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ διωχθήσονται*, de quibus conf. Grotius. Neque posse verba *συνδοξάζεσθαι τῷ Χριστῷ* aliter, quam de *futura vita* intelligi, cum locus ostendit 1 Tim. III: 16, ubi, cum Christum dicit *ἀναληφθῆναι ἐν δόξῃ*, neutiquam cogitari potest id, quod huic *ante mortem* contigit; quapropter si illi, qui Christo Ejusque Religioni se dediderunt, non minus, quam Ipse, hac *δόξῃ* aliquando dicuntur affectum iri, id minime *in hac vita* exspectari posse liquet; conf. 2 Thess. II: 14. tum idem declarat constans vocis *δόξα* in N. F. usus, quod de futura hac re ibi valde crebro dici, indicavit cl. van Voorst in *Annot. in loca selecta N. F.* Spec. I. p. 26. Postremo, si quae adhuc dubitatio remaneret, eam omnem, ni fallor, eripiant necesse est loca Coll. III: 4. 1 Petr. IV: 13. V: 1. coll. I: 5. in quibus, quemadmodum hoc loco memoratur *ἡ μέλλουσα δόξα ἀποκαλυφθῆναι εἰς τοὺς τοῦ Χριστοῦ*, ita ibi dicuntur iidem *σὺν τῷ Χριστῷ φανερωθήσεσθαι ἐν δόξῃ*, *ἐν τῇ ἀποκαλύψει τῆς δόξης αὐτοῦ χαρήσειν*, *κοινωνοὶ εἶναι τῆς μελλούσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης* (1), quae sine dubio non ad hunc rerum humanarum statum pertinent. Alia praetermittimus, observata a ven. Wildschut l. l. p. 29.

---

(1) Suspicor fere, Petrum hanc dictionem ex Epistolis Pauli hausisse; certe magna in hac causa inter utrumque convenientia est, non tantum *rei*, sed etiam *verborum*; et uti Petrus ipse non obscure prae se fert, nonnullas duntaxat, a Paulo scriptas Epistolas, a se lectas esse (vid. 2 Ep. III: 15, 16.) sic idem non injuria efficias ex iis dictis, in quibus color adeo orationis prope accedit ad eam dicendi rationem, qua Paulum, variis Epistolarum locis de iisdem rebus loquentem, usum esse videmus. conf. Hug l. l. Tom. II. p. 540 seqq. Inter has, Petro cognitas Epistoias, etiam nostram ad Romanos numerandam esse, statuit Millius in *Proleg. Editioni N. T. praemissis*, p. 4. *editionis Kusterianae;* quod Michaëlis adeo ursit, ut hanc a Petro, brevi antequam priorem suam Epistolam scriberet, lectam esse arbitraretur. vid. Ejus *Inleiding in de Schriften van het N. V.* Tom. II. Part. II. p. 728 seqq. Hoc si verum sit, facile alicui in mentem venerit, Petrum, cum ea scriberet, quae reperiuntur 2 Ep. III: 16, etiam nostrum locum, Rom. VIII: 19 seqq. in mente habuisse. Sed haec ipsa dubiam interpretationem habent, aliis alio referentibus; quare posterius hoc parum certum esse liquet. conf. Hofmann ad Pritii *Introd. in N. T.* p. 43. et cl. van der Palm ad 2 Petr. III: 16.

Cum igitur versus 17 omnino spectet ad illustrem illam sortem, quae Christianis veri nominis *non nisi post hanc vitam* obventura est, sponte intelligitur, *eodem* quoque pertinere verba commatis 18, quibus, ut argumento est particula causalis γὰρ, *causa et ratio* antecedentium continetur. Veruntamen, ut haec rite cum iis cohaereant, cogitatione aliquid interjiciendum est, quod inter utrumque versum veluti medium sit, et a Paulo, cum quia hoc proprium est negligentiae in dicendo populari, tum ob ingenii celeritatem, ut crebro alibi, ita hîc etiam omissum est. conf. Matth. VI: 14. XXVII: 23. Joh. IX: 30. Rom. II: 24. 1 Cor. IV: 4. Phil. II: 27. et infinita alia loca, in quibus non video, cur propria neglecta voculae γὰρ potestate, aliam substituendam esse opinemur; sed hac de re mox. Bene autem sententiam explevisse videtur Calvinus, cujus haec ratio est: « neque molestum esse nobis debet, si ad coelestem gloriam nobis per varias afflictiones procedendum est," quibus aptissime adjunguntur ea: λογίζομαι γὰρ κ. τ. λ., quae verba nos hîc data operanon illustramus; sensus huc redit: *nam sic mihi persuasi*, (conf. Phil. III: 13.) *omnia hujus vitae mala comparari nullo modo posse cum illustri illa, quae palam in nos conferetur, dignitate.* Sic enim verba: τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς interpretanda esse existimo, ut structura verborum sit *praegnans*, quae imprimis in his libris valde usitata est. conf. Matth. II: 23. IV: 13. V: 22. VI: 26. X: 9, 17. XIII: 30, 48. XX: 1. Luc. XXI: 24. Act. VII: 9. XVI: 24. XVIII: 21. Rom. VII: 25. 2 Thess. I: 9. Hebr. II: 3. et alia permulta; maxime vero 1 Petr. I: 4. ubi verba κληρονομία τετηρημένη εἰς ὑμᾶς ab hac quidem parte valde similia sunt dictioni illi, qua Paulus hîc usus est; cujus in hac ipsa Epistola Cap. III: 22. non multum dispar dictum est (δικαιοσύνη [οὖσα] εἰς πάντας) add. V: 18. Ad sensum conf. 1 Petr. I: 5. V: 1. et alia, quae postea citabimus. Sed haec, ut ne in mediam disputationem incideremus; nunc id, quod propositum est, aggrediamur.

Comma 19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται.

Phrasin ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως ἀπεκδέχεται recte Viri Docti ita explicuerunt, ac si scriptum esset ἡ κτίσις ἀποκαραδοκοῦσα ἀπεκδέχεται. vid. Koppe, Tholuck, Flatt, al. et conf. Glassius l. l. Tom. I. p. 870; quomodo si orationem mutaveris, Participium ἀποκαραδοκοῦσα omnem amittit *temporis* significationem, et locum sustinet *Nominis adjectivi*, quod iterum pro *Adverbio* poni manifestum est, idem ut fere sit, ac si legeretur σὺν ἀποκαραδοκίᾳ. (conf. illud Nepotis in *vita* Themistoclis c. 6. §. 9. *cum satis altitudo muri exstructa videretur.*) Neque vero dubium esse videtur, quin multo major vis insit huic orationis structurae, quam si simpliciter scriptum foret ἡ κτίσις ἀπεκδέχεται; quare haud scio an injuria incertum esse putet Winerus l. l. p. 203. vox ἀποκαραδοκία redundet, nec ne. Certe Paulum, cujus magna brevitas in dicendo vel hac ipsa pericopa declaratur, parum credibile est, nequidquam nomen ἀποκαραδοκία addidisse, et si vera conjectura sit, quam aliis expendendam relinquimus, eum hac maxime de causa in illam orationis formam incidisse, quoniam Hebraei, et universe Orientales, ut vim orationis augeant, verbo, quod dicitur, *finito*, *Infinitivum* adjungere solent, si non ejusdem verbi, (quod tamen fere semper fit) at similis significationis; vid. Schroederus in *Instit. ad fund. linguae Hebr.* p. 397 seq. Gesenius l. l. p. 778 seqq. profecto omnis dubitandi causa sublata esset. Hebraei enim pro eo, quod nos dicimus: *natura rerum ardentissime desiderat*, sic fere loquerentur: הבריאה שבר שברה, quod eo modo Graece redditum, quo has formas Alexandrini V. T. Interpretes transferre solent, ita sonaret: ἡ κτίσις ἀποκαραδοκίᾳ ἀποκαραδοκεῖ vel ἀπεκδοχῇ ἀπεκδέχεται, et proxime accederet ad eam rationem, quae, paulo magis ad loquendi consuetudinem Graecorum accommodata, hîc a Paulo usurpata est. Nos nihil de hac re definimus; si vel falsa esset, tamen magnopere probabile foret, Paulum, motu animi elatum, naturae rerum *vehementissimam* exspectationem tribuisse.

Nomen κτίσις brevi ante constituimus *eam* esse *mundi partem*, *quae a quibusvis hominibus usu et observatione cognoscitur.* Interpretabimur igitur *rerum naturam* seu *universitatem*, interdum etiam, varietatis causa, *mundum.*

Verbum ἀπεκδέχεται bene Theodoretus explicat προςμένει i. e. *exspectat.* conf. 1 Cor. I: 7. Gal. V: 5. Phil. III: 20. Hebr. IX: 28. et fere idem est, atque ἐκδέχεται, προςδέχεται, προςδοκᾷ; quamvis Praepositio ἀπὸ non vacare videtur, sed significationem augere, ut sit *ardenter* exspectare. vid. clar. van Voorst in *Animadvers. de usu Verborum cum Praepositionibus compositorum in N. T.* Spec. I. p. 69.

Vox ἀποκαραδοκία, composita e Praepositione ἀπὸ et nomine καραδοκία, quod, originem si spectas, dicitur de *eo*, *qui exserto capite exspectat*, τῇ κεφαλῇ προβλέπει, ut habet *Etymologicum Magnum;* ut verbum ἀπεκδέχεται, videtur vi augeri accessione Praepositionis ἀπὸ, ut sit *magna* et *attenta* exspectatio, quod multi negantes, nihil amplius significare putarunt, quam *spem*, *exspectationem* simpliciter. vid. Glassius l. l. Tom. I. p. 184. Ernesti l. l. p. 136. ibique Ammon. Morus l. l. Tom. I. p. 527. Schleusner in *Lex. h. v.*, alii, citati a Tholuckio l. l. p. 291. Sed contra summus ille Sacrarum Literarum interpres, idemque Graecae linguae peritissimus, Joannes Chrysostomus, qui verbis ἡ σφόδρα προςδοκία vim vocis ἀποκαραδοκία declarare studuit, quocum ex recentioribus convenit quoque Abreschio, Patri, investigatori harum rerum diligentissimo, in *Auctario ad* Cattieri *Gazophylacium Graecorum*, p. 73. Nec desunt argumenta, quibus haec Praepositioni potestas vindicetur; quae, cum ab aliis jam sint occupata, nos hîc praetermittimus. conf. Tholuck ad h. l. et cl. van Voorst l. l. Non possumus tamen, quin vanam nobis quidem videri reprehensionem dicamus, tamquam illi, qui Praepositionis ἀπὸ vim non negligendam esse praecipiunt, ubivis Emphases sectentur: nam cum Emphasis sit quaedam ad solitam verbi significationem accessio, augendi vim habens in utramque partem, cumque nullum verbum Emphasin habeat *per se*. vid. Ernesti l. l. P. 1. S. 1. C. 2. §. 15, 16; illi profecto, qui statuunt verbum ἀποκαραδοκία *per se* i. e. propter vim Praep. ἀπὸ, plus valere, quam simplex καραδοκία, Emphasin hîc ne agnoscunt quidem. Sed haec non tam sunt hujus loci; illud magis, ἀποκαραδοκίαν neutiquam idem esse, atque ἐλπίδα: nam, ut alterum cum altero creberrime potest permutari, perinde atque Latinum *exspectatio* et *spes;* ita notio tamen utriusque vere differt, quod elucet e locis, a Wetstenio magno numero collatis, in quibus, ni me fallit, omnibus, ἀποκαραδοκεῖν semper est *exspectare; sperare* numquam. Idem optare videtur verbum ἀπεκδέχεται, quod cum et ipsum significet *exspectat*, (vid. loca modo laudata) multo sane aptius natura rerum *exspectans* dicatur exspectare, quam *sperans*: hoc enim vim dicti non corroboraret, sed elevaret et infirmaret. In locis autem Phil. I: 20. et Ps. XXXVI: 7. ex interpretatione Aquilae, non intelligo, cur vulgarem *exspectationis* notionem repudiemus.

Υἱοὶ Θεοῦ qui et quales sint, Paulus ipse definivit brevi ante, vss. 14, 15; neque aliis hoc nomen imponit vs. 19, quam illis, quos ibi ea appellatione insigniverat. Hanc enim disputatio ejus rationem habet. Dixerat vs. 14, quicunque Πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, hos esse υἱοὺς Θεοῦ; in quorum numero esse quoque eos, ad quos jam scriberet, quibus, pariter atque sibi, de eo penitus persuasum esse posset, se esse τέκνα Θεοῦ. Quos igitur modo υἱοὺς, eosdem nunc τέκνα vocat Θεοῦ: quippe υἱοὶ semper τέκνα sunt, h. e. *liberi* parentum. Liberi autem Dei si essent, fieri non posse, ut justo patrimonio orbarentur; contra eam hereditatem, quam adiisset jam Christus, ipsis quoque venturam esse, si, exemplo ejus, Deï causa nulla mala ferre recusarent: εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν; quod suis si commodis consulerent, omnino facere esset necesse: λογίζομαι γὰρ, inquit, ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν (2) ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς — *in nos*, utpote qui sumus

---

(2) Similis verborum trajectio est Gal. III: 23, ubi Paulus memorat τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι. Causam trajectionis in eo fuisse putem, quod verba μέλλουσαν δόξαν (πίστιν) ἀποκαλυφθῆναι multo melius fluunt, si ita collocantur, quam si praemissa voce δόξαν (πίστιν) diceretur: δόξαν (πίστιν) μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι, in quo id maxime ingratum est, quod una vox praecedit valde brevis, sequuntur duae, eaeque satis longae. Neque id tamen nobis volumus, Apostolum hoc dedita opera fecisse: nam talia eum fere negligere, certum est; hoc solum statuere licet, summum virum sponte sua, ingenii bonitate, eo delatum esse. Et alia in Epistolis illius nobis observavisse videmur ejusdem generis, e quibus, cum similia in scriptis Graecorum occurrant. vid. citatus a Borgero ad Gal. l. l. Bauerus *Philol. Thucyd. Paul.* p. 280 seqq. ex hoc igitur non minus, quam ex aliis hujus rei argumentis, efficere posse videaris, Apostolum, nec expertem fuisse literarum Graecarum, nec scripta Graecorum ignoravisse. Res non est hujus loci.

τέκνα Θεοῦ, et propter id ipsum κληρονόμοι; quibus cum continuo adjungat: ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως ἀπεκδέχεται τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ, nec ullum mutatae significationis signum appareat, planum esse videtur, τοὺς υἱοὺς τοῦ Θεοῦ eosdem esse illos, quos modo appellaverat, quosque κληρονόμους fore dixerat ipsius illius δόξης, in cujus magnitudine jam efferenda versatur. Cogitabimus igitur *eos, qui Deum benignissimum Patrem colentes, ad Ejusque se exemplum conformantes, amantissimi Numinis favore fruuntur et benivolentia insigni.* conf. Koppe ad vs. 14. Noesselt l. l. Fasc. II. p. 533 seqq. et quos citat cl. Borgerus ad Gal. III: 26.

'Αποκάλυψις proprie *actio* est *detegendi;* sed, ut supra in voce κτίσις jam animadvertimus, atque exemplo confirmatur infinitorum vocabulorum, quae forma quidem *activa* sunt, significatione crebro dicuntur *passiva;* vid. F. L. Abresch l. l. p. 28. sic quoque ἀποκάλυψις *passive*, seu, cum passivae saepe pro *mediis* verborum formis ponantur (conf. Winer l. l. p. 112. Kuinoel ad Act. XVII: 4. cl. van Voorst *Annot. in loca sel. N. T.* Spec. I. p. 26.) *media* seu *reciproca* significatione usurpari potuit de *eo*, *quod*, cum antea ab hominum oculis atque notitia absconditum fuerat, post, veluti *tegumento remoto*, omnibus *conspiciendum praebetur* seu *palam apparet.* conf. Schleusner in *Lex.* h. v. cl. van Voorst l. l. p. 19, 20.

'Αποκάλυψις τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ quid sit, planum faciunt verba vs. 18, ἡ μέλλουσα δόξα ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς, quae manifeste eodem pertinent, quamquam forma sunt paululum diversa. Nam quemadmodum ibi ἡ δόξα dicitur ἀποκαλυφθήσεσθαι, ita hîc *ipsi Christiani*, qua re aliqui Viri Docti inducti sunt, veluti Carpzovius l. l. p. 187. de Perponcher *de Brief van Paulus aan de Rom.* p. 91., ut verba sic explenda esse censerent: ἡ ἀποκ. τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ. Non satis gravi de causa, ut videtur. Etsi enim utrumque ad eandem *rem* revocetur necesse est, tamen hoc non eam vim habet, ut *singula verba* ab omni parte conveniant; quod cum ne in diligentioribus quidem scriptoribus locum habeat, multum abest, ut in N. F., solutiore illis, nec ad artis leges composito modo, conscriptis libris (conf. Joach. Camerarius in *Tractatu de forma orationis scriptorum Euang.* ab init. Ernesti l. l. P. I. S. II. C. 1. §. 4 seqq.) exspectari possit. Quamobrem sic melius statuemus, opinor: Paulum τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ nominasse, τὴν δόξαν, quam unusquisque huic adjunctam fore, sua sponte intelligeret, non disertis verbis appellavisse, eadem ratione, qua modo ἡ ἀποκάλυψις τοῦ Κυρίου ἡμῶν 'Ιησοῦ Χριστοῦ simpliciter dicitur. vid. 1 Cor. I: 7. 2 Thess. I: 7. 1 Petr. I: 7, 13. modo ἡ ἀποκάλυψις τῆς δόξης αὐτοῦ memoratur. conf. 1 Petr. IV: 13. Uti autem Jesus Christus, omnibus hominibus palam apparens, palam quoque faciet majestatem suam; sic Filii Dei, cum palam apparebunt, apparebunt ornati eo splendore, quem omnes coram intuebuntur. Siquid igitur cogitatione adjicere oportet, praestat adjicere voces ἐν δόξῃ, tamquam in loco Col. III: 4. Sectatores Christi leguntur φανερωθήσεσθαι ἐν δόξῃ, ut sententia perfecta haec foret: ἡ ἀποκάλυψις τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἐν δόξῃ. conf. Vorstius ad h. l. Recte, hactenus quidem, Erasmus: *donec palam fient Filii Dei*, nullo jure, credo, castigatus a Calvino.

Ex hisce autem una quoque probari non posse liquet, quo Noesseltus usus est, *illustrationis* vocabulum, siquidem hoc ita accipitur (ex aliqua parte enim ambiguum est) ut verbum ἀποκαλύπτειν idem significare statuatur, atque ἐνδοξάζειν, seu aliud huic conveniens. Quae opinio, e confusione *sensus*, ut videtur, cum *significatione* verborum orta: nam ἀποκάλυψις sine dubio *cogitanda* est longe et illustrissima et magnificentissima, quamvis id non illi ipsi *voci* inest, (vid. v. c. 2 Thess. II: 3, 8.) sed e perpetuitate orationis colligi debet; illud igitur et ab hoc loco prorsus alienum est: vs. enim 18 alia hoc verbo notio continetur: quae autem ibi, eadem non potest non hîc quoque vera esse; et pugnat cum constanti ejus usu: quippe ἀποκαλύπτειν respondet Hebraeo גלה. (conf. Schleusner in *Thesauro Philologico-Crit. in Graecos Interpretes V. T.* v. ἀποκαλύπτειν) et in N. T. frequentissime permutatur cum altero φανεροῦν; utrumque autem Latine sonare *patefacere*, *manifestum* seu *notum facere*, late demonstravit Voorstius, V. C. *Annot.* Spec. I. p. 17 seqq. Simili modo in voce φανερὸς peccavit Calvinus ad Phil. I: 13. peccaverunt postea alii. De differentia significationis et sensus egit Morus in *Dissertatt. Theol. et Philol.* Vol. I. p. 61 seqq. item in *Acroas.* Tom. I. p. 28 seqq. p. 54 seqq. et H. C. A. Eichstädt ibid. p. 56. Keil in *Elementis Hermeneutices N. T.* p. 65, 66. Egregie autem Chrysostomum secutus Theophylactus, citatus a Suicero l. l. Tom. I. p. 448. διὰ τοῦ εἰπεῖν, τὸ ἀποκαλυφθῆναι, ἔδειξεν, ὅτι καὶ νῦν ἔστι, κρύπτεται δέ· τότε δὲ ἀποκαλυφθήσεται, τουτέστι τελείως φανερωθήσεται. Conferri debet locus Col. III: 4. item Eph. II: 6, 8. 2 Tim. I: 9. Tit. III: 5. quibus perspicuum indicium inest, Paulum, quo omni dubio majorem esse eorum, qui Christum vere colerent, sempiternam felicitatem, evidentissime declararet, ut admirabili erat in dicendo gravitate, ita hoc enuntiavisse, ut affirmaret, eos hanc δόξαν *nunc ipsum jam* possidere; quod manifesto accipiendum est de hujus felicitatis non tam *usu*, quam *certa spe*. conf. Grotius ad Eph. II: 6; id, quod necessario ex eo quoque consequebatur, quod, quaecunque Christo acciderant, tristia non magis quam laeta, ad ipsos etiam Christianos traducere solebat. conf. Tholuck ad h. l. (3).

---

(3) Hoc tamen non solius Pauli proprium est. Eodem modo Petrus 1 Ep. V: 1. se dicit τῆς μελλούσης ἀποκαλυφθῆναι δόξης κοινωνὸν, quod non animadversum effecisse videtur, ut Pottus eo loco non ὢν, in *Praesentis*, sed ἐσόμενος, in *Futuri Participii* forma, addendum esse censeret. Male, ut puto. In antecedenti enim membro, quocum hoc arctissime conjunctum est, non hoc (ἐσόμενον), sed illud (ὢν), cogitandum es-

Sequitur, in hujus commatis cum proximo connexionem inquiramus, cui adjunctum esse videmus intercedente vocula γὰρ, unde fit, huic *rationem* inesse eorum, quae in illo dicta sunt. Non defuerunt quidem interpretes; e multis unum appello Schleusnerum in *Lex. h. v.*, qui hanc *Conjunctionem* modo idem significare putarent, quod δὲ, τοίνυν, οὖν, ut non nisi *continuationi orationis* inserviret declarandae; modo *vim* ei tribuerent *affirmantem*, ut positum esset pro δὴ, ἄρα, rel.; modo alia ratione versarentur in ejus ratione constituenda. Parum quidem recte, ut videtur. Quod enim cl. van Hengel in *Annot. in loca nonnulla N. F.* p. 90. persuasum sibi esse ait, hac *Particula* omnibus in locis vim contineri *causalem*, id cum rei natura prorsus consentaneum est. Quis enim facile crediderit, solam linguam Graecam, quae immensa instructa est, ut verborum universe, ita imprimis *Particularum*, quae dicuntur, copia; qua egregie exculta et accurate definita, usus est populus, cujus in acumine ingenii et admiribali subtilitate non minima pars laudis posita erat; talem igitur linguam, talibus hominibus propriam, eo nomine a ceteris linguis omnibus diversam esse, ut, quae singulis Particulis subjecta vis est, persaepe negligatur et prorsus perversatur; ut v. c. voci καὶ eadem notio tribuatur, atque Particulae γὰρ; huic vicissim crebro potestas insit vocabuli καί. Ut hoc in Hebraea lingua obtinuerit nonnumquam: quippe parum definitus est sermo Hebraeus; sed quis sibi persuadeat, linguam tam diligenter elaboratam, quam Graecam videmus, tam infinitam et vagam singulis fere Particulis adjunxisse potestatem? Quamquam ne in Hebraeam quidem linguam illud facile cadere posse putem, cum vel infima plebs, cujus perparum in sermonibus diligentiae inesse solet, tamen hoc non committat; quod si committeretur, perpetuitas et continuatio sermonis vehementer perturbaretur necesse esset. Hoc igitur tenemus, in vocula γὰρ hîc quoque memoratae *rationis causaeque* notam inesse; quae cujusmodi sit, nunc accuratius investigemus (4).

Cum

---

esse, quilibet facile perspicit, quare et in sequenti idem adjiciendum esse videtur. Res e dicendi ratione Pauli facile intelligitur, et forsan suspicio, brevi ante expromta, qua Petrum totam illam dictionem lectioni debere Epistolarum Pauli conjecimus, eo quoque confirmatur.

(4) Cum veritas interpretationis, quam nos hic sequimur, magnam partem contineatur ejus, quod defendere studuimus, veritate, non alienum fuerit, his pauca addidisse.

Praecipuus erroris fons fuisse videtur in *Ellipsibus*, quas cum saepe non agnoscerent Interpretes, ut tamen disputationis ratio sibi constaret, necessario cogebantur *Conjunctionibus* illis, quae a *Grammaticis* dicuntur, eam vim subjicere, quae orationis continuationi utcunque accommodata esset. Quod cum paulatim invaluisset, factum est, ut non tantum ibi, ubi Ellipsis subesset, sed aliis quoque infinitis in locis idem obtinere videretur. Imprimis vero haec ratio Literis Sacris adhibita fuit. Nam cum hae conscriptae sint ab hominibus, nec valde illis diligentibus in scribendo, et, ut erant Orientales, vehementiori animi affectu praeditis; utraque haec causa effecit, ut persaepe ab una re transirent ad alteram, intermediâ omissâ; cumque nemo ingenio celerior esset Paulo, neminis quoque scripta magis referta sunt Ellipsibus, quam hujus Apostoli. Quod non intellectum verae

eo-

Cum in superioribus non *certum* esse id, quod Christianis aliquando obventurum sit, scriptor affirmaverit, sed ingentem felicitatis eorum *magnitudinem*, quibus poterat verbis, praedicaverit, a vera ejus mente aberrare videntur illi, qui, Bezam, Noesseltum (l. l. p. 123.), Morum (vid. ejus *Praelectiones in hanc Ep.* p. 109.) aliosque auctores secuti, argumentum hîc reperiri opinantur, quo olim eventum habituram esse laetam illam Christianorum exspectationem, efficiatur; ne dicam, *talem* quidem confirmationem a populari Pauli ratione prorsus alienam esse videri, quare simile in Epistolis hujus viri argumentum nos quidem non reperisse fatemur. Neque vero melior causa videtur esse Calvini, Hyperii, Bosveldi, al., *κτίσιν exempli* loco sectatoribus Christi ad imitationem proponi putantium, quo hu-

---

eorum interpretationi non sane profuit. Quamquam enim levissima res esse videtur *nam* dicas, an *et*, *vere*, *profecto*; tamen cum in hac re omne positum sit sententiarum inter se conjunctionis momentum, confusis illis notionibus, ipsa disputatio confundatur necesse est.

Quod autem de Ellipsibus diximus, id a peritissimis quibusque Grammaticis dudum observatum est. Neque tantum Hebraïce et Graece, sed etiam Latine ita voculas v. g. *nam*, *namque*, *enim* usurpatas invenimus, ut sit aliquid cogitando his praemittendum. vid. v. c. Cic. *de nat. Deor.* l. I. C. 11, 23 et leg. omnino Scheller. in *Praecept. stili bene Lat.* p. 493—496. ed. 2. qui egregie hoc explicuit. Cum autem nemo Latina illa: *nam*, *enim* cet. facile dixerit idem sonare, quod *sed*, *autem*, *profecto*, *vere* cet., si quidem nobis constare volumus, idem de Graecis et Hebraïcis confiteamur, necesse est; praesertim cum omnia fere loca hoc modo commode queant explicari; et, si in nonnullis aliqua difficultas superest, haec non potest id, quod magnam interpretationis partem continet, penitus incertum reddere. Denique in nonnullis dictionibus tam antiqua est tamque constans Ellipsis, ut, hac neglecta, possimus nullo sensus incommodo, et vero debeamus, causalis v. g. Conjunctionis vim cum alia quadam permutare, non quo aliam illa vim habeat, sed quia, si Ellipsis non expletur, possunt quoque alio, eoque aeque apto et vero modo, cogitata inter se connecti. conf. Zeune et Herman citati a cl. van Hengel l. l.

Ceterum quod vidimus, ne plebem quidem solere *causali Particulae* vim tribuere voculae *et* cet., id magno argumento esse videtur, ne antiquos quidem Hebraeos id ullo modo commisisse. Hoc quidem unusquisque facile largiatur necesse est, cum sermo Hebraeus, ut reliquis vocabulis, ita quoque *Conjunctionibus* valde inops sit, singŭlarum magis vagam et infinitam esse potestatem, quam v. g. in Graeca lingua; unde tamen minime consequitur, voculam, quae *origine* causalis est, etiam aliam *quamcunque* connexionem indicare; hoc solum colligi potest, Particulam aliquam, veluti literam ו, quia *cujuslibet* conjunctionis indicio est, etiam ibi posse poni, ubi nos, qui accuratius connexionis rationem definire solemus, usurparemus *causalem*. Cum autem longe plurima Hebraïsmorum, qui dicuntur, pars ex eo sint genere, ut non tantum Hebraeis, verum etiam aliis hominibus omnibus, qui non satis linguam perpolitam habent, ob puerilem sermonis indolem, proprii sint; haec res nostrae quoque plebis exemplo confirmari possit, quippe quae, vulgo parum curans, qualis inter singulas sententias necessitudo intercedat, crebro simplici *et* uti consuevit. Non autem in N. F. puerile illud dicendi genus reperiri, quod in V. T., supra jam significavimus, nec aliter fieri potuit; quo magis enim homines in humanitate proficiunt, eo magis lingua excolatur necesse est; et cum Paulus multo quam antiqui Hebraei subtilius disserere soleat, subtiliori quoque sermone uti oportebat. Sed si vel haec falsa essent, tamen Particula *origine* et *vulgari usu* causalis non videtur pro alia quacunque Conjunctione potuisse poni.

Scribentes longiores fuimus, quam voluimus. Penes vos, Viri Clarissimi! de his, ut de ceteris omnibus, judicium esto!

hujus patientiam ipsi animo vitaque exprimerent. Profecto e singulari genere exemplum, cujus veritas et pondus non injuria addubitetur; Apostolus autem, hoc si cogitavisset, τῆς κτίσεως non ἀποκαραδοκίαν, sed ὑπομονὴν memoraturus fuisse videtur. Non multum recedit Grotius, qui « Christianos," inquit, « Paulus dupliciter con- « solatur: primum quod tota rerum universitas rerum vicibus et interitioni sit ob- « noxia; stultum autem sit sibi optare, quod mundus non habet. cet." Sed cum illa τῇ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη non nisi rationem contineant praecedentium: ἡ κτίσις ἀπεκδέχεται τὴν ἀποκάλυψιν τ. υ. τ. Θ., sequitur, caput rei versari in τῇ ἀποκαραδοκίᾳ, qua ἡ κτίσις ἀπεκδέχεται; subjuncta illa: τῇ γὰρ ματαιότητι κ. τ. ἑ. non nisi illustrandi superiora ergo adjecta esse. Qui autem comma 19 cum vs. 17. intime conjunctum velint, vocem ἀκοκάλυψις opinioni suae contrariam habent: haec enim evidenter connexionem indicat hujus versus cum 18, in quo quod legitur verbum ἀποκαλυφθῆναι ansam dedit de τῇ ἀποκαλύψει τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ latius disserendi. Sed quid quaerere necesse est, quod sponte se objicit? Futuram Christianorum felicitatem summis laudibus celebraverat; illustrissimam et splendidissimam fore dixerat; addit ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία κ. τ. ἑ. quid, quaeso, aliud his verbis inesse potest, nisi argumentum splendoris illius, quem modo praedicaverat? Judicavit hoc quoque cl. van der Palm ad h. l. item Theodoretus, cujus verba p. 29. jam descripsimus. Nec dubium est, quin, quod solet ille, vid. Ernesti *Inst. Interp. N. T.* P. III. C. IX. §. 19. Morus in *Acroas.* Tom. II. p. 243, 244. summum illum Chrysostomum secutus fuerit, qui sane quam venuste: καθάπερ τιθηνὴ, ait, παιδίον τρέφουσα βασιλικὸν, ἐπὶ τῆς ἀρχῆς ἐκείνου γενομένου τῆς πατρικῆς, καὶ αὐτὴ συναπολαύει τῶν ἀγαθῶν· οὕτω καὶ ἡ κτίσις. conf. Tholuck l. c. p. 288.

Haec autem ideo paulo diligentius persequenda esse rati sumus, quia veritas eorum, quae antea disputavimus, partim quidem, apta est e legitima hujus commatis cum antecedenti copulatione. Totum sic interpretamur: *nam ardentissime* (maximo cum desiderio) *natura rerum exspectat eventum illud, quo qui Deo se probarunt, palam apparebunt* (summo honore affecti). De Prosopopoeïa ac sensu et paulo ante jam nonnihil praecepimus, et dein, ubi ad finem ventum erit vs. 22, aliquid addemus.

Diversitatem scriptionis ad hunc locum rejecimus, quia receptam lectionem non est, quod immutemus; hîc paucis attingamus.

Pro ἀποκαραδοκία καραδοκία habet Cod. 55., quod facile oriri potuit a vicina voce ἀποκάλυψις: καραδοκία enim quandoquidem librario forsan magis cognitum erat, quam ἀποκαραδοκία, conjecit Praepositionem ἀπο perperam ab ἀποκάλυψις ad καραδοκία quoque traductam esse.

Κτίσεως Cod. 37 et Matthaeianus *m*; hic quidem in margine, conversum praebent in πίστεως. Potuit hoc vitio accidere oculorum; potest quoque conjectura esse alicujus, qui illud non satis intelligens, alterum, πίστεως, substituendum esse judicacaret, πίστις ut diceretur pro πιστεύοντες, quam loco Rom. I: 17. veram hujus vocis interpretationem esse aliqui e recentioribus quoque Interpretibus statuerunt. vid. v. g. Vatablus.

Ab eodem emendandi dicam an depravandi? studio fluxit id, quod *Versiones Armenicae*, cum antiquior, tum posterior; sed haec non nisi in margine, (vid. de his Beausobre et L'Enfant, *le Nouveau Testament*, *Préface génerale* p. 211, 212. Hug l. l. Tom. I. p. 398 seqq.) item Cod. *70*, teste Treschowo, sequuntur, ut pro τὴν ἀποκ. τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ponatur τ. ἀ. τοῦ υἱοῦ τ. Θ. Causa in promtu est. Ἡ ἀποκ. τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χ. i. e. τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ memoratur non semel; τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ numquam; qua re error convinci videbatur. Nos hunc errorem teneamus.

Commata 21 et 22. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα· ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ.

En *causam*, quae flagrans illud desiderium ac laetam exspectationem et excitet et confirmet! τῇ γὰρ ματαιότητι, inquit, ἡ κτίσις ὑπετάγη κ. τ. λ.

Ματαιότητος nomine universe significantur illa, quae *frustra* sunt fiuntque: quippe μάταιος, auctore Valckenario, l. l. Tom. I. p. 513. proprie est *frustra quaesitus;* quare qui *mendax* est et *levis*, is μάταιος dicitur: nam *frustra* (μάτην) i. e. nulla de causa, aliquid affirmat vel agit; deinde cui insita *arrogantia* et *insolentia* est, ipse quoque appellatur μάταιος: utpote *frustra*, i. e. nullo jure, insolenter se jactat; denique quaecunque res *fructum nullum affert*, sed spem misere destituit, ματαία vocatur: etenim *frustra* spem fiduciamve in ea reponeres. Bene Gregorius Nyssenus, citatus a Schleusnero in *Thesauro laud. h. v.* ματαιότης ἐστιν ἢ ῥῆμα ἀδιανόνητον, inquit, ἢ πρᾶγμα ἀνόνητον, ἢ βουλὴ ἀνυπόστατος, ἢ σπουδὴ πέρας οὐκ ἔχουσα, ἢ καθόλου τὸ ἐπὶ παντὶ λυσιτελοῦντι ἀνύπαρκτον. Nihilo tamen minus omnino observandum esse putem, ut in aliis vocabulis quam plurimis, sic etiam in hoc, rationem dicendi Graece loquentium Judaeorum a germana Graecae linguae consuetudine paululum diversam fuisse. Cum enim illi, ad declarandam vim Hebraïcae vocis cujusque, solerent illam Graecam deligere, cujus prima et princeps significatio proxime accedere videretur ad primam Hebraïci cujusque nominis significationem, atque Graeco illi singulas tribuerent significationes Hebraïci, cf. Ernesti l. l. P. III. C. VII. §. 7. factum est, ut voces μάταιος et ματαιότης universe quidem idem Hellenistis, qui dicuntur, significarent, atque veris Graecis; hoc tamen discriminis intercederet, ut, cum Hebraei quidquid *instabile* et *inconstans* esset, quodcunque *non permaneret*, sed *cito evanesceret*, id הבל (proprie *halitus*, *vapor*) appellare solerent, Graeco ματαιότης etiam haec significatio a Judaeis adjungeretur, quae haud scio an bene Graece loquentibus prorsus insolita fuerit, perinde atque Latinum *va-*

nitas ea significatione ab antiquis Latinis non facile usurpatum reperias. conf. Eccl. VII: 15. IX: 9. et vid. Schleusner in *Thes.* l. l.

Restat igitur, quaestionem dissolvere conemur, quae in loco ad Rom. amplectenda significatio sit; qua de re admodum variae sunt Virorum Doctorum sententiae: aliis cum Schleusnero *ματαιότητα miseriam* reddentibus; aliis, et iis quidem longe pluribus: Tertullianum dico, Lutherum, Aretium, Venemam (vid. ejus *Annot. ad Analysin paraphr. hujus Ep. auctore* Steph. de Brais p. 303, 304.) Moldenhauerum (in *Gründliche Erklärung der schweren stellen der Heiligen Büchern N. T.* Tom. II. p. 102.) cet. *improbitatem* vel *pravum usum* vertentibus; *cultum falsorum Deorum* intellexerunt Beausobre et L'Enfant, Semler, rel.; denique Flatt existimavit ille quidem *fragilitatis* notionem esse tenendam, sed adjuncta tamen altera *calamitatis miseriaeque.* Verum enim vero, ut de postremo primum dicamus, quo jure illam interpretandi legem, his verbis ab Ernestio conceptam l. l. P. I. S. I. C. I. §. 5. p. 18. « Etsi consuetudo plures significationes tribuit eidem verbo, — tamen in utendo, singulis in rebus singulisque modis loquendi, unam tantum adjungit verbo cuique." conf. Morus in *Acroas.* Tom. I. p. 55 seqq. hanc igitur quo jure liceat migrare, obscurum est; ne dicam; id quod brevi post ostendere conabimur, *ματαιότητα* non esse *miseriam.* — Plurium cultum Deorum *vanum* esse, quis neget? Sed non vicissim quidquid vanum est, id talis cultus est; qua de causa cum huic loco nulla indicia insint, quae *illud* vanitatis *genus* intelligi demonstrent, atque hujus commemoratio nihil cum consilio Pauli habere videatur conjunctum, hoc quoque repudiamus. Eodem modo de *malo usu* vel *perversitate* judicamus: quamvis insolentia vel levitas sine dubio in vitio sit, tamen non omnem vitiositatem in insolentia aut levitate versari; et ut illis in locis ubi *ματαιότης* (און) *τοῦ νοὸς* appellatur, possit forsan, non valde sensu mutato, *vitiositas* converti, tamen si veram volumus vocis potestatem tueri, omnino animi intelligeudam esse *levitatem*, quae in maximorum causa peccatorum esse solet. Citavit quidem in contrariam partem Schleusnerus dictum Pauli Eph. V: 17. sed haud scio an eo ipso illud confirmetur, quod modo statuimus. conf. Rom. I: 21. Pauca, sed egregia ad eum locum notarunt Beausobre et L'Enfant, veram ejus rationem perspicue aperientes. Denique eadem fere causa est, quare non *miseriam* interpreter. Miserum quidem est, si omnia spem tuam *frustrantur*; non quaecunque hanc destituunt, continuo miserum reddunt; unde liquet, male in hac re ad locum provocari Job. VII: 3. coll. vs. 16. utpote ibi universa orationis indoles modusque eam destitutae spei falsaeque rationem cogitari jubet, quae maximam calamitatem infert. Nec facile putem dictum Ps. XXXVIII: 13. (in Graeca editione XXXVII: 12.) *οἱ ζητοῦντες τὰ κακά μοι ἐλάλησαν ματαιότητας* huc posse revocari:

nam vox *ματαιότητες* etsi respondet Hebraïco הוות, hoc autem a plerisque interpretibus *calamitas* redditur. conf. van der Palm et Muntinghe, VV. CC. ad h. l.; tamen quis affirmet, Alexandrinum interpretem ita cepisse? certe nec recentiores inter se prorsus consentiunt. vid. Alb. Schultens *in Prov.* p. 85, 86. ejusdemque *Op. min.* p. 68, 213, 214, nec Graecus ille sic intellexisse videtur: nam cum Ps. V: 10. (Graece 9.) idem illud הוות Adjectivo reddidit *μάταιος*, unusquisque videt, non miseriam ab eo cogitatam fuisse. Quare sic potius existimem, eum, cum incertus haereret, hac non omnino incommoda *ματαιότητος* (*insolentiae*) voce usum esse ad vim Hebraïcae utcunque declarandam. Probatur id Ps. LII: 9. (LI: 7), a quo tamen brevitas nos jubet desistere, nec diutius urgere necesse est: nam ex uno duobusve locis, iisque dubiam interpretationem habentibus, nemo illud efficiat, quod vulgari loquendi consuetudine refelli videatur.

Quid igitur *ματαιότης* est? Hoc quo certius appareat, sequentia oportet consideremus. Namque recte Limborchius in *Comment.* ad h. l. p. 377. J. A. Turretinus in *Annot. ad hanc Ep.* Op. Tom. II. p. 360. et diu ante Theodoretus, quo hîc *ματαιότητος* vocabulum, eodem vs. 22. referri statuerunt vocem *φθορὰ*; quod omnino verum esse, sic efficio. *Τῇ ματαιότητι* universitas rerum subjecta esse dicitur, non lubens volensque, sed coacta et invita; verumtamen se liberatum iri sperat *ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς*. Sed a qua alia se liberam fore speret, nisi ab ea, cui serviat invita i. e. *ἀπὸ τῆς ματαιότητος*? Quod argumento est, utrumque nomen, quamvis forma discrepans, tamen re consentire, atque eodem pertinere. Jam vero cujnsmodi intelligenda est *φθορά*? Videtur hoc docere id, quod vs. 23 legitur, *ἡ ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος ἡμῶν*, quae cum eadem re, qua superiora illa (*ἐλευθέρωσις ἀπὸ τῆς φθορᾶς* seu *ματαιότητος*) conjuncta sint, necesse est. Scribit Apostolus vs. 21. naturam rerum in ea spe versari, fore, ut ipsa quoque possit aliquando servitutem exuere *τῆς φθορᾶς*, atque in libertatem venire Filiorum Dei; in quibus illa *ipsa quoque* testimonio sunt, naturam, ab eodem malo solutam, ejusdem (quod malo illi contrarium sit) boni fructum percepturam esse, quo fruentur Filii Dei. Quid autem illud est, quod his obtinget? Nihil sane aliud, nisi *ἡ ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος*, in cujus exspectatione versari Christianos, ostendit vs. 23. quae verba deinde probare conabimur spectare ad immortale illud, robore florens atque vigore, corpus beatorum, quod eorum nulla experietur, quibus nunc corpus affligitur, sed ab his penitus erit liberum. Igitur cum in hac re cernatur *ἡ ἐλευθερία τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ*; quae ei opposita est *φθορὰ*, ejusmodi existimanda esse videtur, ut sit in statu fluxo, caduco, fragili, qui interitum inferat rebus, cumque eodem pertineat *ματαιότης*, haec non potest non ad eandem illam conditionem referri; unde colligimus, non v. g. *levitati* hominum naturam his verbis subjectam esse dici, sed unice probandam esse eam, quam ultimo loco posuimus, nominis hujus significationem, qua *conditio* indicatur *caduca* et *fragilis.* conf. **Grotius** ad h. l. et **Zachariä** in *Paraphr. Erklärung der Briefe Pauli*, Tom. I. p. 53.

Ceterum quam modo illustravimus convenientiam vocum *ματαιότης* et *φθορὰ*, haec effecisse videtur, ut in Cod. 67. pro *ματαιότητι* ab aliquo substitueretur *φθορᾷ*, quod posterius primum, ut videtur, explicandi gratia margini adscriptum, postea in contextam orationem ipsam illatum fuit.

Huic *ματαιότητι*, tamquam durae herae, natura rerum *ὑπετάγη*, *subjecta est*, h. e. ut recte annotavit **Grotius**, *subest*, *ὕπεστι*, posito verbo *passivo* pro *neutro*, ut saepe fit. vid. Matth. XIII: 24. coll. vs. 31. Rom. I: 21, 22. Hebr. II: 9. verbo enim *ὑπετάγη* non aliquid significari, quod *olim* sit factum, sed id, quod *constans* atque *perpetuum* sit, et ipsa hujus loci ratio ostendit, et elucet e voce *δουλεία* vs. 22, quae, cum eodem refertur, manifestam *perpetuitatis* notionem habet.

Sequentia *οὐχ ἑκοῦσα* *non sponte sua* transferas cum **Hilario**, **Ambrosio**, **Beza**, **Moro**, an vero, quod **Tertullianus** habet, *invita*, parum refert; nec magnum pretium statui potest lectioni Codicum F et G (de quibus conf. **Hug** l. l. Tom. I. p. 293 seqq.) qui pro *ἑκοῦσα* offerunt *θέλουσα*, quod ab aliquo interpretamento ortum esse videtur. Hanc vero secutae quoque sunt *Versiones Latinae*, cum antiqua illa, quam **Semlerus** suae hujus Epistolae *Paraphrasi* subjunxit, tum *Vulgata*. Quod autem **Valckenarius** l. l. Tom. II. p. 241 — 244 existimat, *ἕκοντα* proprie dici *eum*, *qui venit liber et aliorum injussu* i. e. sua sponte; *ἄκοντα*, non qui *invitus*, sed *qui aliorum jussu* h. e. non sua sponte, venit; id, quamvis vocum si originem spectas, veritati consentaneum esse videtur, tamen consuetudo eam his vocabulis vim adjunxit, ut alterum recte *volens*; *nolens*, *invitus* alterum convertatur, quare in disjunctionibus opponi solent *ἑκὼν* et *πρὸς βίαν*, *ἑκὼν* et *ἀναγκαζόμενος*, *ἑκουσίως* et *ἀναγκαστῶς* vid. **Venema** l. l. p. 304. conf. 1 Petr. V: 2. Et omnino malim, si tanti res esset, vocibus *nolens*, *invita* h. l. uti, quam *non sua sponte*: hoc enim languidius, quam ut aptum sit durae isti servituti, quae magnos gemitus exprimere dicitur vs. 22. Brevius autem Paulus sic dixisset: *ἡ κτίσις ὑπετάγη ἀκοῦσα* (nam haec vis est illius *οὐχ ἑκοῦσα*, quod per *λιτότητα* seu *μείωσιν* positum est) sed quae addere volebat: *ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα*, ut ita orationem strueret, effecerunt.

διὰ τὸν ὑποτάξαντα. *Διὰ* **Castalio** interpretatur *per*; ceteri plurimi *propter*, quorum ego rationem potiorem esse censeam, cum quia hoc magis accommodatum esse videtur ad verbum *ὑπετάγη*, positum, ut vidimus, pro *ὕπεστι*; tum quoniam is vulgaris Praepositionis hujus usus est, ut, sequente *Accusativo*, significet non *causam*, sed *rationem*, non *per*, sed *propter*. Luculentissimum illius discriminis exemplum reperitur Hebr. II: 10, ubi cum Deus dicitur esse is, *δι' ὃν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα*, manifestum est, hoc ad *causam*, illud ad *rationem* referri. cf. cl. **Abresch** ad Hebr.

VI: 7. l. l. Spec. III. p. 409. nec dubium est, quin, scriptor si tantummodo posuisset δι' ὃν τὰ π., nonnulli Viri Docti hoc reddituri fuissent: per *quem sunt cuncta*; id, quod latiore hac dictione refellitur. Sensus cum significatione permutatio hîc quoque errorem peperisse videtur: ad sensum enim saepe parum interest *per* dicas, an *propter*; significatio vere differt. Sic, ut unum aliquem locum sumam, ubi διὰ cum Accusativo Latine convertendum esse *per* existimatur; cum Matthaeus Euang. XXVII: 18. Pilatum probe perspexisse narrat, Jesum sibi traditum esse διὰ φθόνον, sensus quidem idem manet, si *per* invidiam transtuleris; sed veritas interpretationis requirit: *propter* invidiam, seu, quod eodem redit, *prae* invidia. Non vera culpa, sed mera invidia, *ratio* erat, *cur* Jesus reus factus esset a viris Judaeorum principibus. Eodem modo in reliquis versandum esse videtur. (5) conf. Matthiä, *Ausführliche Gr. Grammatik* §. 580. n. 2. Winer l. l. p. 162. Bene Theodoretus: τρεπτὴ ἡ κτίσις ἐγένετο, inquit, οὐχ ἑκοῦσα μὲν, τοῦ δὲ δημιουργήσαντος ἀσπασαμένη τὸν ὅρον. conf. Koppe ad h. l. nam διὰ τὸν ὑποτάξαντα brevius scriptum est pro διὰ τὸ θέλημα τοῦ ὑποτάξαντος; hoc enim vel simile quid saepe omittitur, veluti in hoc ipso Cap. vss. 1, 4, 5, 12, 13, 27, add. XV: 5. 2 Cor. X: 2. 3. al. Verbo ὑποτάξαντα non ἑαυτῷ adjiciendum esse putem cum doct. Ger. de Haas, *Het vijfde en drie volgende Hoofdstukken van den brief aan de Rom. verklaard.* Tom. III. p. 288, 289. hoc enim, ut ambiguitas evitaretur, (de qua re mox) ipse Paulus omnino addidisset; sed ἐκείνῃ i. e. τῇ ματαιότητι, quod universa hujus loci ratio declarat. Sed quis est ὁ ὑποτάξας? Sunt, qui *Diabolum* cogitent, in quibus est Lockius, quem memorat Koppe ad h. l. alios citavit Wolfius in *Curis.* Verum nec sententia valde favet, nec Paulus, cum malus ille genius in superioribus non appellatus esset, nomen ejus reticuisset. *Adamum* intellexit Jac. Cappellus, cui opinioni eadem obstare videntur. Nam unde, quaeso, agnoscas *hujus*, non *Dei*, quod creberrime fit, nomen omissum esse? Ad *homines*, universe spectatos, id retulerunt Beausobre et L'Enfant, rev. van Heyningen in *Bijbeloefeningen* ad h. l. et cl. van der Palm, qui tamen nec vulgarem interpretationem repudiat, quam nos quoque potissimum sequendam esse putemus. Constat enim, Sacros Scriptores saepe oomittere nomen *Dei*, quippe quod unusquisque facile mente adjicere possit. vid. Col. I: 19. ubi conf. Grotius. vid. et 2 Reg. XXIII: 19. Act. XXVI: 7. Rom. VII: 6. IX: 4. 2 Cor. IV: 14. Phil. II: 8. Hebr. I: 5 seqq. VIII: 5. et quemadmodum hîc Deus dicitur ὁ ὑποτάξας (τὴν κτίσιν τῇ ματαιότητι), sic idem 1 Cor. XV: 27, 28. appellatur ὁ ὑποτάξας τῷ Χριστῷ τὰ πάντα. cf. *Christel. Magazijn*, Tom. III. p. 295, 296 in nota. Ceterum probabile est, Pauli animo obversatam esse historiam, quae Gen. III: 16 seqq. prodita est. cf. Theodoretus et Tholuck ad h. l.

---

(5) Eodem modo Latinum *propter* interdum sic ponitur, ut nonnullis idem, quod *per*, significare videatur. Veluti Cicero pro *Roscio Am.* Cap. 22. parentes vocat *propter quos hanc suavissimam lucem adspeximus*, ubi Schellerus adeo, vir ceterum de imminuendis potius, quam augendis vocabulorum significationibus sollicitus, *propter* significare putat *per.* vid. ejus *Praecepta stili bene Latini*, p. 408. ed. 2. ejusdemque *Lexicon Lat.* h. v. Non necesse est. *Quia* parentes liberis operam dederunt, *ideo* nos procreati sumus. Ad locum autem, quem ex Euangelio Matthaei adduximus, prope accedunt illa Ciceronis *propter* metum poenae novos motus conversionesque reipublicae quaerere; *propter* avaritiam calamitates inferre. vid. pro *Sext.* Cap. 46. pro *Lege Manilia* Cap. 13. quibus non dissimile est, quod Clemens Romanus scripsit in 1 Ep. ad Cor. Cap. V. διὰ ζῆλον καὶ φθόνον — ἐδιώχθησαν.

ἐπ' ἐλπίδι quo pertineat, controversum est. vid. Wolf et Koppe ad h. l. nonnullis ad proximum ὑποτάξαντα referentibus, aliis ad verbum ἀπεκδέχεται, denique aliis ad Aoristum ὑπετάγη. De singulis breviter.

Qui cum Participio ὑποτάξαντα copulent, haud exiguo sunt numero. Praeter Theodoretum, de quo vid. Hug l. l. Tom. I. p. 250. verba sic connectenda esse defendunt Lutherus et Heumannus, citati a Koppio; praeterea Erasmus, Hyperius, Castalio, Crellius (vid. ejus *Comment. in hanc Ep.* in *Bibl. Fratr. Polon.* Operum Exeget. Tom. I. p. 139.) Millius, Noesseltus, Morus, Findeisenius, Schottus, rel. Non recte, ut puto. Ait Paulus vs. 19. naturam rerum maximo cum desiderio exspectare palam in Filios Dei collatam dignitatem; cujus dicti ut veritatem confirmet, illa subjungit, τῇ γὰρ ματαιότητι κ. τ. ἑ. quibus idcirco *causam* exspectationis contineri, evidentissimum est; at vero non contineretur, nisi voces ἐπ' ἐλπίδι ad *primariam*, quam appellant, *sententiam* forent revocandae: non enim quidquam exspectes, nisi ejus certa spes tibi sit subjecta, cujus tamen mentio hîc prorsus deesset: etenim haec οὐχ ἑκοῦσα κ. τ. λ., quibus continuo verba ἐπ' ἐλπίδι annectenda essent, non tam pertinent ad vs. 19, quam ad verbum ὑπετάγη, cujus rationem accuratius explanant.

Itaque vel cum verbo ἀπεκδέχεται conjungere oportet, quod voluit Alberti, *Observ. Philol. in N. T.* p. 309., et Venema l. l. p. 304, vel cum Aoristo ὑπετάγη, quemadmodum fecit Chrysostomus. vid. Hug l. l. Tom. I. p. 250. fecerunt postea alii, Grotius, Griesbachius, plerique ceteri. Si illud mavis, Apostolus, paucis interjectis, quibus ostendit, cur praesentis conditionis naturam rerum taedeat, hîc, a verbis ἐπ' ἐλπίδι, orditur explicare, quare plenam illam piorum felicitatem desideret. At vero, hoc si voluisset, omnino videtur scripturus fuisse: τῇ μ. ἡ κ. ὑπετάγη ἀκοῦσα, διὰ τὸν ὑποτάξαντα: hoc enim caput rei erat, quod *invita* subjecta esset, cujus rei mentioni in *primaria* sententia locus erat tribuendus; quod cum neglexerit, atque voces οὐχ ἑκοῦσα — ὑποτάξαντα verbo ὑπετάγη explicandi tantum gratia addiderit, melius profecto, illis οὐχ ἑκοῦσα — ὑποτάξαντα in parenthesin inclusis, voces ἐπ' ἐλπίδι cum ὑπετάγη connecti videntur.

Sed hanc altera excipit, eaque longe gravior, de conjungenda oratione quaestio, ad quam nunc pergimus illustrandam. Fuerunt jam olim, qui post ἐλπίδι majoris po-

posita distinctionis nota, consequentia *ὅτι καὶ αὐτὴ κ. τ. λ.* a praecedentibus sejungerent, quo facto, ut aptius oratio continuari videretur, *ὅτι* (*nam*) conversum fuit in *διότι* (*propterea quod*), quemadmodum tempore *Editionis communis* (*κοινῆς*, *δημοτικῆς*. vid. Hug l. l. Tom. I. p. 144, 145.) in quibusdam Codicibus scriptum fuisse, testimonio sunt Codd. DFG, qui cum crebro inter se consentiunt, tum communem solent Editionem referre, quam sequuntur quoque non raro Latinae Versiones Hieronymum aetate antecedentes cf. idem p. 145 seqq. p. 459 seqq., ex quibus ea, quae, a Semlero edita et supra jam memorata est, etiam hoc loco Graecum tuetur non *ὅτι*, sed *διότι*. Ut autem haec a proximis sic distraherentur, insolita effecisse videtur ejusdem nominis (*κτίσις*) in eadem sententia iteratio (*ἡ κτίσις ὑπετάγη — ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις*), quod incommodum, levi hac medela adhibita, facile tolli posse existimabatur. Nos, cum posterioris hujus *κτίσις* satis sit longinqua a priore distantia, hac re nihil prorsus offendimur. cf. supra p. 19. add. Grotius ad Eph. IV: 16.

Sed ne recentiori quidem aetate omnes Interpretes in eo consenserunt, haec cum superioribus tam arcto vinculo cohaerere. cf. Erasmus, Calvinus, Hammondus, Michaëlis, Semlerus, Noesseltus, al., qui antiquam illam rationem non respuendam esse judicaverunt. Dubito, an recte. Etenim, ut taceam, cum Paulus versetur in ratione exponenda, cur natura rerum exspectet, longe magis consentaneum esse videri, ut dicat, non quid *ipse* sciat olim futurum esse, sed quid *illa* speret; vocula *ὅτι* debet illa quidem frequentissime Latino *nam* converti, non tamen hoc loco, ut opinor. Quidni enim, antecedentia si argumento quodam firmare scriptor voluisset, potius posuisset Particulam *γάρ*? Nam cum *ὅτι* optime referri possit ad vocem *ἐλπίδι*, ut argumentum ejus sequentibus significet contineri, Apostolus, nisi fere dedita opera ambiguam orationem effecisset, sine dubio illud, non *ὅτι*, scripsisset (6).

Vulgarem igitur rationem omnino amplectendam esse putamus: nam quod Heumannus aliique defenderunt (cf. Koppe ad h. l.), verbis *ὅτι — φθορᾶς* in Parenthesin inclusis, voces *εἰς τὴν ἐλευθερίαν κ. τ. λ.* referendas esse ad *ἐλπίδι*, id quidem nemini, credo, facile probabitur. Nam quis infitietur, id, quod vel forma orationis testatur, illa *ἡ δουλεία τῆς φθορᾶς* et *ἡ ἐλευθερία τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ*, vere esse disjuncta atque inter se reapse opposita? De distinctione satis; interpretationem adeamus.

---

(6) Saepius suspicio mihi orta est, annon haec apta ambigua loca interpretandi lex possit constitui: In dictis hujusmodi, quae duas pluresve interpretationes ferunt, ea reliquis anteferenda est interpretatio, quae talem verbis sententiam attribuit, ut Auctor, si vel voluisset, non tamen facile potuisset, alio modo mentem suam explicare; istae rejiciendae, quarum ea ratio est, ut possint quidem e verbis, grammatice expositis, recte derivari; sed eum tamen sensum dictis subjiciunt, qui et alio, eoque non minus apto modo, facile potuit declarari. Quis enim prudens Scriptor non ambiguitatem devitat?

ἐπ' ἐλπίδι Erasmus et Schleusnerus interpretantur *sub conditione spei*; sed cui placeat illud: *natura rerum fragilitati subjecta est* sub conditione spei? Beza et Piscator habent *sub spe*, quod ipsum ambiguitatis ergo nova interpretatione indiget. Denique, quod *Belgica Versio* et Crellius probaverant *in spe*, forsan quidem rectum est; sed quid, si Graeca his reddimus Latinis: *simul in hac spe versata*? Praepositioni ἐπὶ hîc quoque optime propria sua vis tribui posse videtur. *Propriam* vim dico: nam ἐπὶ, sequente *Dativo*, proprie significare videtur *apud*, seu potius, cum *apud* etiam de rebus dicatur paulo quidem remotioribus, *proxime*: sic enim facile variarum formularum, in quibus haec vocula occurrit, v. c. ἐπὶ τούτῳ, ἐπὶ τούτοις i. e. non universe *post* (μετὰ) hoc, sed *continuo* post, dum nulla res ejusdem generis alia *interim* evenit; praeterea dictionis ἐφ' ᾧτε, ἐπὶ τούτοις, ὥςτε, cet. ratio explicari posse videtur. cf. Schleusner in *Lex.* h. v. Vigerus *de Idiot. ling. Gr.* Cap. 9. Sect. 4. Reg. 17. Krüger in *Indice Verborum ad* Xenophontis *Anabasin* p. 456. Cum enim proprie de loci *vicinitate* usurparetur, mox ad aliam *quamlibet* conjunctionem referri potuit. Quemadmodum igitur, cum Euripides (vid. *Iphig. Aulic.* vs. 1162.) his verbis Clytaemnestram utentem facit: ἐπὶ δὲ δακρύοις Μόνη κάθημαι; aut Cassandram sic inducit loquentem (in *Troad.* vs. 315 sqq.) Ἐπεὶ σὺ, μᾶτερ, ἐπὶ δακρῦσι καὶ Γόοισι τὸν θανόντα πατέρα πατρίδα τε φίλαν καταστένουσ' ἔχεις, κ. τ. λ. in his igitur sicuti dictio ἐπὶ δακρύοις s. δακρῦσι explicanda est ὁμοῦ δακρύουσα (cf. Herodotus L. 9. C. 82.) ita, quod Paulus scripsit ἐπ' ἐλπίδι recte converti posse videtur in ὁμοῦ ἐλπίζουσα, h. e. *una*, *simul* sperans. Possunt quidem nonnulla in contrariam partem disputari, sed quae nec magnam ad convincendum vim habere videntur, et nos brevitatis ergo cogimur praetermittere. cf. 1 Cor. IX: 10. 2 Ep. I. 4. 1 Thess. III: 7. quibus in locis Graecum ἐπὶ Belgico respondere videtur *bij*. vid. quoque Storrius Opusc. Vol. I. p. 302. not. *d*.

Ceterum recte Piscator ἐπ' ἐλπίδι explanat ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι h. e. si vera sint ea, quae modo disseruimus: ὁμοῦ τοῦτο ἐλπίζουσα. Idem bene quoque cepit vim dictionis, quae sequitur vs. 21, καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις i. e. inquit, οὐ μόνον τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις. Similiter diu ante Chrysostomus: τί ἐστιν, ait, καὶ αὐτή; οὐχὶ σὺ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὅσον σοῦ καταδεέστερον; quae sane longe praestare videtur ei rationi, quam cum Bengelio secutus est Koppius, ut ἡ κτίσις Pronomini αὐτὴ *Appositionis*, quam vocant, loco ad illustrandum adjecta sit. Non solet ita brevitatis mirum in modum studiosus, seu potius natura sua in hanc proclivis Paulus: simpliter scripsisset ὅτι ἡ κτίσις, omisso supervacaneo isto et vehementer languido αὐτή. cf. 1 Cor. XI: 14. Nihilo tamen minus, uti Wetstenius atque Griesbachius docent, hoc jam aliqua ex parte probatum fuit Andreae Cappadoci, qui in *Comment.* in Apoc. XXI: 1. pro αὐτὴ legit αὕτη.

Quae causa sit, cur vox κτίσις iterum scripta sit, supra significavimus. cf. Ciceronis *Oratio pro Sextio* Cap. 46. *In tanto* civium *numero magna multitudo est eorum, — qui — discordiis* civium (horum) *et seditione pascantur.* ejusdemque Cato Major Cap. 20. in fin. senectutis *ergo, ut superiorum aetatum studia occidunt, sic occidunt etiam* senectutis (hujus). Dictum δουλεία τῆς φθορᾶς male, opinor, Vorstius permutari putat cum ματαιότητος vocabulo, quod reperitur vs. 21; imo refertur δουλεία ad verbum ὑπετάγη, quod ibi scriptum est, ut δουλεία τῆς φθορᾶς idem sit, atque τὸ ὑποτετάχθαι, τὸ ὑπεῖναι, τῇ φθορᾷ. cf. Piscator et Grotius ad h. l. quod si verum est, atque ea constant, quae brevi ante de convenientia vocum ματαιότης et φθορὰ, ut quae ad eandem rem pertineant, disputavimus, constare non potest Hebraïsmus ille, quem nonnulli in hac phrasi agnosci voluerunt; tamquam δουλεία τῆς φθορᾶς convertendum esset in δουλεία φθαρτὴ, φθείρουσα, φθειρομένη: non enim inter se consentiunt. Ita Sincerus Graecophilus in *Expos. Exeg.* ad Rom. VIII: 19—23. in *Symbolis Liter. Duisburg.* Tom. I. Part. I. p. 208. Kluit in *Vindiciis Artic.* ὁ, ἡ, τὸ in N. T. Part. I. Tom. II. p. 414. Ger. de Haas l. l. p. 291. Contra, et, ut nobis quidem videtur, vere, Morus transtulit *necessitas patiendi* φθορὰν, seu, ut Latine forsan aptissime dicas, *interitum: corruptionis* enim vocabulum, quo Rosenmullerus hîc usus est, non satis aptum esse videtur: φθείρειν enim, ut argumento sunt ceterae ab eadem origine profectae voces, φθέω v. c., φθίω, φθίσις, φθίνω, φθόη, φθόνος, proprie non est *corrumpere*, verum *efficere, ut quid contabescat, sensim intereat, exstinguatur, evanescat*, qua ratione differt ab ὀλλύναι, ἀπολλύναι, quod interitum, *semel et confestim* illatum, significat. Neque tamen illud *sensim* nimis urgendum est: nam, quod saepe fit, ut vocabula *usu* latius pateant, quam patere *princeps et prima significatio* potuit, idem in hac voce accidisse, confirmat auctoritas veterum, qui formulam φθείρειν ἄνθρωπον de *homicidio*, de *populandis* agris φθείρειν τὴν γῆν celebraverunt. cf. Schneider in *Lex.* Cur autem *interitum* transferre malimus, praecipua causa est in vulgato hujus conjugatorumque vocabulorum et apud Graecos scriptores universe, et apud Graece scribentes Judaeos non minus significatio et usus. cf. Schneider l. l. et Schleusner cum in *Lex. N. T.* tum in *Thes. laud.* vv. φθορὰ, φθαρτὸς, ἄφθαρτος, ἀφθαρσία; atque bene tenendum est, φθορὰ fluxisse non a *Praesenti*, sed a *Praeterito*, quod dicitur, *Medii* ἔφθορα. vid. Cattierus l. l. p. 36., quapropter significatur *conditio ejus, qui contabuit, evanuit, interiit* h. e. *interitus.* Sed satis diu de his. Quae autem ad illustrandam vocis ματαιότης rationem in medium protulimus, satis redarguere videntur interpretationem Schleusneri, φθορὰν *malum, calamitatem*, reddentis, quod qui ab eo in hanc partem revocatur locus Ps. CIII; 4. adeo non confirmare videtur, ut, quam modo defendimus significationem, hanc vehementer commendet. cf. Morus l. l. p. 110. Quod igitur supra e comparatione vocis φθορὰ cum dictione *ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος*, idem nunc e vulgata ratione loquendi jure effici posse apparet.

Addit Paulus *εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ*, quae verba non omni controversia carent. Nonnulli, iique magni nominis Interpretes, Grotius, Heumannus, Carpzovius, Ernestius (*Anmerkungen über das N. T.* ad h. l.), al., cum non facile *naturae rerum* illustrem *beatorum hominum felicitatem* adscribi posse putarent, *εἰς*, quod positum sit pro *ἐν*, *temporis* statuerunt esse signum, ut hic sensus foret: eo tempore, quo plena piis felicitas obventura sit, naturam rerum a molesta ista servitute plane liberatum iri. Sed *primum*, causam, cur hanc viam ingressi sint, non satis quidem gravem esse, supra jam ostendere conati sumus; mox clarius apparebit. *Deinde* quod brevi ante de fugienda ambiguitate diximus, idem hîc etiam in rem nostram convertere posse videmur. Cum verbum *ἐλευθεροῦν*, et multa huic non dissimilia, Praepositionem *εἰς* non raro ita subjunctam habeant, ut structura verborum agnosci debeat *praegnans*, raro *εἰς* ita temporis nota sit, ut tum Latino conveniat *in* (nam de pervulgata illa ratione, qua dîcitur ad designandam vim voculae *sub* (*ὑπὸ*) hîc non loquimur) quidni Paulus duabus literis in unam conversis, potius scripsisset *ἐν*? *Postremo*, cum alterum alteri membro, illud *ἡ δουλεία τῆς φθορᾶς* huic *ἡ ἐλευθερία τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ* vere sit oppositum, quid magis consentaneum excogitari possit, quam ut ipsae quoque *res* inter se sint oppositae, h. e. ut *bonum* futurum (*ἡ ἐλευθερία τῆς δ.*) opponatur *malo* praesenti (*δουλεία τῆς φθορᾶς*).

Igitur *praegnantem*, cujus jam ante multa exempla adduximus, verborum compositionem tenendam esse censeamus, ut, quemadmodum idem noster Apostolus 2 Cor. X: 5. *αἰχμαλωτίζειν πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν* scripsit pro *αἰχμαλωτίζοντα* seu *ἠχμαλωτισμένους ἀγαγεῖν εἰς τὴν ὑπ.*, ita hoc loco oratio sic perficienda sit: *ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ — καὶ ἐλεύσεται εἰς*, seu, quod eodem redit *ἐλευθερωθεῖσα ἐλεύσεται.* cf. Luc. XXI: 24. Gal. III: 14. Similia ex aliis scriptoribus dicta contulit Borgerus ad Gal. p. 83 et 240. add. Xenoph. *Anab.* L. II. C. V. §. 38. *ἐπεὶ ἔστησαν εἰς τὸ ἐπήκοον* h. e. *ἐπεὶ ἐλθόντες εἰς τὸ ἐπήκοον* (*ἐκεῖ*) *ἔστησαν.* cf. Glassius l. l. p. 185 seqq. et Morus ad h. l.

Ἐλευθερίαν τῆς δόξης Interpretes existimant ex Hebraïsmo dici pro *ἐλευθερία ἔνδοξος.* Indoles dictionis sine dubio non repugnat, nec tamen etiam necessario requirit; quare forsan alia via ineunda est. Nam, ut taceam, antecedentia *δουλεία τῆς φθορᾶς* (quae sunt his opposita) minime, ut vidimus, posse converti in *δουλεία φθαρτὴ*; Paulus, cum vs. 18. eximiam memoravisset, quam Christiani adepturi essent, felicitatem, jam laete orationem exsultare sinit in efferenda optatissima illa eorum fortuna (*δόξαν* vocat); naturam rerum adeo maximo in eam ferri desiderio: quippe hanc ipsam ab ea ingens hoc bonum percepturam, ut liberata ab iis, quibus nunc subjecta sit, malis, consequatur τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ; quae ob id ipsum sic interpretari malim, ut intelligatur libertas, *quae conjuncta sit cum felicitate* (δόξῃ) Liberorum Dei. Sed, utut est, ex lege oppositionis (conf. Ernesti *Inst. Interp.* P. I. S. II. C. 11. §. 5, 6.) efficimus τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης, utpote cum contraria sit τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς, nihil aliud esse, quam illustris illa naturae rerum conditio, ut ab ea calamitate libera, qua nunc vexatur, ipsa quoque ἄφθαρτος recte dici possit (5).

Τέκνα iidem sunt, quos supra υἱοὺς τοῦ Θεοῦ appellaverat; haec enim nomina inter se commutantur. vid. Lexicographi. Obtusum sane ingenium prodit corruptio, qua in Cod. 3. apud Wetstenium pro τέκνων positum est υἱῶν. Reliquam diversitatem lectionis non est quod illustremus: nam sponte sua, unde fluxerit, elucet: tantum monemus, trium copulationem *Genitivorum* effecisse videri, ut a quibusdam voces vel τῆς δόξης vel τῶν τέκνων omitterentur. vid. Griesbachii nota ad h. l. sed hoc Paulo non insolitum est. cf. 2 Cor. IV: 4. Eph. I: 6, 19. Matthiä I. l. §. 314. *Anm.* 1.

Explanata igitur commata hoc modo convertenda esse videntur: *etenim fragilitati natura rerum obnoxia est, non lubens volensque, sed propter eum* (voluntatem ejus) *qui reddidit obnoxiam; simul in hac spe versata, fore, ut ipsa quoque, exuta necessitate, qua ad interitum trahitur, fruatur ea libertate, quae conjuncta erit cum felicitate eorum, qui Dei se liberos praestiterunt.* E qua versione apparet, Apostolum, si quidem ad artis leges orationem componere voluisset, sic fere scripturum fuisse. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπαταγεῖσα (ὑποῦσα) — ὁμοῦ ἐλπίζει, ὅτι κ. τ. λ. His enim proprie confirmatur veritas *exspectationis*, (ἀποκαραδοκίας) vs. 19. memoratae; illa τῇ ματαιότητι ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, propterea tantum adduntur, ut, quare *tam magno desiderio flagrans* exspectatio sit, appareat. Verum solutioris scribendi generis est illam diligentiam negligere. cf. Rom. XI: 2—4. et vid. Grotius ad Matth. XI: 25, 26.

Comma 22. Οἴδαμεν γὰρ, ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν.

---

(5) Ne id, quod hic scripsimus, probatam nobis hujus Pericopes interpretationem convellere videatur, iis, quae supra jam animadvertimus, haec nunc adjicere liceat. Apostolus, φθορὰν appellans, non intelligit constantem eam naturae legem, qua res gignuntur, oriuntur, crescunt, ad summum robur maximamque perfectionem procedunt; tum vere decrescunt, contabescunt, pereunt; hoc enim non praeter naturam i. e. praeter ordinem est a Deo primum, cum homines adhuc integri et perfecti essent, institutum et confirmatum; imo eam conditionem intelligit, cui *invita* natura serviat, quae omnia complectitur ea, quae natura, si adhuc in primo illo statu esset, non experiretur; eluviones cogita aquarum, quae agros, urbes, universas adeo regiones delent, animalia interimunt, homines exstinguunt; morbos pestiferos, qui animantibus mortem inferunt; a tempestate ortum frugum fructuumque damnum; ab his, et quae alia magno numero commemorari possint, liber erit alter ille orbis. Sed interpretatio *verborum* requiritur, non *rerum*; et quis rerum nondum testis, has satis subtiliter et vere explanabit?

En illud, unde Paulum agnoscas! Redit eo, a quo vs. 18. digressus erat, ita quidem, ut reditus sit et valde aptus, et ut fere sentiri non possit. Inceperat vs. 17. monere de necessitate officii quasvis calamitates Dei causa illatas patienter tolerandi; sed ingenii celeritate incidit in futurae eorum, qui Christi causam constanter tuiti essent, remunerationis cogitationem, a cujus remunerationis describenda magnificentia commotum animum non potest cohibere. Et utiliter quidem hoc: poterat enim eadem cogitatio animum addere Christianis in variis injuriis Christi causa perferendis. Sed proprie tamen Apostolus disserere volebat de Christianorum *in hac vita* conditione, cujus ea esset indoles, ut non possent jam plenae beatitatis fructum habere; praeterea de multis magnisque bonis, quibus mala magnopere compensarentur; quo nunc pergit, eo quidem modo, ut non derepente, altero abjecto regrediatur ad alterum, sed more suo i. e. ut ex illis ipsis, quae non cum praecipuo consilio conjuncta adjecerat, arripiat ansam commode in viam redeundi. Haec igitur causa fuit illa superioribus addendi, οἴδαμεν γὰρ κ. τ. λ., unde facile esset ad praesentem sectatorum Christi conditionem reverti. Mens ejus huc redit: *vera esse ea, quae modo scripsi, non opus est, ut multis vobis ostendam: quotidianus enim usus, attenta rerum observatio ipsa docet, sic se rem habere; omnes novimus.* Forma dicendi est Joanni imprimis usitata, quamquam nec Paulo infrequens, quae usurpatur in re *certa* atque *evidenti.* vid. Rom. III: 19. VII: 14, 18. VIII: 28. 1 Tim. I: 8. Joannis huc pertinentia dicta citavit cl. van Voorst l. l. Spec. I. p. 14. Satis subtiliter Bengelius, modo satis vere: « supponit haec aetiologia," inquit, « gemitum creaturae non esse irritum, sed audiri.

In vocibus πᾶσα ἡ κτίσις additum πᾶσα, quod supra desideratur, significat ea, quae scripta erant, non de una alterave *parte*, sed de *tota* intelligenda esse rerum natura. Sed hoc constat inter omnes; illud varium est, σὺν in συστενάζει quomodo sit accipiendum. *Una cum* interpretantur Erasmus atque Calvinus, ut natura gemere dicatur *una cum* Filiis Dei. Non recte, ut videtur: horum enim de gemitu nihil adhuc scriptum est, nisi illuc trahere velis verbum συμπάσχομεν vs. 17, sed quod longiori intervallo est positum, quam ut huc pertineat; ne addam, id, quod Beza jam observavit, sequentia οὐ μόνον δὲ cet. cum hac ratione omnino pugnare. Negligendam esse vim Praepositionis judicaverunt Loesner, Ernesti, Michaëlis, Findeisenius, al. Quo jure, non apparet. Nam sit sane, ut hoc interdum fieri debeat; id, quod a multis negatur. cf. cl. van Voorst *de usu Verborum* cet. Spec. I. p. 42, 62, 63. tamen quae sunt illa verba, in quibus hoc obtineat? Nimirum *Activa*, συναθροίζω v. g. συναλίζω, συναράσσω, συμπληρόω, συγκόπτω; sed *Neutrorum* alia res est: nam, ut forsan συγκόπτω interdum non majorem vim habeat, quam κόπτω; quamvis quid est, cur sic a simplici verbo discrepare negemus, ut Latinum *contundo* a *tundo*? tamen non facile locum adductum iri putem, ubi συντρέτρέχειν dicatur de eo, qui *nullum* habeat currendi *socium*. Quae vero causa potuit esse, quare Graeci Verbis Praepositiones praemitterent, nisi ut significatio, his additis, accuratius definiretur? id quod et in Belgico sermone fieri videmus; quippe ubi *zamenloopen* semper diversum est a simplici *loopen*. Itaque jure Beza, Morus, Palmius *communem* omnibus gemitum significari statuunt, ut, quemadmodum verbum συναθλεῖν Phil. I: 27. dicitur de *communiter* certando, sic συστενάζειν Latine convertendum sit *communiter* s. *inter se* suspirare. Recte autem Bengel in *Gnomone* ad h. l. « consideratur (ἡ κτίσις)," inquit, « ut unum quoddam totum." Κτίσις enim hoc loco collectiva vox est, atque bene scribi potuerat πᾶσαι αἱ κτίσεις συστενάζουσι, e qua forma magis etiam vis Praepositionis συν elucet.

Non ab hac Interpretum opinione, vim Praepositionis negligentium, sed ab oculorum errore fluxisse videtur mutatio, qua pro συστενάζει scriptum est στενάζει: quam facile enim legi potuit συενάζει pro συστενάζει; praesertim a librariis, celeriter Graeca inspicientibus! Accessit forsan conjectura, cum nondum alii essent nominati, quibuscum *unâ* κτίσις dici posset suspirare, literas συ verbo στενάζει vitio scribendi praefixas esse. Hoc autem sic mutilato, alteri, συνωδίνει, sua servari non potuit integritas; quare et ab hoc demtae literae συν. Quibus in Codicibus hoc acciderit, indicat Griesbachius not. *l.* et *m.* Ceterum quod Millius alicubi reperiri testatur, ὠδύνει, id egregie librarii stuporem convincit: scribendum certe fuerat ὀδύνει.

Verbum συστενάζει vi et vehementia longe superatur addito συνωδίνει. 'Ωδὶν Graecum, et, cui respondet, Hebraicum חבל, *dolores parturientium* significat, qui, quoniam solent esse *acerbissimi*, utrumque universe omnes eos dolores designat, quibus quis vehementer crucietur et tamquam excarnificetur. *Laetum* doloris *exitum* una indicari, quod suspicati sunt Calvinus, Beza, Tholuck, equidem vix existimem, cum חבלים et ὠδῖνες ita dici consueverint, ut nulla ratio habeatur *exitus*. vid. Jes. XIII: 8. Hos. XIII: 13. Matth. XXIV: 8. Marc. XIII: 9. cf. Schleusner in *Lex. h. v.* add. Grotius ad Matth. l. l. Veruntamen quod idem Vir Illustris ad h. l. notavit, στενάζειν quoque de *parturientibus* usurpari, id quidem huc minus pertinere videtur. Etenim non tam *partus*, quam *acerbissimos* dolores intelligi, loca laudata ostendunt, quare ne gemitus quidem, quamvis parturientibus tribui potest, hîc ad partum refertur. vid. etiam vs. 23. coll. 2 Cor. V: 2, 4. Sunt, qui Paulo, cum verbum συνωδίνει scriberet, tempus illud ante oculos fuisse putent, quod *Rabbini* חבלי המשיח i. e. tempus calamitosum, quod Messiae adventum antecessurum sit, appellare soleant. cf. Schoetgenius, cit. a Tholuckio ad h. l. sed videndum est, ne cautionem eam negligamus, quam in Judaïcorum Scriptorum usu adhibendam esse, monuit Ernesti *Inst. Interp.* P. III. C. VIII. §. 5. ne dicam, illa, ex Judaeorum quidem opinione, nec tam fore diuturna, et proxime cum adventu Messiae conjuncta; quod utrumque ab hoc loco plane est alienum: loquitur enim Paulus de re et *nunc ipsum praesenti* (συστενάζει, συνωδίνει — non συστενάσει, συνῶδινεῖ) et *quae diu jam fuerat* (ἄχρι τοῦ νῦν); quare Judaeis nos sua relinquimus. Dictio ἄχρι τοῦ νῦν non plena est, sed quae plena facile effici possit: nam sic plena foret: ἀπ᾽ ἀρχῆς κτίσεως seu κόσμου ἄχρι τοῦ νῦν i. e. τοῦ νῦν ὄντος χρόνου: τὸ νῦν enim dicitur pro ὁ νῦν ὢν χρόνος vid. Glassius l. l. Tom. I. p. 32—34. Matthiae l. c. §. 282. Winer l. l. p. 52. quemadmodum hujus Ep. Cap. III: 26. dicitur ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Similis formula est ἄχρι τοῦ δεῦρο. vid. Rom. I: 13. pro quo etiam frequentatur ἕως τοῦ νῦν sive ἕως ἄρτι cf. Matth. XI: 12. XXIV: 21. Marc. XIII: 19. Jo. II: 10. 1 Cor. VIII: 7. XV: 6. Matth. XXIV: 11. Ἕως, ἄχρι, μέχρι τῆς σήμερον, τῆς ἄρτι ὥρας cet. plerumque quidem non nisi ad *brevius* temporis intervallum videntur referri; illa de *quocunque* dici, brevi non magis quam longo. Quod autem voces ἀπ᾽ ἀρχῆς κτίσεως ad complendam sententiam necessarias esse putavimus, id nonnullorum opinioni contrarium est, ἄχρι τοῦ νῦν idem significare existimantium, quod ἐν τῷ νῦν χρόνῳ, seu simpliciter νῦν. Sic Noesselt, Schleusner, Koppe, al. quorum ratio haud scio, an parum probabilis sit habenda. Nam unde, quaeso, fit, ut qua linguae N. F. scriptores usi sunt, tam sit ab omni ceterarum linguarum indole diversa, ut ἄχρι dicatur pro ἐν; quod cum per se neutiquam verisimile est, tum non nisi certis *testimoniis* effici posse apparet; quae vero testimonia afferuntur, ea multum abest, ut tam vagam hujus vocis tueri significationem videantur. Veluti cum Lucas Act. XX: 6. scribit ἐξεπλεύσαμεν —, καὶ ἤλθομεν πρὸς αὐτοὺς — ἄχρις ἡμερῶν πέντε, nonne hoc sic commodissime accipitur: venimus ad eos (tamdiu navigantes, πλεύσαντες) *usquedum* quinque dierum intervallum *effluxisset*? qua ex interpretatione sponte efficitur, propriam hîc ἄχρι significationem retinere, non idem esse, quod ἐν, *intra*, ut putat Schleusnerus. Eodem modo Dan. VI: 8. Chaldaïca Latine sonare videntur: *donec triginta dierum spatium praeteriisset*; h. e. per *totos* triginta dies. Hinc autem simul elucet, unde factum sit, ut et Hebraïcum עד, et Graeca ἄχρι et μέχρι, cum Verbis constructa *quamdiu*, cum Nominibus *per*, commode reddi possint; hoc enim brevitas dicendi effecit, ut ipsi quoque Latini *donec vivam* dicerent, pro *donec tempus praeterierit, quod vivam* h. e. *per totam vitam*; quare in talibus dictis, si non suppletur Ellipsis, haec vocabula recte *quamdiu* seu *per* vertuntur. cf. Hebr. III: 3. — Ceteris locis, quae in eandem partem trahi a nonnullis solent, supersedeo enucleandis: nam simili modo facile explicari posse videntur, ubivis ut intelligenda sit *perpetuitas temporis ad certum finem continuata.*

Igitur, cum voces ἄχρι τοῦ νῦν significent: *usque ad hoc tempus*, omissum esse liquet ἀπ᾽ ἀρχῆς κτίσεως seu κόσμου, quod, cum res ipsa postulet, et facillimum sit ad intelligendum, Apostolus non necesse duxit adjicere. conf. Matth. XXIV: 21. Marc. XIII: 19. 2 Petr. III: 4. Sed, quaerat quispiam, cur tandem Paulus hoc scripsit, ἄχρι τοῦ νῦν? Quidni prorsus omisit? Idcirco videtur addidisse, ut ostenderet, cum tamdiu jam in illo gemitu natura fuisset, neutiquam posse fieri, ut ante ille cessaret, quam universa ejus conditio in melius foret mutata; quae propterea non posset non vehementer ab ea desiderari.

Totum igitur versum sic transfero: *scimus enim, naturam rerum universam in gemitu esse maximoque in dolore* h. e. (cum verba συστενάζει et συνωδίνει intime inter se connexa esse videantur) *in gemitu esse, quem acerbissimi dolores extorqueant, inde a longissimo tempore usque ad hanc aetatem.*

Sequitur nunc, Prosopopoeïam in propriam orationem convertamus. — Quid sit, cur hîc Prosopopoeïam agnoscamus, in priore Commentationis parte explicuimus; causam item indicavimus, qua Paulus ad eam usurpandam fuerit impulsus. Summo ardore incensus animus non poterat vulgarem sequi dicendi rationem, sed sponte sua eo scriptorem auferebat, ut tam beata tempora prospicere videretur, quae ipsa quoque natura vehementer expeteret. Quemadmodum igitur, cum Jeremias Vatic. Cap. XXIII: 10. *terra*, inquit, *poenas luget divinitus inflictas*, ille nihil aliud sibi voluit, nisi quod terra, si luctus ad eam pertineret, omnino haec mala lugeret, sive, ut brevius hoc dicam, tristissimas esse calamitates divinitus illatas; sic Apostolo naturam rerum exspectare dicenti summum illum beatorum splendorem, non alia mens potuit esse, nisi haec: natura, exspectatione si tangeretur, eventum illud maximo cum desiderio exspectaret h. e. laetissimam ei illo tempore conditionem esse paratam. Itaque, demta omni orationis figura, sensum vss. 19—21 fere hunc esse existimaverim: *Futura piorum felicitas tam erit illustris, ut insignem naturae rerum mutationem afferat. Nunc enim multis quidem malis natura obnoxia est, quae aliis rebus alio modo causae sunt interitus, quaeque non fuissent, si adhuc mundus in eo statu esset, in quo primum constitutus fuit; sed consilio inferuntur Dei (vim progressumque mali moralis reprimere volentis); hac igitur miseria cum nunc natura prematur, si quando Christiani immortalitatis honore summaque felicitate palam fuerint affecti, illa ipsa, omnibus istis calamitatibus erepta, suo modo ornabitur eo splendore, qui continget his Liberis Dei.*

Nunc autem non difficile fuerit, qui sensus sit vs. 22, demonstrare: *Natura suspiria edit acerbo malorum sensu expressa*, quid hoc aliud est, nisi *malorum sensu si afficeretur, vehementer doleret gemeretque?* h. e. plurima et maxima mala sunt, quibus opprimitur et conflictatur. Et haec quidem de *verbis*; de *re*, non possum, quin nonnulla, quamvis paucissima, addam, ne videatur Paulus cum quibusdam existimare, cum primum homines officium suum deseruissent, continuo universam rerum naturam ita fuisse mutatam, ut in conditionem detruderetur longe pessimam. Quod sapientissimum virum nequaquam sensisse, ex infinitis ejus dictis manifestum est, quibus admirabilem Dei hoc ipso tempore erga homines benignitatem luculentissimis verbis depraedicat. vid. v. g. Act. XIV: 17. XVII: 25—27. Rom. I: 19—21. 1 Tim. IV: 10. rel. Verum enim vero, quamvis bona, quibus etiamnum genus humanum fruitur, ipso auctore Paulo, innumerabilia sunt et plane infinita, tamen idem nec mala ignorabat, quibus ut homines universi, sic totus hic orbis subjectus est. Infinita illa morborum genera dico, quae, a causis innumeris orta, non tantum maturis aetate viris decrepitisque senibus vitam auferunt, sed adolescentibus, sed pueris, atque adeo recens natis infantibus, ut, quae vox est Ciceronis in *Caton. Maj.* C. 19. pauci veniant ad senectutem. conf. Rom. V: 12 seqq. Morbos autem non solos homines, sed animalia quoque affligere, non est, quod pluribus confirmem. Nec ceterae res communis calamitatis expertes haberi possunt, cum sciamus, et, quam terribilem olim, tempore Noachii, aquae omnium rerum conversionem effecerint, et, quamvis postea quidem numquam tam ingens naturae clades exstiterit, tamen et aquarum eluvionibus, et terrae motibus, et morbis pestiferis alias regiones alio tempore fuisse afflictas. Quid bella memorem, quibus infinita hominum millia exstincta, oppida deleta, arva vastata, quaeque, ipsis animantibus infesta, his etiam exitii causa fuerunt? Praetereo alia, cum graviora, tum leviora mala, quae cum per universum hunc orbem latissime serpant, apparet, quo jure Apostolus *naturam totam suspirare* dixerit *maximisque doloribus angi usque ad illud, quod viveret, tempus.* Quod eo minus mirum esse, si et ingenii Pauli, et conditionis, in qua positus esset, justam rationem habemus, in priore Parte defendere conati sumus. Ceterum genus scribendi Paulinum diligenter persecutus est Flacius in *Clavi Script. Sacr.* cum alibi, tum maxime p. 499 seqq. ed. Basil. De Prosopopoeïa egerunt Glassius l. l. Tom. I. p. 1006 seqq. Lowth, *de Sacra Poësi Hebr.* Part. 1. p. 252. ed. 2. Herder, *Geist der Hebr. Poësie* Tom. I. p. 106 seqq. ed. 1. add. cl. van Hengel, *Annot.* p. 17, 18.

Comma 23. *Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν.*

Sic igitur via sibi facta, ad id jam redit, quod praecipue spectabat, h. e. a praesenti hujus orbis conditione ad statum se confert, in quo nunc Christiani versarentur. *Οὐ μόνον δὲ*, inquit, *ἀλλὰ καὶ κ. τ. λ.*

Dictionem *οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ* nostro scriptori usitatissimam fuisse, adductis exemplis probavit Koppe ad Cap. V: 3. conf. ibi nota Bezae. Hîc autem e superioribus sic oratio complenda est: *οὐ μόνον δὲ πᾶσα ἡ κτίσις, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ κ. τ. ἑ.* quod nullam dubitationem habet; illud vero magnam, hi, qui dicuntur *αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες*, iidem sint illi, qui in sequenti membro verbis significantur *καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ*, an vero alii ab istis diversi. Hoc tuentur Zachariä et Koppe; illud Morus et plerique ceteri, atque, ut puto, recte. Nam 1. *diversi* si cogitandi essent, tum omnino in priore membro voces *τὴν ἀπαρχὴν — ἔχοντες Nomi-*

minis Substantivi locum tenerent; tenere autem non posse videntur, propterea quod ubicunque Pronomen αὐτὸς (*ipse*) praegreditur Substantivum, ibi fere semper interponitur Articulus; sicubi autem Articulus omissus est, id modo tum factum, cum vocem αὐτὸς sequeretur Nomen Proprium, v. c. Luc. XX: 42. αὐτὸς Δαβὶδ. Hebr. XI: 11. αὐτὴ Σάῤῥα; quamvis hoc ipsum rarissimum est. Ceterum constanter dicitur αὐτὰ τὰ ἔργα Jo. V: 36. αὐτὸς ὁ πατὴρ XVI: 27. αὐτῇ τῇ ὥρᾳ Act. XVI: 18. αὐτὸ τὸ πνεῦμα Rom. VIII: 16. αὐτὴ ἡ φύσις 1 Cor. XI: 14. αὐτὰ τὰ ἐπουράνια Hebr. IX: 23. αὐτὸς ὁ Θεὸς Apoc. XXI: 3. — αὐτὰ ἔργα, αὐτὸς πατὴρ rel. numquam. cf. Gersdorf, *Sprach-Charasteristik des N. T.* Tom. I. p. 261 et 429—431. De loco Eph. II: 20. (αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ) vid. ibid. p. 63. Itaque eodem modo scribendum fuerat, non αὐτοὶ — ἔχοντες, sed αὐτοὶ οἱ — ἔχοντες, quod cum contra acciderit, videtur omnino ea, quam mox videbimus, interpretandi via longe esse tutior.

Huic vero altera causa accedit. Sine dubio magna vis haeret in prioris membri voculis illis καὶ αὐτοὶ, nec incertum est, quin, quod in altero membro iterum positum est αὐτοὶ, eandem vim habeat. Jam vero, nisi utroque membro iidem significantur, prorsus me ignorare fateor, quare, cum in priore vocula *et* s. *etiam* scripta sit ante αὐτοὶ, haec in posteriore desideretur: quod enim ibi ante ἡμεῖς reperitur καὶ, id non pertinet ad αὐτοὶ; tantum alterum membrum conjungit cum altero. Nos certe, si eam, quam multi his verbis sententiam subjiciunt, Graece enuntiare deberemus, hac forma dicendi uteremur: καὶ αὐτοὶ οἱ — ἔχοντες, ἡμεῖς τε καὶ αὐτοὶ κ. τ. λ.

Ex his igitur colligimus, verba sic potius accipienda esse videri: καὶ αὐτοὶ, τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, στενάζομεν: non enim necesse erat voci αὐτοὶ praemittere ἡμεῖς; sed quo major vis dictis adderetur, antequam scriberet στενάζομεν, per *Epanalepsin* (cf. Glassius l. l. Tom. I. p. 1333.) Apostolus superiora ita repetit, ut nonnullas voces adjiciat, hoc modo: καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν.

Ab hac imperitis librariis non satis perspicua orationis structura fere omnis pendere videtur scriptionis diversitas; quam quo brevius et evidentius illustraremus, non ante attigimus, quam ipsis verbis paulo diligentius consideratis; nunc paucis aperiamus.

Cum mira accideret omissio Pronomonis ἡμεῖς in priore membro, hoc ipsum orationi insertum est a nonnullis, sive ante vocem αὐτοὶ, sive post illam; quo facto sequens καὶ ἡμεῖς, perperam scilicet huc translatum, loco cedere debuit, solo relicto αὐτοὶ. Servarunt tamen aliqui vocem καὶ, pauci etiam integram dictionem καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ retineri maluerunt. Deinde fuerunt, qui, vitium scriptionis suspicati, priori αὐτοὶ, utpote e sequentibus huc traducto, converso in ἡμεῖς, alterius membri ἡμεῖς delendum esse putarent. Postremum quoniam plurimis in locis Pronomen αὐτὸς subjunctum sibi habet Articulum, hic ipse additus est a quibusdam scriptumque αὐτοὶ οἱ — ἔχοντες. Codices nominatim non excitavimus, brevitatis causa; excitaverunt

Millius, **Wetstenius**, **Griesbachius.** Ut autem, his omnibus rejectis, vulgarem lectionem probemus, ejus facit difficultas, et quod ab hoc fonte quomodo ceterae lectiones fluxerint, facile potest ostendi. vid. **Griesbach** *Prolegom. in N. T.* Sect. III. n. 11. cf. ibid. n. 1, 2, 4. Quare hic ipse eam tuetur.

Quid sit τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχειν, quaestio est miro dissensu Interpretum magnopere celebrata, quam cum copiose et subtiliter persecutus sit **Keil** in *Opusc. Acad.* p. 194 seqq. nos, ceteris missis, non nisi eam rationem studebimus confirmare, quae maxime cum veritatis similitudine videatur esse conjuncta. Hanc ex antiquis probaverunt **Chrysostomus**, **Basilius M.**, **Theodoretus**, **Damascenus**, **Theophylactus**; e recentioribus **Piscator**, **de Brais**, **Bengelius**, **Carpzovius**, **Moldenhauerus**, **Storrius**, alii, laudati a **Keil** l. c. p. 201. not. 21. quibus hic ipse accessit. Sic vero se habet: τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχειν, Hebraeorum more, vid. **Schroederus** l. l. p. 294. **Gesenius** l. l. p. 677. scriptum esse pro ἔχειν τὸ πνεῦμα, ὅ ἐστιν ἀπαρχὴ, eadem ratione, qua loco ejus, quod reperitur 2 Cor. I: 22. ὁ ἀῤῥαβὼν τοῦ πνεύματος, Eph. I: 13, 14. dicitur τὸ πνεῦμα, ὅς (proprie debebat esse ὅ) ἐστιν ἀῤῥαβών; deinde vocem ἀπαρχὴ, *primitiae*, posse quidem eam per se referri ad id, quod *in suo genere primum* i. e. praestantissimum et excellentissimum est; sed tamen, ut alibi, ita etiam hoc loco, usurpatam esse de eo, quod *ita primum est, ut alia deinde consequantur.* conf. Rom. XVI: 5. 1 Cor. XV: 20. 1 Cor. XVI: 15. Cum autem Apostolus docere soleat, in his, quae Christianis obtigerint, Spiritus Sancti donis pignus esse plenae et consummatae felicitatis, vid. 2 Cor. I: 22. V: 5. Eph. I: 13, 14. IV: 30. conf. Rom. VIII: 11. recte hic πνεῦμα h. e. per Metonymiam τὰ χαρίσματα τοῦ πνεύματος, ἀπαρχὴν esse dici, scilicet τῆς κληρονομίας, τῆς σωτηρίας, cet.: verba enim sic posse accipi, argumento est dictum ὁ ἀῤῥαβὼν τοῦ πνεύματος 2 Cor. I: 22. quod neutiquam in hanc partem interpretandum esse constat, ut intelligatur id, in quo pignus est, Christianos *olim Spiritus Sancti donis affectum iri*, sed ut *Spiritus* dicatur esse *pignus*, scilicet *futurae* eorum *felicitatis*, quae postrema omissa esse, unusquisque facile intelligit. conf. Eph. I: 14. Qua observatione prorsus infirmari videtur reprehensio probatae nobis vocum ἀπαρχὴ τοῦ πν. interpretationis, ex eo petita, quod sic ad Spiritum Sanctum futura felicitas referatur auctorem; quod nusquam fiat alibi. Ne hic quidem fit, ut vidimus, et e natura Hebraïsmi consequitur.

Cum igitur, salvo usu loquendi, verba sic possint intelligi, ut in Spiritus Sancti donis dicatur esse *initium consummatae felicitatis*, tum ita esse intelligenda, non sine gravi causa statuere videmur. Nam 1. cum ceterae interpretationes ad unam omnes in eo peccare videantur, quod exiguo cuidam Christianorum hominum numero majorem, quam solet Apostolus, prae ceteris dignitatem attribuant, contra haec interpretatio ab ea culpa prorsus libera est. Fingamus, scriptorem hic loqui de

Apostolis, seu universe de *iis*, *qui excellentioribus*, *quam reliqui*, *Spiritus Sancti donis essent ornati;* hoccine cum modestia et consuetudine Pauli conveniens esse videatur, ut dicat: nos etiam, qui ceteris Christianis donorum splendore antecellimus, nos quoque ipsi multis malis urgemur? ille, qui Gal. III: 28. πάντες ὑμεῖς, inquit, εἷς ἐστε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, et Eph. IV: 4, 7. ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν· ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ. 2. Et quare tandem non hîc memorari putabimus *universos* Christianos? Nam ut modo jam animadvertimus, Paulum hoc versu eo redire, unde a commate 18 fuerat digressus, h. e. de *omnium* sectatorum Christi conditione denuo incipere loqui; sic idem confirmatur sequentibus, ubi de *cunctis* his scribit, non de *certa quadam parte;* qui autem ibi, iidem non possunt non hîc quoque intelligi, propterea quod nullo indicio appareat, ista ad alios pertinere, quam ad illos ipsos, quos hîc appellat. Nam verba quidem αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν. ἔχοντες supra ostendisse videmur eosdem significare, ad quos sequentia ἡμεῖς αὐτοὶ spectant. 3. Denique haud scio an contexta oratio eam rationem vehementer commendet: Natura, ait, in suspiriis est usque ad hoc tempus. Sed de ea minus id forsan mirum videbitur, cum nullamdum illa in melius mutationem experta sit; de nobis hoc magis mirum, de nobis, inquam, qui jam fruimur initiis futurae beatitatis. E qua interpretatione una, nisi fallor, elucet, non magno jure Keilium id nostrae vocis κτίσις interpretationi obstare putavisse, quod κτίσις componatur cum Christianis, eo quidem modo, ac si ejusdem generis subjecta essent; quod neutiquam ex his verbis consequitur. Male autem, ut puto, Bengel Participium ἔχοντες existimat vertendum esse: *quia habemus*. Patitur hoc linguae, non patitur loci indoles. Nam, cum repetitum αὐτοὶ manifesto significet, hujusmodi quid commemorari, quod mirum quis esse arbitretur, unice quadrare videtur *quamvis* habemus; *quia* nullo modo.

Καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν. Epanalepsin, a commoto animo ortam, orationi vim addere, modo notavimus. Amat hanc figuram Joannes; cf. Flacius l. l. p. 520, 521. sed nec Paulo inusitata est. vid. Glassius l. l. p. 1333. Verum quid illa sibi volunt, ἐν ἑαυτοῖς? Posita esse possunt pro ἐν ἡμῖν αὐτοῖς, quod et dictio fert Novi Testamenti, et ne in bene Graecis quidem libris exemplis caret. vid. Winer l. l. p. 64, 65. Nec minori tamen jure dicta esse statuas pro ἐν ἀλλήλοις: nam hoc quoque non est inusitatum. cf. Schleusner in *Lex.* v. ἑαυτοῦ. Quare utrum in hunc locum magis conveniat, oportet exploremus. Qui ἐν ἑαυτοῖς existimant h. l. respondere phrasi ἐν ἀλλήλοις, *inter nos*, *invicem*, possunt hi sane ex antecedentibus argumentum repetere, quo haec ratio firmetur. Nam cum ibi natura dicatur συστενάζειν h. e. in *communem* gemitum erumpere, videatur Apostolus hoc vs. eodem modo de Christianis scripsisse, eos *inter se*, *invicem* i. e. fere *communiter* su-

suspirare. Quod tamen dubito, an satis firmum argumentum esse videatur, cum illa verborum inter se comparatio non eam vim habeat, ut debeant vel minutissima quaeque prorsus consentire. Itaque alii, Beza, Beausobre, Tholuck, interpretantur ἐν ἡμῖν αὐτοῖς, hoc significare existimantes *ex imo pectore*, quae tamen non ipsa dictionis notio esse videtur; multum tamen praestat ei, quod Erasmus, Michaëlis, Semler, probaverunt, quasi Latine reddendum esset *tacite*: in malis enim versatur scriptor non extenuandis, sed ita commemorandis, ut quam ardens melioris conditionis desiderium sit, appareat. Quid igitur? Comparato dicto 2 Cor. I: 9. αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἔχοντες, dicas fere, illud, ἐν ἑαυτοῖς, pertinere ad corroborandam vim praecedentis ἡμεῖς αὐτοὶ, ita quidem: nos quoque ipsi suspiramus in nobis ipsis, h. e. ut putem, in ea conditione, in qua ipsi nos constituti sumus. Confirmatur illud arctissima vocum ἡμεῖς αὐτοὶ cum ἐν ἑαυτοῖς conjunctione, a qua ut alienum esse videtur ἐν ἑαυτοῖς interpretari ἐν ἀλλήλοις, sic egregie probatur ea, quam modo aperuimus, ratio.

Cur nonnulli Codd., D, 38, 48, 72, Barb. 7. pro στενάζομεν habeant συστενάζομεν, evidens est. Minuti homines ingenii discrepantiam tolerare non poterant hujus verbi a συστενάζει, quod est vs. 22. Recte tamen hoc, quod utramque putaverint eodem esse referendum: nam de industria Paulus hoc ipsum, στενάζομεν, scripsit, non aliud, ut oratio ad antecedentia conformaretur. Igitur *suspirare* s. *gemere*, posito Consequente pro Antecedente, est *calamitatibus affligi*. Sed ad majora pergamus.

υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι. Quidni dixit προςδοκῶντες, varietatis causa? nam brevi ante hoc ipso verbo ἀπεκδέχεσθαι jam usus est. Ecce in multis aliis argumentum, Paulum, quamvis orationem non conformaverit ad diligentiam artis, tamen egregium adhibere verborum delectum. Cum enim harum vocum argumentum eodem pertineat, quo vs. 19, illud ut ex ipsa forma orationis eluceret, eadem fere verba hîc usurpavit, quae ibi, quamquam loco satis ab his remoto, posuerat. Agnoscimus ingenium viri in id, quod scriberet, animum intentum habentis. Sed quorsum hoc? Ut appareat, quo referenda υἱοθεσία sit, de qua re ambigitur a Viris Doctis. Tamquam Zachariä, *Bibl. Theologie*, Tom. V. p. 464. cf. ibid. p. 474. existimat, quod hic υἱοθεσίαν, idem alibi appellari κληρονομίαν; cum autem e Luc. XX: 36. efficiatur, Judaeos homines a Deo in vitam revocatos *Filiorum Ejus* nomine appellare consuevisse, propterea quod reditus in vitam tamquam *novus ortus* sit, quem qui Deo acceptum referant, recte *Ejus Liberi* dicantur; hanc igitur ob causam υἱοθεσίας vocabulum h. l. eodem pertinere. At vero cum ipsa verborum forma ostendat, υἱοθεσίαν hîc dictam eodem spectare, quo τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ vs. 19; hoc autem (de *significatione* hîc quaeritur verborum, non de *sensu* atque *re ipsa*) minime *mortuorum in vitam reditus* sit, consequitur, eam interpretationem non rei consentaneam esse videri; ut praeteream, υἱῶν Θεοῦ nomini, et in hoc Cap., et om-

omnino in scriptis Pauli, aliam notionem inesse, neque multum tribui posse dicto Luc. XX: 36. quippe quod eam loquendi rationem parum confirmet. conf. ibi Grotius. add. Ernesti in *Anmerkungen* ad h. l. Quare certiora videamus.

Υἱοθεσία illud Christianorum bonum est, quod *Dei sint Liberi facti*, quae *Liberorum* appellatio quid sibi velit, supra exposuimus. Hoc autem Christianis quidem jam in hac vita obtingit; vid. Rom. VIII: 15. Gal. IV: 5. Eph. I: 5. verum non *palam*, non ita, ut quam illustris et splendida eorum conditio sit, *manifesto appareat.* Aliquando demum erit ἡ ἀποκάλυψις τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ vs. 19; quam exspectat (ἀπεκδέχεται vs. 19.) natura rerum, exspectant (ἀπεκδεχόμενοι vs. 23.) ipsi Christiani. Quapropter hic υἱοθεσία *ea* est cogitanda, *quae palam fiet*; hoc enim, quamvis non disertis verbis expressum, tamen unusquisque, qui quidem universae disputationis justam rationem haberet, facile poterat intelligere. Non multum dispar dictum esse videtur 2 Tim. IV: 1. ubi haud scio an verba ἡ ἐπιφάνεια τοῦ Χριστοῦ καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ sic interpretanda sint: ἡ ἐπιφάνεια, qua *palam declarabitur* majestas Jesu Christi regia. cf. Crellius in *Paraphr.* ad Rom. VIII. Ceterum vox, non intellecta a librariis, omissa est in Codd. D, F, G, quam rationem more suo sequitur versio antiqua Latina in codd. Clarom. et Boerner. Et omnino oratio non haeret, hoc vocabulo ejecto; quare id facile fieri potuit.

Τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν *Epexegeseos* locum tenent, obscurius dictum illustrantis. cf. Knapp in *Scriptis varii arg.* p. 390. ed. 2. Alibi non raro praemittit ἢ, τοῦτ' ἔστι, ὅ ἔστι, τοῦτό φημι, λέγω δέ. vid. Rom. VII: 18. 1 Cor. VII: 29. Gal. III: 16. cf. Camerarius ad h. l. Non semper tamen: nam Eph. I: 7. Coll. I: 14. breviorem hanc rationem adhibuit.

Ἀπολύτρωσις forma prorsus convenit cum ἀποκάλυψις, atque *passive* sumenda est. vid. quae ad ἀποκάλυψις supra scripsimus. Λυτροῦν est *accepto pretio* (λύτρῳ) *dimittere*; λυτροῦσθαι (hoc enim vere ab illo differt, id, quod non satis observavisse videtur Schleusnerus) *dato pretio redimere*, quae cum princeps quoque significatio sit Hebraïci פָּדָה, Graecum λυτροῦσθαι ad illud reddendum ab Alexandrinis Interpretibus est collatum. vid. Schleusner in *Thes.* h. v. cumque פָּדָה saepe nihil amplius sit, quam *liberare* simpliciter, nulla habita ratione *pretii* (λυτροῦ), eadem significationis amplitudo cum Graeco quoque verbo communicata fuit. vid. 2 Sam. IV: 9. Jes. I: 9. al. cf. Grotius ad Luc. XXIV: 21. Minus igitur recte Calvinus et Moldenhauer ad Rom. VIII. existimaverunt, Paulum cogitavisse τὸ λύτρον, quod persolvit Christus; minus quoque recte Chrysostomus notionem ursit *vinculorum*, ceterum recte, ut videtur, Praepositionis ἀπο in ἀπολύτρωσις vim tuitus: τότε βέβαια ἔσται ἡ χάρις, inquit, ὅταν καὶ τὸ σῶμα ἡμῶν ἀπαλλαγῇ θανάτου καὶ τῶν μυρίων παθῶν· τοῦτο γὰρ ἔστιν ἀπολύτρωσις· οὐχ ἁπλῶς λύτρωσις, ἀλλ' ὥστε μηκέτι πάλιν ὑποστρέψαι ἐπὶ τὴν προτέραν αἰχμαλωσίαν. Verum hoc oratori facile conceditur. Assentiuntur, uti solent, Theodoretus et Theophylactus. vid. Suicer. l. l. Tom. I. p. 363, 364. Simpliciter igitur vertimus *plenam liberationem*. cf. quae de Praepositionis ἀπο in voce ἀποκαραδοκία vi notavimus.

Ἡ ἀπολύτρωσις τοῦ σώματος ἡμῶν quo spectet, melius vidisse videtur Chrysostomus, cujus modo verba excitavimus, quam Carpzovius in *Stricturis* ad h. l. p. 191, 192. non valde repugnante Noesselto l. l. p. 156. Non enim consentaneum esse videtur, ut Paulum h. l. de *vitiositate*, (quam etiam alibi τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τὸ σ. τοῦ θανάτου, cet. appellaverit. vid. Rom. VI: 6. VII: 24. cf. Col. II: 15. III: 5.) locutum esse putemus. Non illud quidem hanc opinionem refellit, quod non ἀπολ. ἀπὸ τοῦ σώματος legitur, sed nude τοῦ σώματος: nam interdum hoc idem significat, quod priore illa formula declaratur. cf. Hebr. IX: 15. ubi ἀπολύτρωσις παραπτωμάτων sine dubio sic capiendum est, idem ut sit, quod ἀπολ. ἀπὸ τ. π. vid. ibi Grotius. Sed hoc cum ea magnopere pugnat, quod nullo loco τὸ σῶμα, simpliciter appellatum, dum ceterum in conjunctis verbis nihil quidquam inest, unde hoc efficiatur, ad *vitiositatem* refertur; tum non video, quî haec interpretatio concilietur cum consilio scriptoris et continuata ejus oratione. Nam cum haec verba, proximum υἱοθεσία quomodo sit intelligendum, explanent (id, quod Conjunctionis quoque καὶ absentia ostendit) cumque υἱοθεσία prorsus alio pertineat, non sane probabiliter hanc interpretationem tueri videaris; quo accedit, quod Paulus vss. 17, 18, 19. quorum quae sit cum hoc nostro conjunctio, ante exposuimus, non de futura Christianorum *ab omnibus vitiis libertate* disserat, sed de *illustrissimo splendore* eorum *ac dignitate*. Quibus de causis jure videmur hanc interpretationem repudiare; nec est, quod copiose Lutheri, Heumanni, Moschii sententiam persequamur, verba sic dividentium: στενάζομεν υἱοθεσίαν, ἀπεκδεχόμενοι τὴν ἀπολ. τ. σ. ἡ. dicta enim satis hanc etiam diluunt, opinor.

Qualis igitur hîc intelligitur liberatio? nam hoc propterea quoque paulo diligentius inquirendum est, quia supra disputatorum veritas partim quidem hinc pendet. Quae quaestio quo certius dissolvatur, animadvertendum esse existimem, *primum*, Paulum omnino tale quid cogitavisse, unde palam appareret, Christianos summa Dei gratia florere, seu, ut ipse dicit, ejus esse Liberos, quod consequitur ex antecedenti voce υἱοθεσία, in comparationem vocato dicto ἀποκάλυψις τῶν υἱῶν τοῦ Θ. vs. 19. *deinde* in nulla re alia fore hujus Christianorum dignitatis indicium, nisi in τῇ δόξῃ, quae illis obtinget; nam voces ἡ μέλλουσα δόξα ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς vs. 18. supra eodem pertinere vidimus, quo ἡ ἀποκάλυψις τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ vs. 19; *denique* cum illa ἀποκάλυψις seu υἱοθεσία hîc ad *corpus* revocetur, ut ex eo elucere debeat, qui sint Filii Dei, atque idcirco ἡ δόξα, quam Paulus supra memoravit, in *corpore* conspicua futura sit, sponte intelligitur, ipsi ante oculos fuisse corpus illud ἔνδοξον, ἄφθαρτον, ἀθάνατον, quo beati homines instructi splendebunt. vid. 1 Cor. XV: 42 seqq. quod cum liberum erit ab omnibus illis malis, quae in hac vita firmitatem corporis et valetudinem afficiunt, affectum tradunt morti, tum et alia ratione (quo pacto, nescimus) longe praestantius erit eo, quo nunc utimur, corpore. — Enimvero, quaesiverit aliquis, Scriptor vs. 17. *miserias* memorat, quae Christianos Christi causa affligerent; quidni igitur intelligamus liberationem corporis ab his ipsis *miseriis*? praesertim cum hoc vs. loquatur denuo de Christianorum statu praesenti. — Atqui has neutiquam excludit; sed observandus est mos Pauli, qui summam calamitatum, quae Christianis in hac vita objiciuntur, ponit in *morte*. cf. Rom. VIII: 10. mortis autem causas non solum habet eas, quae omnibus hominibus sunt communes, sed etiam injurias sectatoribus Christi hujus causa illatas. cf. 2 Cor. IV: 10, 11, 12, 16. V: 1, 2. coll. IV: 17. V: 4. Phil. III: 21. in quibus locis haud scio an evidens hujus rei documentum insit, sed quod nunc, ne justo fiamus longiores, non uberius persequimur. Ex iis vero, quae nunc disputavimus, jure colligi posse putamus, Apostolum intellexisse liberationem a necessitate mortis, et omnibus iis, quae in causis haberi debent mortis; deinde, quia istiusmodi quid memorat, quod et sit splendidissimum, et omnibus incurrat in oculos, non oportere solam intelligere liberationem ab illis malis, sed una cogitatione complectendam esse illustrem illam conditionem, quae cum hac liberatione futura sit conjuncta. Ceterum recte Piscator *τοῦ σώματος collective* scriptum esse notavit pro *τῶν σωμάτων*. Participium *ἀπεκδεχόμενοι* Morus vertit *dum* exspectamus; potest quoque reddi *quandoquidem* exspectamus h. e. quia plenam felicitatem nondum sumus nacti, sed eam etiamnum tantum exspectamus. Sed forsan quis miretur, quare ille, quem supra brevitatis magnopere studiosum esse diximus, hanc etiam sententiam non brevius enuntiaverit. Nam potuisset sane scribere *ἀπεκδεχόμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σ.*, *υἱοθεσίαν* omisso. Atqui causa, cur hac uberiore dictione usus sit, latet in antecedentibus, ubi de *ἀποκαλύψει τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ* locutus est, de qua eadem re se nunc denuo loqui hoc modo significavit; quod novum argumentum est, eodem spectare vs. 23, quo spectat 19; alioqui vocabulum *υἱοθεσία*, quippe quod fere prorsus esset inutile, omnino omissurus fuisse videtur.

Sic igitur, paulo quidem liberius, hoc comma Latine convertimus: *Non modo natura, sed etiam nos ipsi, qui, donis affecti Spiritus Sancti, jam fruimur initiis futurae beatitatis, nos ipsi quoque nostram dolemus conditionem, cum adhuc non nisi in exspectatione versemur illius felicitatis, ut, corpore ab omni malo liberato, illustri modo declaretur, Deo nos esse carissimos.* Neque vero aliud rei natura ferebat; nam hoc modo pergit:

Comma 24. *Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν· ἐλπὶς δὲ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς· ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει;*

Haec facilem interpretationem habent: *spe* (non *usu*) *in partem vocati sumus summae felicitatis, quod cum constet, multis adhuc careamus necesse est, quae* *ad plenam beatitatem desiderantur. Hac enim si jam essemus potiti, eam non olim demum nobis obventuram esse speraremus. Nam spem excludit usus.* cf. 2 Cor. V: 7.

Σώζεσθαι in N. T. saepissime dicuntur *illi, qui ex omnibus malis erepti veram felicitatem consequuntur et aeternam.* vid. Schleusner h. v. Aoristus autem, ἐσώθημεν, indicio est, Apostolum intelligere *perfectam* felicitatem, quam quidem jam nacti sunt Christiani, ut loqui solet Paulus; cf. quae supra notavimus p. 47. non tamen nisi exspectatione certa atque firma. vid. Jac. Cappellus ad h. l. Quocirca injuria, ut videtur, Bosveldus *servamur* reddidit in *Praesenti.* Nam ut Aoristi significatio hoc neutiquam permittit; vid. Winer l. l. p. 119. in not. sic ne vera quidem sententia foret: Christiani enim *reapse* nunc ipsum jam servantur (σώζονται) h. e. malis liberantur; vid. 1 Cor. I: 18. XV: 2. 2 Ep. II: 15. Sed cum hoc non fiat nisi sensim sensimque, nondum sunt liberati (ἐσώθησαν), praeterquam si spem considerare velis. Non melius Koppe, a cujus sententia non multum Vatablus differt, *Aoristum* positum esse putat pro *Futuro*, quod et Aoristi natura refellit; cf. Winer l. c. §. 34. n. 6. p. 119. et per se parum aptam, ut opinor, interpretationem gignit: sic enim Paulus docuisset *spe* felicitatis nos participes fieri, cum tamen constanter id tribuat *fidei* (τῇ πίστει) vid. v. g. Eph. II: 8. Quare recte Bengelius: *Dativus est*, inquit, *non* medii, *sed* modi.

In vocibus ἐλπὶς βλεπομένη valde apta *Metonymia* inest in nomine ἐλπὶς, *spes*, quod refertur ad ipsam *rem speratam.* cf. Gal. V: 5. 1 Cor. IX: 10. Coll. I: 5. vid. Glassius l. l. Tom. I. p. 884. ἐλπὶς βλεπομένη ejusmodi est, quae *oculis jam cernatur* h. e. qua jam revera fruamur: *videre* enim Hebraei saepe dicunt de *fruendo.* cf. cl. van der Palm ad h. l. Verum non est haec ἐλπὶς, non est spes; res sperata appellari nullo modo potest: ὃ γὰρ βλέπει τις, ait, *quod praesens quis oculis habeat subjectum*, τί καὶ ἐλπίζει, *qui etiam speret*; nam sic recte Grotius ἐλπίζει interpretatur. Ceterum levissima res miro modo librarios vexavit; vox καὶ in phrasi τί καὶ ἐλπίζει quid tandem sibi vellet. Facillimum erat omittere, quare hoc factum esse videmus in Codd. B, F, G, item in Versionibus nonnullis et scriptis veterum Scriptorum, quos nominavit Griesbachius. Utrumque τί καὶ deest in Cod. D. apud Wetstenium; in aliis vero quoque Codicibus olim defuisse, testimonio est nota in margine scripta Cod. 47. His autem ejectis, verba sic erant componenda: ὃ γὰρ βλέπει, τίς ἐλπίζει. Praeterea pro τί καὶ legitur τοῦτο καὶ in Cod. 77, quomodo etiam scriptum est in Commentario Theophylacti, scripto quidem, non edito: editus enim vulgarem tueri rationem videtur. Postremum voculam τί plane praeteriit librarius Cod. 47; post alius addidit. Sed haec omnia cum vocum immutationem redoleant valde eam temerariam, tum vulgo probata lectio sua se difficultate satis defendere videtur. Nec tamen inexplicabilis difficultas est. Nonnulli hanc ita tollere voluerunt, ut statuerent, καὶ prorsus redundare. Sic Beza ad h. l. Alii idem significare putarunt, atque ἔτι, quae significatio haud scio an nullis idoneis testimoniis possit confirmari. Hoc tamen Koppe, et diu ante Versio Armenica. Sed cur fluctus in simpulo excitemus? Nam haec simplex ratio est: qui tandem quis (et frueretur) et *etiam* speraret; h. e. quomodo cum rei fructum jam percipiat, eam *una* possit sperare? cf. Erasmus et Grotius. Ceterum ab eo, quod in sequenti Commate legitur δι' ὑπομονῆς, ortum esse videtur ἀπομένει vel ὑπομένει, quod in nonnullis Codd. (A, D, 47 in marg.) substitutum est pro ἐλπίζει.

Comma 25. Εἰ δὲ, ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν, δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα. *Si id, quo nondum fruimur, speramus, perseveranter hoc exspectamus.* Perseverantiam enim spes gignit. Quod arbitratus est Koppe, nec Flatt improbavit, verba sic explenda esse: εἰ δὲ ὀφείλομεν ἐλπίζειν — δεῖ ἀπεκδέχεσθαι, id contrariam sibi habere videtur conjunctionem hujus Versus cum antecedenti. Nam opponitur haec sententia illi vs. 24. ὃ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει, cui cum continuo subjungatur: εἰ δὲ, ὃ οὐ βλέπομεν (potuerat quoqne dici εἰ δὲ ὃ οὐ βλεπεῖ τις cet. sed res jam ad ipsos Christianos refertur) apparet illa sic interpretanda esse, ut modo fecimus; alioqui scriptum fuisset: εἰ οὖν κ. τ. λ.

δι' ὑπομονῆς recte *Adverbii* locum occupare, censuit Koppe: διὰ etenim constructum cum Substantivo, quod in Genitivo positum est, interdum refertur ad *modum* rei significandum. vid. Rom. II: 27. IV: 11. XIV: 20. cf. Vigerus l. l. Cap. 9. Sect. 2. Reg. 3, 4. Ceterum *patienter* vertendum sit, an *constanter*, controversum est. Neutrum tamen, ut conjicio, Graeco ὑπομονὴ accurate respondet. Nam quemadmodum ὑπομονὴ non proprie *patientiam* significat, sic ne *constantia* quidem universe hac voce indicatur: nullo enim, quod quidem sciam, loco opponitur *levitati* seu *mobilitati* animi, quae a *constantis* persona longe est remota. Quid ergo? Putem equidem, ὑπομονὴν significare non nisi illud genus constantiae, quod cernitur in *sustinendis molestiis et malis* (ἐν τῷ ὑπομένειν), quam vim ut potestas tueri videtur verbi ὑπομένειν, ita ingens confirmat locorum N. T. numerus atque copia. cf. Luc. VIII: 15. XXI: 19. 2 Cor. I: 6. VI: 4. Hebr. X: 36. XII: 1. cet. Non male igitur Latine dicatur *perseveranter.*

Verbum ἐλπίζομεν desideratur in Codd. 41 et 55, librario a literis ομεν in βλέπομεν, propter eandem terminationem verbi ἐλπίζομεν, continuo oculos convertente in sequentia δι' ὑπομονῆς. Alius (Cod. Matthaeïanus *d*) scita conjectura verba trajecit, pro ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν scribens: ὃ ἐλπίζομεν, οὐ βλέπομεν.

Generalis autem sententia est, quae in quavis re valet; quam ad *singulare* id, de quo nunc agitur, adstringere oportet, his additis: *quod nos quoque in hac re imitemur, necesse est.* Et haec quidem Paulus de constantia Christianorum, quae nullis malis adducitur, ut causam deserat Christi. Ut autem in superioribus documenta occurrerunt, quae quam egregie disserere Apostolus soleat, evidenter declarant; sic idem elucet ex hoc versu: non ante enim ad aliam rem pergit, quam id, quod vs. 17. scripserat, accurate pertractavisset.

Et haec quidem erant, quae de loco difficili non minus, quam praeclaro, dicere habebamus; in quo interpretando si parum versati simus feliciter, est, quo nos consolemur. Magna etenim festinatione utendum fuit, ut, quod inceperamus opus, ad finem perduceretur; quae causa fuit, ut nec satis expolire orationem potuerimus, nec eas partes, quae, quamvis ordine priores, tamen ultimo loco a nobis conscriptae sunt, et justo forsan videantur esse longiores, contrahere in brevius licuerit. Quae cum ipsi facile animadvertimus, quanto magis quamque plura Vos! Quapropter Vestram lenitatem, Viri Clarissimi! etiam atque etiam imploramus. Fore tamen, ut non omnino omnia displiceant, vehementer speramus.

Spes bona dat vires, animum quoque spes bona firmat;
Vivere spe vidi, qui moriturus erat.

Ovidius.

❋

HECTORIS LIVII VAN ALTENA,
DOCKUMO – FRISII,

Xref

PHIL. NAT. ET MATH. CANDIDATI ET IN ATHENAEO FRANEQUERENSI STUDIOSI,

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM ZOOLOGICAM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA A. MDCCCXXVIII. PROPOSITAM:

Quâ desideratur, ut: „ *Systematice enumerentur species indigenae „ reptilium ex ordine Batrachiorum, additâ unius saltem speciei „ anatome et praesertim osteographiâ accuratâ, non ex aliorum „ scriptis desumtâ sed ab ipsâ naturâ petitâ.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT D. VIII MENSIS FEBRUARII
A. MDCCCXXIX.

ORDINI DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM

S.

Literarum dulcedine inbuto, illasque vitae gaudium arbitrato, ecce physicae generalis, inprimisque naturalis historiae initia, mihi docebantur. Maximas voluptates, quibus illa scientia juvenis praecipue inflammabile genium deliniat, vos omnes V. V. C. C. sensistis. Mihi igitur, id, quod pluribus, evenit. Naturam satius duxi ipsam, quam ejus ab oratore aut poëtâ adumbratam imaginem admirari. Literarum jam delitiis non fruebar nisi horis subsecivis, et brevi hasce etiam Swammerdammius, Lyonnetus, alii, sibi vindicabant. Philosophica, illaque physiologica pars, tam in botanicis quam in zoologicis maxime me trahebat, sed innumeris offendebar obstaculis, moris. Quid enim physiologia, absque anatomiâ, absque anatomiâ comparatâ? nihil sane. Anatomia vero comparata ab illâ hominis maximam suam gravitatem dignitatemque adipiscitur. Ad humanum corpus omnes anomaliae, in animalium maximâ serie innumerae occurentes, referuntur. Humani autem corporis studio non satis diu incubueram. Generaliora quidem pervolveram, sed non huc usque penetraveram, ut enthusiasta — qui dicitur, scientiae essem. Parvus meus jam apparatus in anatomiae comparatae studio — ut mihi non solida fulcra tribueret, timebam.

Tristi igitur mihi et sollicito quaestiones academicae obviam fiebant, inter quas illa quae de Batrachiorum anatomiâ agit, plane me trahebat. Quamvis enim meas vires superare videretur, tantae tamen jucunditatis et utilitatis esse videbatur, ut ex illius tractatione amoenissimum mihi otium aestivum, non otiosum, pollicerer. Statim igitur cum feriarum tempus coepisset, Swammerdammio, Cuvierio et Caro munitus (aliis enim scriptoribus carebam), dissecandis ranis operam dedi et bufonibus. Nullus tunc de vobis offerendâ commentatione cogitabam. Utilitas tantummodo voluptasque, e tractandâ hacce materie mihi proflucturae, operis scopus erant. Quum autem, ut soleo, pleraque in pugillaribus conscripsissem, post feriasque amico praelegissem, — illo suadente et urgente honoris cupiditate, materiem ulterius prosequutus sum, alios quosdam libros adhibui, conscripsique commentationem quam vobis jam V. V. C. C. quaequae sit offero. Satis jam utilitatis ex hacce materiâ mihi profluxisse arbitror, plurimum voluptatis scio — superbiae forsitan titulo mea temeritas insigniendа est: sed

> Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo
> Quamvis O! . . . . (1).

COM-

---

(1) Virg. Aen. Lib. V.

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM ZOOLOGICAM.

RATIO OPERIS.

Ita quae de batrachiis dicenda habebam divisi, ut prius narrem quid sit batrachus in genere, quisnam locus in maximâ illâ animalium serie illi sit adscriptus, quibusnam characteribus ab omnibus sese aliis animalibus rite distinguat.

Secunda pars aget de generibus et speciebus batrachiorum, in Belgio nostro huc usque inventorum, nec non de proprietatibus praecipuis unius cujuscunque speciei.

Tertia deinde pars, illaque maxima, continebit anatomen Ranae esculentae, inprimisque osteographiam.

Hancce jam divisionem cum genio — qui dicitur — quaestionis convenire credidi. Quamvis enim non specialiter in illâ dicitur de ranis in genere, tamen mihi inquirenti basin inde quandam affuturam et lectori meliorem clarioremque ideam de rana orituram, arbitratus sum.

❋

PARS

PARS PRIMA.

DE BATRACHO IN GENERE EJUSQUE LOCO IN ANIMALIUM SERIE.

Definitio *vertebratorum et invertebratorum* animalium non illa est, quae nos diu morabitur. Eadem enim est cum *intravertebratis et extravertebratis* Cl. Geoffroy St. Hilaire, cum *sensibilibus*, *apathicis* et *intelligentibus* Cl. La Marck, cum *osteo-zoariis* et *anosteo-zoariis* Cl. Ducrotay de Blainville, et sexcentis aliis. Maxima jam illa divisio tam naturalis est, tam multis firmisque sese characteribus commendat invicemque ita cohaerentibus, ut si unus tantummodo character systematis alicujus basis recipiatur, alteri etiam characteres in promtu sint.

Ossea igitur compages regularis, in quâ rachis (cujus pars cranium recte habetur) basis est, medullam ejusque maxime evolutam partem cerebrum continet. Intelligentia sensuumque perfectio, e majore substantiae nervosae evolutione profluens; sanguis ruber — pulmonum vel branchiarum, (osseâ compage externe nitentium) ope, cum gaz oxygenio communicans; sexus semper distinctus; regularis illa dextrorsum sinistrosumque divisio organorum vitae animalis, quae (paucis piscibus exceptis) constans in hacce divisione occurrit; praecipui ut opinor haberi possunt vertebratorum characteres.

Invertebrata insigniuntur defectu sceleti aut (si pluribus hodiernis assentiendum est) sceleto saepe externe posito (1), medullae cerebrique minore evolutione, unde intelligentiae defectus vel saltem obtusio sensuumque quorumdam hebetatio, aliorum absentia, omnium deinde in ultimis classibus defectus; sanguine plerumque albicante pulmonum aut branchiarum minus perfectarum aut stigmatum ope cum oxygenio communicante; hermaphroditismo saepe occurrente; nonnunquam generatione per scissuram corporis materni; minore generaliter regularitate vitae animalis, quae sensim sensimque organicum accipiens habitum, in circulares et radiatas formas abit nihilque fere animalitatis ostendere videtur.

Quod jam ad vertebrata, quibus *batrachia* adscribuntur, animalia, vel sunt sanguine calido vel frigido. Inde divisio *haema-thermatum* et *haema-crymatum*. *Haema-thermata*, quae *mammalia*, *monotremata* Geoffroy St. Hilaire et *aves* contitinent, cor habent biloculare, biauritum; pulmonibus semper sunt praedita; coitus semper locum habet verus; vivum pariunt foetum vel ova testâ durâ calcareâ munita; foetum aliquamdiu nutriunt eique saltem in primâ vitae epochâ provident. Pilis, ad majorem vel minorem densitatem confertis (nunquam cutis absolute nuda est) vel plumis teguntur.

---

(1) Haecce opinio olim jam obvia, a pluribus e Schellingianae philosophiae asseclis hodie acerrime defenditur. Naturalistae Franco-gallici qui studio naturae trans-scendentali, qui dicitur, operam tribuunt, hancce etiam sententiam minime denegare videntur.

Haema-crymata vero habent aut respirationem aut circulationem semper minus perfectam. Quum enim cor biloculare et biauritum, respiratio est minus perfecta, pars enim sanguinis venosi oxygenii contactui non subjicitur, quum respiratio vero totam sanguinis massam comprehendit, tunc cor uno ventriculo tantummodo gaudet. Coitus plerumque non verus est: ova saepius enim quum ponduntur a mare demum spermate asperguntur. Ova jam semper sunt circumdata membranâ quâdam molli. Saepius cohaerent unamque massam conglutinatam constituunt. Eorum numerus saepe ingens est. Foetus a primo vitae inde tempore sibi ipse providere debet nec a parentibus nutritur et fovetur. Squamosâ vel nudâ gaudent pelle.

Haema-crymatum agmini jam adscribuntur *Batrachia*.

Haema-crymata autem dividuntur in *reptilia* et *pisces*.

Reptilia vel semper pulmonibus sunt instructa, vel in juventute branchiis gaudent, provecta vero aetate pulmones acquirunt. Pisces semper branchias, nunquam pulmones offerunt.

Reptilia imperfectâ gaudent respiratione, ita ut pars tantummodo sanguinis atmosphaerae actioni subjiciatur, pars vero non oxydata redeat per arterias. Inde intelligendus color sanguinis arteriosi multo nigrior quam ille *haema-thermatum*, musculorum inde minor energia, corporis minor calor, quae in reptilibus observantur. Cerebri minor est massa et non tam arcte conjunctum videtur cum functionibus et organicis et animalibus; plurima enim cerebro medullâque ablatis vitam aliquamdiu vivunt plane vegetabilem, quod ipse in Ranâ esculentâ et in Bufone cinereo saepius magnâ cum admiratione observavi. Pulmonum cellulae majores volumine minoresque numero sunt quam in *haema-thermatibus*. Cor e corpore desumtum per duas horas saliens vidi in Ranâ esculentâ.

Quamvis plura vocem emittere non valeant, omnia tamen arteriâ asperâ et larynge praedita sunt. Feminae duobus ovariis duobusque oviductibus praeditae sunt, in maribus virga vel duplex est vel simplex vel nulla.

Cl. Brogniard primus reptilia ad quatuor ordines reduxit satis omnino naturales. Ad ordinem Cheloniorum, Sauriorum, Ophidiorum et Batrachiorum.

Chelonia (*animalia testudinea*) cor habent biloculare, biauritum, corpus (quatuor pedibus nitens) duabus continetur scutis, inferiore et superiore, quorum hoc e spina et costis, illud e sterno provenerunt. Vertebrae cervicis et caudae igitur tantummodo liberae sunt. Dentes absunt, illorum autem loco superficies cornea invenitur.

Sauria (*animalia lacertina*) cor habent biloculare, biauritum, corpus scutis squamae-formibus tegitur, dentes quam maxime sunt evoluti. Quatuor habent pedes, duabus parvis familiis exceptis, quarum una duobus, altera nullis pedibus gaudet.

Ophidia (*animalia serpentina*) cor habent biloculare, biauritum, corpus semper pedibus destitutum, pleraque uno tantum gaudent pulmone. Sceletum non offert sternum, scapulam, — tympanum nunquam invenitur, tertia palpebra deest.

Batrachia (*animalia ranina*) cor habent uno tantummodo ventriculo unâque auriculâ praeditum; corpus nudum est, primâque juventâ piscem mentitur, postea autem evolvitur, animalque bipedis vel quadrupedis formam adeptum, vivit et vegetat. In quibusdam e. g. ranâ, paradoxa vocata, haecce metamorphosis (si metamorphosis dicenda est, evolutio partium cum nullo larvae reliquio) tam lente locum habet, ut quidam, inter quos, nostras Sybilla de Merian, crediderint, animal prius ranam esse, deinde piscem: cui opinioni satis favere videtur volumen ranae, post evolutionem, ob magnae caudae defectum, multo minus quam illud gyrini.

Batrachia (*a graeco βατραχος*) sunt vel ranae, ad Linnaei genus *RANA* pertinentes, vel sunt animalia cum ranis multo magis quam cum aliis reptilibus convenientia.

Cum Amphibiis Cl. Ducrotay de Blainville et Latreille conveniunt, quorum posterior illa divisit in *Caduci-branchia* et *Perenni-branchia* ad primam divisionem referens *batrachia* caudata et non caudata (*urodela et anoura*) quae in juventute branchiis tantummodo gaudent, postea vero pulmonibus instruuntur; ad secundam vero divisionem omnia batrachia semper branchiis utentia, quod e nomine jam intelligitur. Ad *anoura* refert *ranas* Linnaei, ad *urodela*, *Salamandram* et *Tritonem*, ad *Perenni branchia*, *Proteum* et *Sirenen*.

E posteriore (*perenni branchiorum*) ordine nulla animalia in Belgio occurrunt. Primae divisionis *batrachia* igitur hic tantummodo in censum veniunt. *Urodela* autem, quae mihi perfectiora videbantur quam *anoura*, prius enumeravi.

Anouron jam ordo in tria plerumque genera dividitur: in *hylam* seu *calamitam*, *bufonem* et *ranam*. Alii plura genera proposuerunt e. g. Cl. Merrem (1) qui *anouris* sex genera tribuit: *calamitam* seu *hylam*, *ranam*, *brevicipitem*, *bombinatorem*, *pipam* et *bufonem*; quam divisionem autem (nesciens an auctoritate gauderet), non amplecti ausum sum.

Nostra igitur divisio *batrachiorum* indigenorum sic se habet:

BA-

---

(1) Blasius Merrem, tentamen systematis amphibiorum pag. 163.

BATRACHIA.

Urodela.	Anoura.
Salamandra.	*Hyla*, *bufo*, *rana*.

Ranam jam postico loco enumeravi, quia majorem cum piscibus analogiam mihi offerre videtur, tam quod ad habitationem, quam quod ad organismum pedum posteriorum, qui natando aptior videtur, quam quidem ille bufonis aut calamitae.

PARS SECUNDA.

ENUMERATIO SYSTEMATICA BATRACHIORUM NOSTRATIUM.

URODELA.

Truncus tenuis, elongatus (1).

Pedes omni tempore duo, aut quatuor parvi.

Cauda longa omni tempore praesens.

Pulmones longi angusti. Branchiae aut in primâ tantum juventute aut cum pulmonibus simul per totam aetatem sunt.

Costae brevissimae.

Sternum nullum.

Aures latentes.

Foetificatio interna.

Mutabilia.

Metamorphosin subeunt.

Spirant ante metamorphosin aquam branchiis, post illam aerem pulmonibus solis.

Palpebris oculi teguntur.

SALAMANDRA.

Cauda teres. Parotides torosae, porosae.

Salam: maculata: cute rugosâ, verrucosâ, caudâ dodrantali, tereti. Truncus et cauda cylindrica.

---

(1) Terminos systematicos desumsi e *tentamine systematis amphibiorum* auctore Blasio Merrem.

Synonymia. *Salamandre terrestre.* Maupertuis *in mémoires de l'academie. Paris. 1727. p. 38.* Schneider *Historia amphibiorum tom. I. p. 54.* Daudin *reptiles tom. VIII. pag. 221.* Latreille *Salamandr. pag. 32. Tab. I.*

Lacerta Salamandra Linnaei. Blumenbach *handb. d. Natuurlijke historie pag. 373.* Sturm *Deutschl. Fauna III. 2.*

Salam: maculosa. Laurenti. *Rept. p. 42.*

Icon. Rösel von Rösenhof *historia ranarum nostratium.* In titulo operis. Seba *Thesaurus. tom. II. p. 15.*

Habitatio. In locis Europae umbrosis humidis; foramina in terris, murorumque ruinas frequentat.

Cibus. Insecta, vermes, mollusca.

Generatio. Vivos pariunt foetus, nonnunquam quadraginta simul.

Animalia sunt tardissima non nisi pluvio tempore e latebris prorepunt. Juniores branchiis gaudere primus docuit Du Fay. Igni injectis liquor e cryptis profluit immo aliquando ore ejaculatur lacteus glutinosus, qui narratiunculis fabulisque multis de Salamandris locum dedit: innocua vero sunt animalia.

ANOURA.

Truncus brevis, torosus.

Pedes ex ovo prodeuntibus nulli, deinde quatuor, longi.

Cauda ante metamorphosin longa, post illam nulla.

Pulmones duo, magni, cellulosi; ante metamorphosin branchiae.

Costae nullae.

Sternum magnum, cartilagineum.

Claviculae duae.

Tympanum apertum.

Fecundantur ova ipso quo eduntur tempore.

CALAMITA.

Apex digitorum omnium dilatatus. Digitus quartus plantarum medio longior.

Calam: arboreus. C. palmis fissis, plantis semipalmatis, dorso convexo glabro, ventre granuloso, tibiis longitudine femorum.

Synonymia. *Rana quam Graeci Calamitas vocant.* Plinius *Hist. Nat. XXXII. cap. X.*

Rana viridis. Linn. *Fauna Suecica. Ed. I. p. 94.*

Rana arborea. Linn. *Syst. Nat. I. p. 357?* Latr. *Salam. p. XXXVIII.*

Hyla viridis. Laur. *rept. p. 33.* Daud. *ran. p. 14. t. I.*

Calamita arboreus. Schneid. *h. amph. I, p. 153.* Merrem *tentamen systematis amphib. p. 170.*

Icon. Rösel *l. l. tab. IX — XI.*

Habitatio. Quamvis per omnem Europam inveniatur, meridionales tamen praecipue frequentat partes. In Belgio nostro non ita frequens invenitur: nusquam enim quod sciam huc usque apparuit, nisi in comitatu Zutphaniae ejusque viciniis. Praeterea, auctoribus cl. Bennet et Olivier (1), inventa est Peel-landiae in Brabantiâ Septentrionali. In arboribus habitat vel saltem in arborum viciniis.

Cibus. Insecta.

Generatio. In mense Majo locum habet, simili modo quo aliarum ranarum generatio. Maribus saccus sub gutture adest fuscus, coaxationi inserviens.

BUFO.

Digiti apice tenuiores, plantarum quartus tertio longior.

Parotis pulvinata, porosa.

Dorsum convexum.

Dentes nulli.

Bufo cinereus. B. plantis non omnino palmatis, at digitorum apicibus membranâ auctis, parotide grandi reniformi, dorso orbiculato verrucoso.

Synonymia. *Rana manibus tetradactylis fissis, plantis hexadactylis palmatis, pollice breviore.* Linn. *Faun. Suec. Ed. 1. p. 95.*
Rana bufo. Linn. *S. N. I. p. 355.* Latr. *Salam. p. XXXIX.*
Bufo vulgaris. Laur. *rept. p. 28.* Daud. *ran. p. 72. t. 24.*
Le crapaud commun. Lacep. *Quadr. ovip. I. p. 568.*
Bufo cinereus. Schneid. *Hist. Amph. 1. p. 185.*
Merrem *tent. S. A. p. 182.*

Icon. Rösel. *l. l. tab. 20.* Daud. *ran. tab. 24.*

Habitatio. Europa in humidis umbrosisque locis. Noctu tantummodo prorepit.

Cibus. Insecta.

Generatio eadem est quae ranarum. Ova vero non informi massa cohaerent, sed longam fasciolam constituunt.

Hicce est bufo ille famosus, qui foedo suo et horribili habitu, tam multis fabellis et narratiunculis locum dedit.

Bufo calamita. B. plantis fere fissis, lineâ longitudinali depressâ glabrâ in spinâ dorsi, palmis omnino fissis. Dorso verrucis majoribus, in series dispositis, abdomine granuloso.

---

(1) *Natuurkundige Verhandelingen van de Hollandsche Maatschappij der Wetenschappen te Haarlem. XI dl. pag.* 409.

Synonymia. *Die stinkende Land-kröte.* Rösel. *l. l. p. 107.*
Bufo calamita. Laur. *rept. p. 119.* Latr. *Salam. p. XLI.* Daudin. *ran. p. 77.* Merrem *l. l. p. 182.*
Rana bufo β. Gmelin *Syst. Nat.* Linn. *tom. I. p. 1047.*
Rana rubeta. Linn. *Syst. Nat. t. I. p.* 355.

Icon. Rösel. *l. l. tab. XXIV.* Daudin. *Ran. tab. 28. fig. I.*

Habitatio. In totâ fere Europâ in cavernis adest.

Cibus. Insecta.

Generatio. Eadem quae bufonis cinerei.

Nonnunquam huncce bufonem eâdem celeritate currentem observarunt, quâ mus effugit inimicorum insidias, quum vero quinque pedum spatium currendo absolvisset quiescere debebat. Odore gaudet pulveris pyrii incensi.

Bufo variabilis. B. palmis fissis, plantis semipalmatis, digito plantarum quarto longissimo, parotide lineari, corpore ovato, toroso, supra verrucoso.

Digiti plantarum versus apicem marginati. Verrucae in dorso majores, in abdomine minores.

Synonymia. *Rana variabilis.* Pallas *Spic. Zoolog. VII. p. 1.* Gmelin *Syst. Nat. Linn. I. pag. 1051.*
Bufo variabilis Merrem l. l. p. 180.
Bufo viridis. Laur. *rept. p. 27.* Schneid. *h. Amphib. I. p. 200.* Latr. *Salam. p. XLI.* Daud. *Ran. p. 79.*
Le rayon-vert. Lacep. *Quadr. ovip. I. p. 588.*

Icon. Laur. *Amph. tab. I. fig. I.* Daud. *Ran. tab. 28. fig. 2.*

Habitatio. In Germaniâ, Galliâ, Sueciâ, Russiâ, in locis suffocatis invenitur. In Belgio secundum Bennet et Olivier l. l. p. 404.

Cibus. Insecta.

Generatio. Eadem forsan quae aliorum bufonum, de generatione autem nusquam legi.

Bufo obstretricans (1). B. plantis vix semi-palmatis, corpore ovato verrucarum serie laterali, utrinque subangulato.

Parotidibus caret, igiturque bufonibus vix annumerandus videretur, siquidem parotidum praesentia character esset bufonum essentialis.

---

(1) *Bufo obstetricans* a Cl. Bennet et Olivier l. l. pag. 404, vocatur *Bufo Screberianus.* An recte nescio! Nonne *Bufo Screberianus* idem est cum *bufone variabili?* Conf. Merrem *Tent. Syst. Amph. pag.* 179 e 180 et Laur. *Rept. pag.* 27.

Synonymia. *Bufo obstretricans* Laur. *Rept. p. 28.* Latr. *Salam p. XL.*
Daudin. *Ran. p. 87.*
Bombinator obstetricans. Merrem *tent. S. A. p. 179.*
Icon. Brongniard *Bulletin philomatique No. 36. tab. 6. fig. 4.*
Daudin. *Ran. tab. 32. fig. 1.*

Habitatio. Siccos locos, Galliae, Helvetiae, Germaniae frequentat, rarius in Belgio invenitur.

Cibus. Insecta.

Generatio forsan eadem est cum aliorum bufonum.

Bufo igneus. B. plantis palmatis, palmis fissis, dorso dense verrucoso. Corpus ovale, subtus glabrum.

Synonymia. *Rana bombina.* Linn. *S. N. ed. 12. I. p. 315.* Latr. *Salam. XXIX.*
Rana variegata. Linn. *S. N. ed. X. p. 211.*
Bombinator igneus. Merrem. *tent. S. A. p. 179.*
Icon. Rösel. *l. l. tab. 22.* Daud. *ran. tab. 36.*

Habitatio. In paludibus humidisque locis invenitur.

Esca. Insecta.

Generatio. Ut caeterorum bufonum est et mense Junio locum obtinet.

Bufo fuscus. B. palmis fissis, plantis palmatis, corpore laeviusculo.

Synonymia. *Die Wasserkröte mit braunem Flecken.* Rösel *l. l. p. 69.*
Bufo fuscus. Laur. *Rept. p. 28.* Latr. *Rept. II. p. 109.*
Merrem. *tent. S. A. p. 183.*
Le brun Lacepede *Quadr. Ovip. I. p. 590.*
Rana bombina γ. Gmelin. *Syst. Nat. Linn. I. p. 1048.*
Icon. Rösel *Hist. ran. N. tab. 15.*

Habitatio. In Germaniae meridionalibus paludibus, forsitan in Belgio (1).

Cibus. Insecta, mollusca.

Generatio eadem quas ceterorum bufonum.

Status gyrini in hocce bufone multo diutior quam in aliis batrachiis (2).

RA-

---

(1) Secundum Bennet et Olivier l. l. pag. [illegible]

(2) Hicce bufo forsitan ille est de quo mentionem facit Seba thes. pag. 125. Tom. I. » Retulit mihi vir fide» dignus, in Gelriâ captos esse pisces, formâ similes Americanis illis e ranâ natis, sed coloris cinerei pallidioris. » Multum impendi operae indigenis hisce videndis aut nanciscendis, nec tamen voti compos sum factus; nisi sesqui» ennio inde elapso, postquam tabula haecce jam parata erat; inde hoc alteri inserere tabulae sumus coacti." Conferantur Natuurkundige bijdragen van Van Hall, Vrolik en Mulder, 3 deel. 3 st. pag. 229 sqq.

RANA.

Digiti, saltem plurimi, apice tenuiores. Digitus plantarum quartus longissimus. Parotides verae nullae.

Dorsum utrimque angulatum.

Dentes in maxillis et palato.

Rana temporaria. (1) R. plantis palmatis, dorso angulato, fere glabro, artubus posticis longissimis. Dorsum transverse gibbum, abdomen granulosum.

Synonymia. *Rana manibus tetradactylis fissis, plantis hexadactylis palmatis, pollice longiore. Linn. F. Suec. Ed. I. p. 94.*
La rousse. Lacep. *Quadr. Ovip. I. p. 528.*
Rana dorso planiusculo sub-angulato. Linn. *S. N. Ed. X.*
Rana temporaria. Gmel. *Syst. Nat. Linn. I. p. 1053.* Schneid. *H. amph. I. p. 113.* Daudin. *Ran. p. 16.* Merrem. *Tent. S. A. p. 175.*

Icon. Bradley *Nat. t. 21. fig. 1.* Rösel *l. l. tom. I. fig. I.*
Daudin. *Ran. tab. 15. fig. 2.*

Nota. Variat cutis color. In aliis fuscus est, in aliis fere niger, in aliis rubris variegatus maculis, quae variationes an constantes sint, — nescio. In ranis insularum *Texel* et *Ameland* rubras illas praecipue observavi maculas.

Habitatio. Tota Europa. In Asiâ Africâque inventam esse narrat *Valmont de Bomare* in voce *Grenouille.* Pascua locaque nemorosa frequentat. Ranam terrestrem vocare posses, dum rana esculenta aquatica dicenda esset.

Cibus. Insecta, mollusca, vermes.

Generatio est ex ovo membranaceo gelatinoso quod a mare fecundatur quum ex alvo matris prodit. Mares pulvillis iisdem in pollice gaudent quibus ranae esculentae, sacculis vero membranaceis sub maxillâ inferiore destituti sunt. Acrem urinam ab inimico minatae ejaculantur; multo frequentiorem ac rana esculenta, ejusdem vero saporis et acritudinis; quae in oculum jaculata levem provocat inflammationem.

Rana esculenta. R. plantis palmatis, verrucis majoribus sparsis in dorso verrucocoso. Dorsum angulatum, transverse gibbum. Abdomen et femora subtus granulosa. Caput acutiusculum.

---

(1) Miram quandam mihi nuper narrari credebam fabulam. Nautae enim quidam, quibuscum sermonem iniveram, narrabant (quod jam saepius ab aliis affirmari audiveram) in insulis Texel et Ameland ranas coaxare non solere. Rei causam cognoscere cupiens nuentem, illico illos rogare coepi, an mihi, datâ occasione, quasdam mittere vellent insulicolas ranas. Illi promiserunt. Post hebdomadem et quod excurrebat accepi ingens vas ligneum, ranis fartum, simulque mecum communicaverunt literis nullas ranarum species illic inveniri, nisi illas, quae vase contentae erant. Vas autem nihil continebat nisi ranas temporarias et bufones cinereos quarum neutra coaxare solet. Questio igitur statim erat soluta.

In insulis Texel et Ameland rana igitur esculenta adesse non videtur.

Synonymia. *Rana manibus tetradactylis fissis, plantis hexadactylis palmatis, pollice longiore.* Gronovius. *Mus. Icht. II. No. 66.*
Rana viridis aquatica. Rösel. *Hist. R. N. p. 57.*
Rana esculenta. Linn. *Syst. N. I. p. 357.* Laur. *rept. p. 31.* Schneid. *Hist. Amph. I. p. 115.* Latr. *Salam. p. XXXVIII.* Daud. *Ran. p. 46.*

Icon. Rösel *l. l. tab. XII—XIV.* Lacepède *I. p. 37.*
Daudin *Ran. tab. 16. fig. 1.*

Habitatio. Ubique in rivulis vivariorumque ripis tam in Europâ quam in Asiâ, invenitur.

Esca. Mollusca, insecta, omnia devorat rana esculenta dummodo viva sint et sese moveant.

Generatio eadem est, quae ranae temporariae. Mares sub maxillâ inferiore sacculos habent membranaceos, unde eorum coaxatio. Pollex non, ut narrarunt, amorum tantummodo tempore calloso extenditur volumine (1), pulvillus ille semper pollici adhaeret, satisque magnus est. Prius quam rana temporaria ponat ova, ponere ranam esculentam docet J. Cloquet (2); ranam temporariam vero omnium primam batrachiorum amori operam dare, glacie vix solutâ, docuit Valmont de Bomare (3). Quid verum sit, non judicare ausim. Ranas ego esculentas *Junio* mense, immo *Julio* coeuntes vidi, ranarum temporariarum amores non observavi.

Aliquando humidis praecipue diebus, ranas quum dissecarem esculentas, undique odor nauseabundus, cum allii odore non male comparandus proveniebat, quamvis animal nondum mortuum esset; oculi illo putore ita afficiebantur ut ab opere cessare deberem.

In Germaniâ, Galliâ immo nonnunquam a nostratibus haecce rana comeditur, unde ejus nomen.

Varietates ranae esculentae non ita constitutae sunt, ut iis fidem habere possimus; praeterea coloris varietatem praecipue basin habent, quae basis non tanti momenti videtur esse, ut sola sufficiat.

Ex aliis batrachiorum speciebus in Germaniâ, Galliâ, aliisque vicinis regionibus obviis, aut nulla individua in Belgio nostro adsunt, aut saltem non huc usque inventa. Ego quidem nulla invenire potui ipse Batrachia, nisi Bufonem cinereum, Ranam tempoporariam, et Ranam esculentam. E libris et ab amicis harum rerum non rudibus certior factus sum aliarum specierum.

---

(1) Cloquet in Dictionnaire des Scienc. Naturelles in voce Grenouille.

(2) Cloquet in eodem Lexico.

(3) Valmont de Bomare Dictionaire raisonné universel d'histoire naturelle ed. 1768. in voce Grenouille.

Rana jam esculenta, quae plurima invenitur in rivulis nostris, quae et maxima est et captui facillima, mihi prae aliis speciebus apta videbatur, cujus anatomiae ferias consacrarem. Bufones vero et ranas temporarias non quiescere passus sum, sceletonque quod adeptus eram pulcherrimum *pipae*, maximi mihi usus fuit.

Ita jam in Anatomicâ disquisitione versatus sum, ut primum caput dicaverim *osteographiae*, nonnullisque animadversionibus de ossibus gyrini. Secundum caput agit de *myographiá*, tertium de *dermologiá*, de *splanchnologiá vitae animalis* et de *neurologiá*. In quarto capite agitur de *splanchnologiá vitae organicae*, de *systemate circulatorio*, *respiratorio*, et *excretorio*. Ab excretionibus tamen generationem separavi, quae mihi tanti momenti esse videbatur (quamvis rite ad secretiones referenda) ut in quinto, ultimoque capite de illâ separatim agere non dubitaverim.

PARS TERTIA.

ANATOME RANAE ESCULENTAE.

OSTEOGRAPHIA.

§. 1.

Columna dorsalis et Pelvis.

Statuamus sceleton ranae ita videri, ut facies observatorem spectet. Tunc partes, quae ab ano versus faciem tendunt, anticam habent directionem, postica vero est directio a capite versus anum. Pars superior est illa quae altum, pars inferior quae imum spectat.

Rachis novem vertebris constituitur.

Superior jam *racheos* facies statim lineam quandam visui offert, medium exacte tenentem, ab apophysibusque formatam exsilientibus, interruptam in unâ quâque vertebrâ. Haecce linea formatur ab *apophysibus spinosis* in quâque vertebrâ obviis.

In conspectum porro veniunt in eâdem superficie duae margines exsilientes, formatae a *processibus obliquis superioribus* (1) in quâcumque vertebrâ praesentibus, conjunctistisque cum *processibus obliquis inferioribus* superioris vertebrae. *Atlas* autem hic excipiendus est, quippe qui in posticâ tantum parte duas planas offert superficies ad recipiendos *processus obliquos superiores*, et in parte anticâ praeditus est *duobus sinibus articularibus*, quibus excipit duos capitis condylos.

---

(1) Processuum obliquorum nomina vulgata: *Superiores* et *inferiores* hic servata sunt, licet e positione in quo sceleton nobis appositum fingimus, proprie dicendi essent *anteriores* et *posteriores*.

Vertebra nona hic etiam excipienda est; *processibus obliquis superioribus* praedita est in anteriore parte, in posteriore duobus condylis, qui movendo ossi coccygis inserviunt (1).

Apophysibus jam *transversis* tota spina praedita est, inter processus *obliquos superiores* et *processus* obliquos *inferiores* excretis, atque posticam partem spectantibus. Unaquaeque harum apophysium corpore vertebrae, aliquotenus longior est, tenuis atque extremitate cartilaginosâ, obtusâ.

Atlas caret hisce apophysibus. In *vertebrâ secundâ* ceteris breviores, in *tertiâ* et *nonâ* ceteris longiores sunt.

Rachis in parte inferiore superficiem quandam offert planiusculam, magis vel minus convexam, nullis excretionibus vel tuberibus praeditam, nisi quod in quâque vertebrâ latus anterius, et posterius marginem parvam offert, vix visibilem. Praeterea in anteriore parte cujuscumque vertebrae, *sinus* occurrit *articularis*, ad recipiendum *condylum anterioris vertebrae*.

In *atlante* autem duo hujusce modi *sinus* (ut ët antea dictum) *capitis condylos* recipiunt, in *vertebrâ nonâ* duo condyli adsunt.

Cavitas medullaris omnes vertebras transiens, formam fere habet prismatis quadrangularis, in parte anteriore majoris, in parte posteriore minoris.

In trunco praeter vertebras occurrit *os coccygis* (a Cuvierio ët Froriepio *sacrum* dictum), quod simplex est, longum, compressum, acutum. In parte anteriore *duo sinus* inveniuntur *articulares*, quorum ope super posticae vertebrae condylos movetur. Longitudine *rachin* fere aequat.

Os videtur longum, cavum atque teres esse, in superiore superficie autem expansio plana adest, unde forma ei fere conica. Postice desinit in bulbulum cartilagineum.

Apophysibus jam *transversis* vertebrae posterioris, sese ligamentorum et cartilaginis ope adjungunt duo *ossa ilia*, longissima, quae cum *ossibus ischii* et *pubis* unum quoddam corpus constituunt, symphysi (cartilagineam formante crenam) conjunctum, atque *acetabulum ossis femoris* formans.

Forma jam ita fere sese habet: Aliquanto longius est osse coccygis, formam primo rotundam ambo ejus brachia mentiuntur, in superiore superficie exeuntem in ex-

---

(1) Monstruositatem in vertebrâ octavâ et nonâ saepius inveni, oriundam e conjunctione utriusque hujus vertebrae.

expansionem acutam. Brachiorum extremitates anteriores cartilagine sunt obductae. Superficies interna, (os coccygis spectans) utriusque brachii, sulcum offert musculo *ischio-coccygio* inserendo aptum. Posticae extremitates excurrunt in corpora subirregularia, fere semilunaria, quae in parte superiore et inferiore concurrentia, cristam formant. Inter superiorem et inferiorem hujusce cristae partem *cavitas* apparet *rhomboidea*, quae antrorsum spectat, quaeque pelvis analogon haberi (pro parte saltem) posset. In postremâ extremitate *iliorum* tuberculus videndus apparet, cavo globuloso in medio praeditus, qui cum hujuscemodi cavo in osse *ischii* et *pubis*, acetabulum format, capituli superioris *ossis femoris*.

Ceteroquin os *ischii* et *pubis* formâ suâ subirregulari lunulam fere exhibent dimidiam, ubique crenâ cartilagineâ cinctam.

§. 2.

Ossa capitis.

Caput in eoque *cerebrum* sedes est vitae animalis. In capite igitur illae partes quae cerebrum continent, essentiales; quae faciem constituunt, minus essentiales esse videntur. A *cranio* propterea incipiendum.

A.

Cranium.

Cranium in *Ranâ esculentâ* formae est fere cylindricae, superne latum, inferne minus latum immo angustum, antice compressum, postice amplum est. Constat quinque ossibus: 1. *osse ethmoideo*, vel saltem cum *ethmoideo* hominum aliquatenus analogo (*Riechbein* Cari (1)). 2. *osse frontali*, 3. *osse sphaenoidali*, 4. *duobus ossibus temporalibus*, sive potius *occipitalibus*.

In *osse frontali* et *sphaenoidali* egregie enitescit linea illa mediana, indicium symmetriae omnium organorum ad animalem vitam pertinentium, a Bichatio tam eleganter quam sagaciter explanatam (2). Utrumque enim duabus partibus glutinatis (ut ita dicam) constituitur. Sed videamus specialia, generaliora praetereuntes.

Os ethmoideum, anticam cranii partem constituens. formam habet subregularem. Tubo enim constare videtur, majori suâ aperturâ cerebri partem priorem continente, in duoque foramina exeunte, quae trans-mittunt *nervos olfactorios*.

Haecce foramina ad partem priorem ossis, formant cavitates duas, infundibuliformes,

---

(1) Lehrbuch der Zootomie von C. G. Carus, Leips. 1818. pag. 117.

(2) Vide: Recherches physiol. sur la vie et la mort I P. Art. II. §. 1.

mes, fereque pyramidales, quarum major apertura nares spectat. Ad latera ibique quidem in superiore parte duo foramina adsunt, ad transmittendos *nervos ophthalmicos*, quinti paris. Superficies porro superior plana est, atque multo brevior superficie inferiore, quae et convexa est.

Os frontale formam fere haberet parallelogrammi, nisi pars posterior latior esset. Tenuissimum est os, atque unâ tantummodo constat laminâ. Ortum est (quod in junioribus etiam individuis observatur) e duobus ossibus inter se similibus, quae ad posticam partem irregularia, antice exeunt in parallelogrammum completum. Sequentibus annis extremitates irregulares conjunguntur, regulares autem semper a se invicem remotae manent, nisi aliquando cartilagine obductae conjunctionem partialem subeant. Totam longitudinem cranii superne constituunt. Facies superior plana est. Sulcus autem, e symphysi ossium oriundus, semper (aliquatenus saltem) remanet. Pars postica superne convexa est. Facies inferior duos sulcos offert, totam ossis longitudinem percurrentes. Praeter hosce sulcos excrescentiae tres minimae, in parte irregulari observantur, e formâ cerebri hoc in loco forsitan (?) oriundae. Haecce extremitas posterior irregularis, cum ossibus temporalibus, extremitas anterior cum osse ethmoideo conjungitur, suturâ squamosâ.

Os sphaenoideum longitudine os frontale aequat. Formam habet crucis. Facies inferior, quae externa, est convexa; facies superior, quae cerebrum spectat, est concava. Extremitas anterior in apicem exit, lineâ medianâ egregie fissum. Ambo crucis brachia expanduntur obtusasque habent extremitates. Crucis culmen (si partem anteriorem basin vocamus) est minimum, totumque fere cartilagineum. Jungitur cum *osse ethmoideo* et cum *duobus temporalibus* suturis squamosis.

Ossa temporalia sunt polymorpha. *Meatus auditorii* maximam partem continent. Quodcumque ex *ossibus temporalibus* duabus partibus constitutum esse in junioribus individuis statim apparet, in adultis hoc maceratione potest anquiri.

Cavitates et Foramina.

a. Inpressio ovalis (Geoffroy (1)), in osse capiti adhuc adjuncto, statim occurrit. In supernâ enim parte, magna illa est inpressio, quae a suturâ squammosâ, quâ *ossi quadrato* adjungitur, extenditur, usque ad suturam *ossis frontalis*. Totum labyrinthum superne tegit.

b. E regione hujusce *inpressionis ovalis*, in parte aurem spectante externam, *cavitas maxima* videtur, quae apparatum acusticum continet, cavitas est subirregularis, aurisque mediae parietem constituit osseam.

c.

---

(1) Voyez Geoffroy premier mémoire sur l'organe de l'ouie des reptiles et des poissons dans les Mémoir. de Math. et Physiq. presentées a l'Academie Royale. T. II. p. 164.

c. Fenestra ovalis, quae gyro sinuoso ad labyrinthum tendit, eumque transiens per parvum foramen *nervum acusticum* transmittit, qui ad internam *condyli occipitalis* partem e *cerebro* provenit.

d. Sub *condylo occipitali* invenitur foramen, idem cum foramine condyloideo anteriore hominum, quod *nervos linguales* transmittit.

e. Crena cava in superficie inferiore adest, cui *expansio transversalis ossis sphaenoidei* adjungitur suturâ squamosâ.

Processus externi.

a. Apophysis petrosa, quae cum *osse quadrato et jugali* conjungitur harmoniâ fere squamosâ.

b. Condylus quo caput movetur supra rachin.

c. Crena in superficie superiore, cui sese suturâ squamosâ adjungit *os frontale*, quaeque partim inserendo musculo *lumbo-costali* inservit.

Hae igitur cranii sunt partes. Faciem jam videamus, quam vocamus totam osseam capitis compagem, cranio excepto.

B.

Facies.

Facies *ossibus* jam constat 1. *quadratis*, 2. *ossibus jugalibus* 3. *ossibus palatinis*, 4. *ossibus nasalibus*, 5. *maxillâ superiore*, 6. *Maxillâ inferiore.*

Utrique ossi *temporali* adjunctum est *os quadratum* (*os malae*). Figura est irregularis. In quocumque occurrunt *apophysis orbitaria*, quae mediante suturâ squamosâ cum *apophysi petrosâ ossis temporalis*, orbitae partem lateralem et posteriorem superne efficit. Haecce apophysis in apicem exit, et cartilaginis ope cum *osse jugali* conjungitur. Altera extremitas hujusce apophysis est transversa, conjunctionique cum *osse temporali* inservit. *Apophysis quadrata* praeterea occurrit, cujus analogon est os quadratum in plurimis reptilibus aliisque animalibus obvium. Longa est et gracilis cum *apophysique orbitariâ* fere ita cohaeret, ut capitulus cum malleo. Retrorsum tendit et cum *osse jugali* per totam suam fere longitudinem conjuncta est cartilaginosâ glutinatione, extremitasque posterior cum posticâ maxillae superioris parte in cartilagineum exit capitulum, quod movetur super cavum articulare maxillae inferioris. Facies interna concava, externa vero convexa est.

Ossa jugalia utraque lateralem posterioremque partem orbitae inferne constituunt. Tribus quodque constat apophysibus, quarum *prima* (quam *lateralem* dicere possemus) quae et brevior est, et figurae fere quadratae, *apophysi petrosae ossis temporalis* inferne adjungitur, in confiniis expansionis lateralis *ossis sphaenoidei.* Apophysis alia occurrit, quae retro tendit, (unde eam vocamus *posteriorem*) et lata est. Haecce *apophysi quadratae ossis quadrati* cartilaginoso conjungitur ligamento. Apophysis jam superest hujus ossis maxima, quae antice vertitur (unde *prioris nomen*). Magnam partem constituit lateralem oris cumque maxillâ superiore nec non cum *apophysis orbitariae ossis quadrati apice*, ac *ossis palatini posterioris parte maxillariâ* conjungitur. In hacce priore apophysi, sulcus adest, qui orbitam spectat. Facies interna convexa, externa concava est.

Maxilla superior sex ossibus constat symmetricis, quorum tria dextram, triaque sinistram constituunt partem. De tribus igitur tantummodo dicendum est; de *osse minore* maxillae superioris, de *osse* ejus *majore* et de *ossiculo intermaxillari.*

Os maxillare minus arcte cohaeret cum extremitate inferiore *apophysis quadratae ossis quadrati.* In posticâ jam parte extenditur, mox tamen parvâ curvaturâ externe convexâ, antrorsum tendit in apicemque excurrit. Hicce apex squamâ cum osse *supermaxillari majore* conjungitur. In hocce osse dentes non inveniuntur, qui in *supermaxillari majore* in *intermaxillaribus* et *palatinis anterioribus* adsunt.

Os maxillare majus. Parvâ curvaturâ ad latus externum convexâ, totam fere longitudinem maxillae superioris constituit. Longum est et gracile. Externa superficies plana est nullasque expansiones offert. Interne per totam suam longitudinem *crenam* offert, cui sese inferne adjungit cutis oris, ita ut in vivo individuo nihil hujusce internae superficiei appareat nisi *apophyses odontoideae*, quas *triginta octo* in uno quoque latere numeravi. Apophyses illae odontoideae in apicem exeunt, ad externam partem oris aliquatenus convexam. In confiniis ossium maxillarium pauxillum extenditur *os maxillare majus.* Superne apparet *apophysis transversa* quae formandae orbitae parti anteriori concurrit, et cum *apophysi ossis nasalis* conjungitur suturâ squamosâ.

Tertium os maxillae superioris est *os intermaxillare.* Externa superficies convexa est. Crena, quae in maxillae superioris internâ parte occurrebat, hic procurrit et quidem ita extenditur, ut satis magnam *palati* partem teneat. *Apophysin* habet *nasalem*, quae externe convexa, interne concava est. *Decem* denticuli in uno quoque observantur. Cum *maxillae osse majore* et cum *suo pari* cartilaginis ope conjungitur, cum *ossibus* vero *palatinis* membranae interventu.

In basi jam cranii apparent *quatuor ossicula palatum formantia.* Ossa sunt *palatina anteriora* et *posteriora.*

Ossa palatina anteriora duo adsunt, dextrum et sinistrum. Fundum efficiunt cavitatis nasalis. Forma est irregularis. Anticam unumquodque habet *apophysin*, quâ *ossi maxillae superioris majori* adjungitur, superne crenam offert cuti oris firmandae inservientem. *Externam* habet aliam apophysin, cui sese membrana adadjungit *ossi maxillari* adhaerens formansque partim basin cavitatis nasalis. *Postice* offert apophysin, quam *posticam infernam* dicere possis. In infernâ enim superficie ossis apparet procurritque postrorsum, tandemque *ossi palatino posteriori* adjungitur. Cum *externâ apophysi* foramen format, quo nares cum oris cavo cohaerent. Postica superficies (dentibus munita *decem* vel *duodecim* antice convexis) *ossi ethmoideo* juncta est. Latera interna *ossium palatinorum anteriorum* inter se conjuncta sunt et quidem in directione lineae medianae.

Ossa palatina posteriora parva sunt transverse posita, statimque pone *ossa palatina anteriora* apparent. Orbitae parietem anteriorem inferne constituunt. Utrumque formam habet spatulae, cujus pars lata externe vertitur interneque superficiei *ossis majoris maxillae superioris*, nec non *apophysi priori ossis jugalis* adjungitur. Extremitas interna parti inferiori *ossis ethmoidalis* adhaeret. Superne os crenam parvam offert, quâ *ossi nasali* adjungitur.

Ossa nasalia duo superne convexa, inferne concava sunt. Antice utrumque in apicem exit, postice *transversâ apophysi* usque ad maxillam tendit, igiturque superne orbitae format parietem anteriorem. In hacce *transversâ apophysi* per totam longitudinem sulcus adest, *cavum nasale* augens volumine. Interne cum suo pari jungitur, cartilaginis ope; externe *apophysi transversâ* ossis maxillaris majoris adhaeret. Inferne postica pars cum *osse ethmoideo* jungitur, nec non cum *osse palatino posteriore.*

Maxilla inferior quatuor ossibus constat symmetricis, *duobus dextris*, *duobusque sinistris.* Duo igitur describenda sunt. Posticum utrumque quod maximum est *os articulare* dicere posses, quia super condylum *ossis quadrati* movetur. Os anticum utrumque, quod minus est *os intermaxillare inferius* dici posset.

Os articulare. Extremitas quae *cavitatem glenoideam* continet paulum elevatur, caeteroquin ossis corpus externe convexum antrorsum tendit, nec superne usquam nec inferne adscendit aut descendit. Ante *cavitatem glenoideam* processus datur *coronoideus* (*os complementaire?* Cuv.), cui masseter sed inprimis crotaphites inseruntur. Superficies externa porro per totam suam longitudinem sulcum offert, cui cutis adjungitur et pro parte musculus masseter. Praeterea hicce sulcus recipit apophysin externam *ossis intermaxillaris inferioris.*

Os intermaxillare inferius adest minimum *quadratum.* Anticam maxillae inferioris partem constituit. *Apophysis* ei adjuncta est longissima, gracilis, quae cum ossiculo ipso angulum fere format rectum.

Hujusce apophysis interventu ossi articulari adjungitur suturâ squamosâ. Suo pari, cartilaginis ope adhaeret.

§. 5.

Ossa sterni et extremitatum anteriorum.

Pars anterior (*extremitates pectorales*) in batrachiis non ut in mammalibus, avibus plurimisque reptilibus, Ranae quam maxime affinibus, e. g. Chamaeleonte, Lacertâ, aliis, ope *clavicularum* vel *apophysium cartilaginearum*, cum spinâ vertebrali conjungitur. Musculorum tantummodo interventu conjunctio efficitur, in sceletoque igitur pars pectoralis cum reliquis ossibus non cohaeret. Haecce jam pars (a Caro vocata *vordern Knochengürtel*) constat: *A. parte scapulari*, *B. parte sternali*, *C. parte brachiali.*

A. Pars Scapularis.

Pars scapularis tam in dextro, quam in sinistro latere composita est, duobus ossibus: 1. *Expansione scapuloideâ*, et 2. *Scapulâ ipsâ.*

Expansio scapuloidea. Os est tenuissimum, formae fere quadratae. Latera in cartilaginem exeunt, vel potius totum os cartilagineum est, hic illic granulas osseas offerens. Cartilagine etiam cum scapulâ ipsâ conjungitur. Unâ tantummodâ constat laminâ, cujus utraque superficies est plana. Dorsum post caput tegit. In *Ranâ pipâ* maximas habet expansiones, quarum analogia cum testudineo scuto negari nequit.

Scapula ipsa offert *cavitatis glenoideae* partem, quâ caput humeri movetur, cujus in fundo foramen tendit ad partem ossis posteriorem. Pars superior ossis conjungitur expansioni scapuloideae, pars inferior cum claviculis, utraque cartilaginis ope. Facies superior est convexa, inferior concava, nullisque expansionibus utraque superficies notanda.

B. Pars Sternalis.

Pars sternalis (1) quae in quibusdam generibus e. g. *Pipa*, immo etiam in quibusdam, quae observare valui, monstris, maximam habet analogiam cum sterno testudinum

---

(1) Linea mediana granulis osseis in cartilagine obviis constituitur, quae vestigia sunt ossis centralis in aliis oviparis, in avibus, praecipue in pullo gallinarum obvii, quaeque Cl^{o}. Geoffroy St. Hilaire maximi usus fuit in constituendâ analogiâ inter sternum aliorum animalium vertebratorum et illud piscium. Voyez: Philos. Anatom. Tom. I. pag. 109 etc.

num (quod etiam a Caro observatum est (1)), sex ossibus componitur, duabus claviculis majoribus, duabus minoribus, et duobus ossibus sternalibus.

Clavicula major utraque, cum scapulâ *cavitatem* constituit *glenoideam.* Pars externa, scapulam spectans coni fere figuram exhibet, cujus basis arthrodiae cavitas est. Apex autem mox extenditur, ita ut fere triangulum formet, cujus basis e regione baseos sui paris, lineae adjungitur medianae. Nulla inaequalitas in quâcumque facie occurrit.

Claviculae minores (*claviculae accessoriae* Cari (1), *apophyses* sive *claviculae coracoideae* Geoffroy St. Hilaire (2)), tres expansiones acutas parvas exhibent quarum ope parti scapulae inferiori adhaerent. Os est parvum utrumque, gracile, ad lineamque medianam in apicem cartilaginosam exit.

Ossa sternalia. Os sub abdomen positum, postrorsumque tendens, extremitate suâ anteriore sterno adjunctum, cum *apophysi* sive *cartilagine xyphoideâ* hominis convenit. In anteriore sterni parte ejusdem fere formae os observatur, etiam laminâ cartilagineâ terminatum. *Os sternale anterius* et *posterius* dicere posses. Utrumque jam ejusdem fere formae est, posterius vero majus faciem fere exhibet clepsydrae, cujus utriusque basis nititur cartilagine, ex ossis centralis vestigiis oriundâ. Pars superior exit in cartilaginem, in anteriore unilobam, in posteriore bilobam. Superficies sunt planae, quam plurimumque latera cartilagine sunt obducta.

C. Pars Brachialis.

Utraque *pars brachialis* componitur *osse humeri*, *antibrachio* et *manu.*

Os humeri est fusi-forme. Extremitatem habet superiorem et inferiorem. In superiore occurrunt: *caput*, quod arthrodiâ movetur super cavitatem e scapulâ et claviculis majoribus oriundam: *tuberculum majus* quod expansio est ossea, in priore ossis facie obvia, dimidiam fere longitudinem ossis comprehendens, inserendis musculis variis pectoralibus est idonea. Ad utrumque latus hujusce *tuberculi majoris* canalis conspicitur, *canalis humeralis* (*gouttiere humerale* Cuvier), atque *tuberculum minus* quod anterius est et sub capitulo.

In inferiore superficie adsunt: *condylus capitatus*, *antibrachio* movendo necessarius. *Condylus internus*, qui inservit *extensoribus* et *flexoribus digitorum* inserendis. *Condyli* in homine *externi* fere hic adest rudimentum.

Longitudinem *os humeri* fere eandem habet cum osse coccygis.

---

(1) Lehrbuch der Zootomie, pag. 119.

(2) l. l. pag. 119.

(3) Philosophie anatomique tom. I. planche 2. fig. 22. litt. c.

Antibrachium constat *cubito* et *radio* in unum conglutinatis. Quod quamvis et e figurâ externâ jam pateat, ex internâ structurâ quam maxime apertum fit. Cava enim medullaria quamvis in superiore parte aliquantum coeant, in inferiore duos canales offerunt separatos (1). Pulcerrimum hoc omnino glutinationum e theoriâ Candollii exemplum (2).

Pars posterior jam continet *cavum* articulare: *acetabulum condyli capitati ossis humeri.*

Pars inferior quae latior est, *cubiti* et *radii* extremitates cartilagine conjunctas, satis bene offert. *Capitulum inferius* in *cubito*, *apophysin styloideam* in *radio.*

Manus tribus ossium constat seriebus. *Prima* series duo habet ossa, *os radiale* et *cubitale*, *secunda* tria habet, quorum maximum sustinet rudimentum pollicis, duobus articulis constans. *Tertia series* tribus iterum ossibus constituitur.

Digitus secundus sustinetur a *primo* horum ossium, *quartus* sustinetur a *secundo*, *tertius ambobus* tam *primo* quam *secundo osse* nititur, *minimus digitus tertio* sustinetur *osse.*

Forma horum ossium est subirregularis. Ossicula vero secundae seriei, satis bene cuneum mentiuntur, unde etiam prima series tertiam tangit. Saepius vero cartilagine ita sunt obducta, ut vera forma agnosci plane nequeat.

Metacarpus quatuor ossibus constat inter se aeque longis. Forma est cylindrica. Extremitas inferior concava, superior convexa est. Longitudo fere tertiam partem longitudinis ossis humeri adaequat.

Quod ad digitos; *pollicis* tantummodo adest rudimentum. *Duae phalanges primum* et *secundum digitum* constituunt, *tertius* vero et *quartus digitus tres* habent *phalanges.* Extremitates phalangium quae cum *ossibus carpi* conjunguntur cavae sunt, extremitates superiores capitulum offerunt. *Apices digitorum* omnes exeunt in unguiculas cartilagineas.

§. 4.

Ossa extremitatum posteriorum.

Utraque extremitatum posteriorum sive inferiorum constat sex partibus, *osse femoris*, *tibiâ* et *fibulâ*, *tarso*, *metatarso* et *digitis.*

---

(1) Minus recte Cuvierus mihi dixisse videtur. Lec. d' A. C. t. I. p. 29: *On voit vers le bas elargi de cet os, un sillon de chaque coté; seul vestige d'une distinction en deux os.* E sectione transversâ enim ossis, *plura* vestigia illaque clariora obviam veniunt.

(2) Voyez De Candolle theorie Elem. de la botanique, totum Librum III. ubi agit de: *théorie de la classification naturelle.*

Os femoris est fusiforme. Duplici gaudet curvaturâ, quarum illa quae *pelvim* spectat antice concava, quae *tibiam* spectat antice convexa est. Extremitas hujus ossis superior caput habet, quod libere movetur in *cavitate cotyloideâ ossis ischii* et *pubis*, ibique retinetur ligamento capsulari, totam cavitatis marginem ambiente. Extremitas inferior condyli in homine externi et interni rudimenta quaedam offert, rudis autem saepissime moles videtur, cartilagine obducta.

Tibia et *fibula*, quamvis separatim non appareant, ambae adsunt, sed conglutinatae. In extremitate enim superiore et inferiore, externa et interna hujus glutinationis vestigia apparent. Parva gaudent curvaturâ deorsum convexâ. Ambae extremitates cartilagine cinctae *gynglymo* moventur, firmissimisque ligamentis circumdantur. In mediâ superficie magnum foramen occurrit nutrititium. Figurae est os in medio fusiformis, in extremitatibus latae, compressae.

Tarsus astragalo, *calcaneo* et *ossiculis* constat *cuneiformibus*. *Astragalus* et *calcaneus* multò majores sunt in Batrachiis quam in caeteris animalium ordinibus, quod saltui ranino egregie inservit. Quominus autem hoc nimis teleologice consideretur, prohibent *bufones*, qui quamvis *astragalum* et *calcaneum* habeant aeque longos ac *Rana esculenta* et *temporaria*, saltu vix utuntur.

Astragalus jam et *calcaneus* quamvis separati, in extremitatibus sunt concreti ibique superne *ginglymo* moventur super *tibiam* et *fibulam*, inferne super *quatuor ossicula cuneiformia*. Forma est utriusque oblonga. Fere nescires quid os *calcanei* nomine, quidque illo *astragali* insignires. Prius vero os, aliquanto minus, anticeque convexum vocabimus *astragalum*, cum *calcaneo* quod rectum est conjungitur syneurosi.

Ossicula cuneiformia sequuntur. Seriem exhibent tarsique reliquam anticamque constituunt partem. In juvenibus individuis massa tantummodo cartilaginosa videtur esse, in senioribus saepe unum duove abortiva sunt. In quibusnam enim duo, in aliis tria, quatuorve inveni. Ossicula sunt minima, formae subirregularis.

Metatarsus quinque constat ossibus majoribus, unoque minore, minus est *os metatarsi pollicis*, quod in quibusdam individuis parvo tubere cartilagineo, in aliis osseo constare mihi visum est. *Ossa metatarsi digiti secundi*, *tertii*, *quarti* et *quinti* sensim sensimque crescunt, *sexti* decrescit, ita ut fere aeque longum sit ac *os metatarsi digiti quarti*. Ossa fere sunt fusiformia, ad utramque extremitatem aliquotenus dilatata. Basis cava, extremitas superior convexa est.

Digiti adsunt *sex*. *Pollex* omnium brevissimus est. A pollice usque ad *quintum* longitudine crescunt digiti, sextus decrescit. Pollex *unam* tantummodo habet *pha-*

langem saepius cartilagineam. *Digitus secundus et tertius duabus* gaudent *phalangibus*, *quartus tribus*, *quintus quatuor*, sextus *tribus*, munitus est.

In *pollice* phalanx basi gaudet concavâ et in apicem cartilagineam exit. Aliorum digitorum phalanges inter se similes sunt. Sensim sensimque enim omnes longitudine decrescunt. Bases omnes sunt concavae, summitates convexae, ultima cujuscumque digiti phalanx exit in apicem cartilagineum.

§. 5.

Generaliora quaedam ad Osteogoniam pertinentia.

Sceleti descriptione absolutâ, jam jam ad osteogoniam nobis transgrediendum esset. Angustia vero temporis, ad hocce specimen elaborandum concessi, studiorumque anatomicorum ruditas (1) inpediebant quominus saepius gyrinos dissecarem in unâquâque vitae periodo: pauca igitur tantummodo individua tali modo dissecui, ut quaedam inde consecuta sint mihi non plane inepta visa, quae in medium proferrem.

Sceleti jam usum esse triplicem, inter omnes anatomicos hodie constat. Usus primarius est, ut tegatur sensorium commune i. e. cerebrum ejusque accessoria; secundus: ut tegatur nervorum systema in genere; usus tertius, aliquotenus adventitius est: ut fiat musculorum insertio et locomotio facilis et constans (2).

Hoc demonstratur egregie, tam in illis invertebratis, ubi sceleti primordia inveniuntur, e. g. in Sepia Loligine, Calmare, aliis; quam in systemate osseo foetali, ubi semper partes sensorium et nervos tegentes omnium primae evolvuntur ac perficiuntur.

Haecce jam sententia egregie in gyrino dissecando mihi demonstrata est. Semper enim observavi rachidem et ossa capitis ad sensorium pertinentia, prius formari: diu postea oriri ossa faciei et extremitatum. Quod igitur, ut melius intelligatur nostrisque sententiis postea subjungendis clarior lux affluat, breviter videamus de ossificationis progressibus.

Cy-

---

(1) Quin imo! quid a juvene tenui flagitari potest, quum a doctissimis harum rerum doctoribus petatur:

» D'exposer d'une maniere complete et avec des figures, les changemens qu'éprouvent le squelette et les muscles des grenouilles et des salamandres, dans les differentes epoques de leur vie." Vide Revue Encyclopedique Juillet 1828. pag. 262.

(2) Conferri hic meretur Cl J. v. d. Hoeven in dissertatione de Sceleto piscium L. B. 1822. qui pag. 4 seqq. egregie agit de variis ossium functionibus.

Gyrinos in mense Aprili (a die 16—25) collectos, Julio et Augusto mensibus dissecabam. Pedes posteriores satis jam evolutae erant, anteriorum vixdum vestigia inveniebam sub cute. Quatuor sceleta satis completa praeparabam, in quibus omnibus duo ossa temporalia aderant, quorum unumquodque duo puncta ossificationis ostendebat; quod cum nostris experimentis in ossa ranae adultae institutis egregie convenit. Ossa temporalia enim per dimidium horae spatium aquâ cocta, in duas dividebantur partes, plane easdem cum partibus quae in gyrino prima ossificationis puncta ostendebant. Os frontale, quod etiam duabus partibus constat symmetricis, duo puncta ossificationis ostendebat, e quibus antrorsum et postrorsum radii emittebantur calcarii. Os sphaenoideum erat formatum, calceque in duobus punctis explebatur, in confiniis expansionum transversarum, quae postea cum ossibus temporalibus conjunguntur. Ossa igitur cranii, ossa ad sensorium commune pertinentia, ossa vitae animalis (1), jam egregie evoluta erant, ossa vero faciei non ita. Os enim ethmoideum hic illic cartilaginem solidiorem exhibebat, ossificationis vero puncta invenire non valui. Ossa jam quadrata et jugalia, in duobus tantummodo individuis, ostendebant ossificationis initia, in duobus aliis plane erant cartilaginosa. De maxillâ superiore idem valet. Os majus hujusce maxillae enim, in uno tantum individuo erat aliquatenus osseum. Caetera tam maxillae superioris quam palati os-

sa,

---

(1) Opinionibus Bichatianis de vitâ animali et organicâ totus inbutus, sagacissime cl. J. v. d. Hoeven (De sceleto piscium pag. 10) ossa dividit in *ossa* ad *vitam animalem* pertinentia et ad *vitam orgdnicam*. Ossa porro vitae animalis, tria quasi systemata constituunt:

A. Ossa systematis nervei partes essentiales tegentia.
B. Ossa organa sensus includentia.
C. Ossa motui inservientia.

Ossa vitae organicae etiam tres constituunt series:

A. Ossa nutritionis strictiori sensu i. e. masticationis et deglutitionis.
B. Ossa respirationis officinae dicata.
C. Ossa generationis officinam includentia.

Jam cum hacce classificatione ossium, si comparentur nostrae observationes ad ossificationis progressus pertinentes pulcra quaedam inde mihi profluere corollaria videntur.

Primo enim os fiunt *ossa vitae animalis* encephalum obducentia, deinde illa quae sensuum organa continent, postremo quae motui inserviunt, simulque cum posterioribus ossa nutritionis, respirationis et generationis materiâ inplentur calcariâ.

Rachis, altera illa ossium vitae animalis series, statim post ossa encephali evolvitur et ossificatur. Haec jam egregie conveniunt cum antea dictis de relativo ossium valore (v. d. Hoeven l. l. pag. 4). Ossa enim digniora essentialia — quae basin sceleti constituunt — primo evolvuntur — minus essentialia deinceps sese ostendunt.

Si ratio vero quaeratur, cur rachis seriori gaudeat ossificatione ac ossa encephalum obducentia, vix quicquam habeo, quod respondeam, nisi quod rachidis ossa motui simul inserviant (cf. v. d. Hoeven pag. 10.), eorumque itaque consolidatio cum illâ organorum motus arcte cohaerere videatur.

sa, nondum verae osteogeneseos initia monstrabant, immo ossa nasalia, (parvi hic sane momenti, nec ad summum vitae animalis multa facientia), vel per anni spatium cartilaginea manebant. Maxilla inferior in duobus tantum individuis servata erat, ubi nihil nisi pulpam offerebat cartilaginosam.

Rachis autem, quod a priori jam intelligendum, licet non simul cum cranio substantiam calcaream assumere incipiebat, tamen multo prius quam facies ossificationem subibat, ita ut satis jam ossea ejus esset substantia, quum facies adhuc tota quanta erat cartilaginea. Ossibus igitur cranii et rachidis satis jam evolutis citissime evolutio et ossificatio incipit pedum posteriorum et quidem ita ut in dies earum incrementum observari possit. Primo formatur os femoris, deinde os fibulae et tibiae, jam jamque ad calcaneum et astragalum transgressâ ossificatione, — incipit formatio extremitatum anteriorum, quarum, mirum est, quam lenta sit evolutio.

Liceat hic jam inserere sagacissimam ratiocinationem, quâ ex praeceptoribus amicissimus mihi, elegantissimâ suâ et simplicissimâ methodo, totum ossificationis progressum, in lectionibus publicis, explicare solet (1).

« Tela ossium formativa (ita fere loqui solet) nutritur vasculis, in ipsorum ossium « substantiam penetrantibus, fit vera cartilago; denique verum os.

« Sed in eâdem ratione quâ os oritur, vascula obliterantur ad substantiam ossis « pertinentia, unde sanguinis affluxus ad hasce partes minuitur.

« Quid itaque fit in ranae gyrino mox nato?

« Cartilagines adsunt vertebrales (tum capitis tum spinae) perfectiores: adsunt « cartilagines ossium faciei minus perfectae, cartilaginibus membrorum posteriorum « vix ullus, anteriorum nullus huc usque conceditur locus.

« Sanguis itaque ad partes vertebrales advectus, impenditur ad ossificationem: per- « ficiuntur quoque cartilagines faciales. Sanguis posteriora versus fluens, rachidem, « cujus cartilagines eundem cum iis cranii perfectionis gradum habere videntur, in « os mutare incipit. Sed quia longior est ejus tractus, cum cauda quoque nutrimento « indigeat, minorque relativa sanguinis quantitas, ossificatio vel inde lentior. Sed « cranii ossibus jam jam ossificatis, sanguinis minuitur ad eas partes affluxus. San- « guis vero nunc majori quantitate adfluit in rachim, eamque in os mutat et quum « vel sic omnis sanguis inpendi nequeat, incipiunt magis magisque evolvi membra « posteriora. Evolvuntur eorum ossa, tum vero musculi. Ossa faciei continuo quo- « que solidescere incipiunt. Quid jam? pedes posteriores natationi inservire inci- « piunt, cauda languescere incipit, nec amplius augetur, pedum posteriorum evo-

---

(1) Cl. **Nicolaus Mulder**, Chemiae et Botaniae professor in Athenaeo quod est Franequerae.

« lutio est completa: quid mirum quod jam sanguis anteriora versus pellitur, vasa « ibi stimulat, nutrimentum largum affert: — verbo, quod pedes anteriores evol- « vuntur eorundemque ossa vere os fiunt!"

Porro jam nobis cum mutatâ statione animalis egregie convenire videntur, evolutionis progressus supra adnotati.

Animal enim in primo vitae stadio est *aquatile piscinum*. Piscium sese modo movet, huicce usui praeclare inservit caudae structura, quae cum anguillae muraenae structurâ, praecipue illâ partis posterioris, pulcre convenit (Cf. J. v. Swammerdam Bibl. Nat. tab. 49. fig. 1.) Ubique enim musculi transverse sunt positi, structuramque habent quam dicunt anatomi pennatam, superne et inferne exeunt musculi in margines membranaceas, pinnis analogas. Pedes posteriores primo quoque sunt pinniformes. Respiratio, (quae vero hic minus alleganda), verbo, omnia sunt piscina.

Jam jam evadit animal, *aquatile pedatum*. Natando continuo sese movet. Non vero ejusdem necessitatis hic est cauda ac in priore statu (quae igitur jam flaccessere et leni detrimento absumi incipit), nam pedes posteriores peculiari modo nunc motui inserviunt. Pedes enim posteriores, ad phocarum modum, membranâ sunt munitae interdigitali, quae, quum natare constituunt expanditur. Major exinde palmarum evadit superficies, quae ab aquâ igitur multo melius ac antea fulcitur. Rana jam, pulmonibus aere expletis, ubique eodem cum aquâ pondere gaudet specifico, corpus igitur rite sustinetur. Corpus jam extenditur. Palmae aquaeae columnae appositae prohibent ne postrorsum fluctuat rana — jam jam vero pedes adtrahuntur, distantia igitur illa quae a fulcro usque ad truncum aderat transnata est. Corpus iterum extenditur, a pedibus in fulcro retinetur, pedibus iterum attractis eadem quae antea distantia est absoluta.

Pedes igitur posteriores ut prius evolverentur, sapienter natura constituit.

Animal exinde gyrinus evadit *terrestre* et *aquatile* (*amphibion*) saltando et natando sese movens. Cauda jam in saltando inutilis, immo molesta foret, igiturque deponitur. Membra nunc posteriora et anteriora firmissima requiruntur, inprimis posteriora — igiturque in illis formandis natura tota est.

Cauda vero ab initio jam forte ita disposita fuit, ut, quamvis cartilagineâ quâdam basi munita, phosphatem calcis non accipiat. Lex enim illa generalis naturae, a summo nostrate Brugmans, tam praeclare in lectionibus publicis explicata, et a Gerardo Vrolik ad arborum defoliationem explicandam egregie applicata (1), quâ om-

---

(1) Gerardi Vrolik Observationes de defoliatione vegetabilium etc. L. B. 1797, ubi paginâ quintâ, summa dissertationis continetur.

1. » Foliorum vita, licet cohaereat cum vitâ totius arboris, propria tamen est, sibique privas vitae periodos » eme-

omni corpori tam vegetabili, quam animali, vita generalis, unicuique vero membrorum vita individualis conceditur, ad caudae ranarum depositionem explicandam egregie adaptata mihi visa est.

Cauda igitur, ex hocce systemate, vitam habet individualem, cum totius animalis vitâ cohaerentem, minime vero eandem. Quamdiu cauda animali necessaria est, quamdiu vitam vivit suam vitalem nec ad ultima vitae stadia pervenit, tamdiu viget. Natura enim legis parcimoniae semper memor, talem vitam caudae tribuit, ut tum quidem quum membra posteriora sunt evoluta, cauda vitam peregerit, propriâque (ut ita dicam) morte pereat.

Eodem enim illo tempore, tota fere absorptio et transspiratio cessat, succique animales stagnantes, totam organi naturam depravant. Organon igitur naturam mutans, stimulus est vicinis corporis partibus, eodem quo antea modo vivescentibus. Omnis irritatio succos allicit, sanguis igitur majori quam antea affluxu partes petit irritatas; inflammatio locum adoritur, putrefactio sequitur. Putrefactio jam prius membranaceas caudae partes depravat, jam jam vero irrepit in musculos, cartilaginosasque vertebras caudales; quarum quaedam (an proprio periosteo involutae?) os coccygis formant, quarum reliquae putrefiunt et decidunt.

Tum vero et illorum theoria (e veterum de ranis paradoxis pravis sententiis oriunda), falsa omnino videbitur, explicantium caudae defectum in ranâ adultâ ita: cauda absorbetur, vel potius ab animale in corpus retrahitur, indeque evanescit (2). Quae sententia licet minus vera, forsan oriri potuisse videtur e quarundam vertebrarum caudalium transmutatione in os coccygis.

» emetitur. Tempore defoliationis folia fato senili succumbunt, vitâ in arboribus superstite. Haec mors proxima » defoliationis causa esse videtur.

2. » Folia mortua eâdem lege de ramis solvuntur, ac in toto regno organico pars mortua per absorbtionem » laminae viventis ultimae de parte vivâ separatur."

(1) Mirum omnino mihi visum est, hancce adhuc sententiam inveniri in Gulielmi Vrolik opusculo de ranâ paradoxâ. (Natuurk. Bijdrag. III, pag. 230,) dicentis, » voor dat hunne (gyrinorum) staart zich terug getrokken heeft."

⁂

MYOGRAPHIA (1).

In tota *reptilium* classe, praecipue vero in *batrachiorum* ordine, (qui *reptilium* infimus est) maximam, quod ad musculorum substantiam et colorem, analogiam cum *piscibus* observare licet. Fibrae adhuc saepius sunt gelatinosae, albicantes. Sanguinis enim minor est quantitas, motus et color, quam in avibus et mammalibus. Fibrae non ita a sanguine turgent, non tam copiose nutriuntur, quod in secandâ ranâ vivâ egregie apparet. Inde explicanda (quod e totâ ranae internâ oeconomiâ egregie patet) vita ranarum, multo difficilius exstirpanda quam quidem vita haema-thermatum, patientiaque inĕdiae, quae maxima est (2). Sanguinis enim non tanta quantitas absorbetur, ad nutrienda omnia organa; sanguine non magnopere quantitate diminuto, cibo etiam non tam frequente opus est, quam in magnâ sanguinis absorbtione.

Ranae ut ossium formâ magnam habent cum mammalibus analogiam, ita etiam in musculis eandem praebeant necesse est. Costarum vero absentia pelvisque forma individualis, nonnullis anomaliis locum dant. Nos jam in hisce musculis describendis eâdem processimus viâ, quâ in Ostographiâ processimus: prius enim vertebrarum et abdominis, secundo capitis, postremo appendicum vel extremitatum musculos describere conati sumus.

§. 1.

---

(1) Omnes quum ranae esculentae musculos praeparavissim, in describendis illis praecipue Cuvierum secutus sum, qui tam breviter et perspicue de hocce praecipue organorum ordine mihi egisse videtur, ut plerumque eum transscripserim: melius enim putabam summi illius Anatomi observationibus uti, quam vano innovationis studio meas, quaeque essent, descriptiones protrudere, innumeraque incurrere in vitia. Hic illic autem, quae nimis breviter videbantur tractata, aliquotenus amplificare et augere conatus sum.

(2) Per duos enim menses quinque ranas esculentas in cupulâ vitreâ servavi, linteo tectâ, nullumque iis cibum obtuli, nisi distillatam aquam. Cum ex hisce ranis unam dissecare vellem, ventriculum inveni contractum, ita quidem ut pylorus ad cardiam usque adscendisset. Intestina, inprimis duodenum, ita sese contraxerant, ut non nisi maceratione parietes separare liceret. Vid. porro Cap. VI. hujusce partis III.

§. 1.

A.

MUSCULI RACHEOS ET PELVIS.

Inter ilia et os sacrum musculus occurrit tenuis, latus, *Ischio-coccygeus.* A totâ internâ superficie ossium iliorum incipit, fibrisque musculosis utrique lateri ossis sacri ita inseritur ut angulum fere cum illo efficiat 20 graduum. Antice cum apophysibus transversalibus vertebrae ultimae jungitur, postice abit in contextum cellulosum totam trunci posticam partem ambientem.

M. Lumbo-costalis (*Sacro-lumbalis*) ante et super *Ischio-coccygeum* sese offert. A crenâ superiore ossis temporalis incipit, et inde cuique vertebrali apophysi transversae, musculoso fibro conjunctus (unde intersectionibus quibusdam divisus videtur) procurrit ad partem ossis sacri anticam, cui fibris tendinosis ita conjungitur ut angulum fere 25 graduum efficere videatur. Vertebrarum quinque priorum apophysibus spinosis huncce musculum etiam conjunctum videmus, et quidem ope tendinis.

M. Obliquus superior sub *Lumbo-costali* positus est. Oritur a foraminis occipitalis margine, inseriturque primae apophysi transversae spinae dorsalis.

M. Rectus anterior, in basi cranii incipit a crena inferiore ossis temporalis, fere sub foramine occipitali, inseriturque primae apophysi transversae.

Musculorum Inter-transversorum inter quodcunque par vertebrarum duo inveniuntur. Musculi sunt breves, vertebrisque dextrorsum et sinistrorsum flectendis inserviunt. A nomine jam intelligitur illos positos esse inter apophyses transversas.

M. quadratus lumborum, qui etiam dicitur *Lumbaris externus*, a longiore apophysi transversali vertebrae tertiae originem ducit, extremitates porro cujuscumque apophysis circumvestit usque ad extremitates anteriores ossium ischii, cui tendine firmissimo adhaeret.

B.

MUSCULI ABDOMINIS.

Musculi abdominis a cute semper sunt separati, tres adsunt qui abdominis parietes in utroque latere efficiunt: *musculus abdominis Rectus*, *oblique adscendens*, *tem*, et *oblique descendens*.

M. Rectus abdominis est musculus longus, latus, tenuis. Magnae fasciae instar juxta lineam medianam a cristâ anteriore ossis pubis tendit usque ad duos lobulos ossis sterni posteriores; a cristâ illâ incipit tendine firmissimo: sternoque late adhaeret ope plurium fibrarum musculosarum. Ad latera externa adscendit ita, ut quum incipiens a cristâ angustus dici quaeat, in regione sterni latissimus dicendus sit: ad haecce latera externa cum cute cohaeret, cum *oblique descendente* et cum parte abominali *musculi magni pectoralis.*

M. oblique descendens (*magnus obliquus*, *obliquus externus*, *costo-abdominalis*) musculus est tenuis et latus. Totam enim lateralem partem abdominis externe circumvestit. Sub illo videtur *musculus oblique descendens.* Initium ducit a mediâ parte ossis utriusque ilii, et a *musculo quadrato lumborum;* inseritur autem laterali externae parti musculi recti abdominis, et sub parte abdominali *musculi magni pectoralis* procurrit, usque ad sternum: fibrae a rachide usque ad abdomen oblique descendunt.

M. oblique adscendens (*obliquus interior*, *parvus obliquus*, *ilio-abdominalis*) gracilis est et latus, parietemque abdominis lateralem interne format, sub musculo oblique descendente invenitur, initium ducens ab utroque iliorum osse, et a toto musculo quadrato lumborum. Antice iisdem musculis inseritur, quibus *oblique descendens.* Fibrae a rachide usque ad abdomen oblique adscendunt.

§. 2.

Musculi capitis.

A.

Musculi quorum ope caput super spinam movetur.

Musculus obliquus superior, a primâ veniens vertebrarum apophysi transversâ, partique superiori ossi temporis adjunctus, oblique adscendit.

M. parvus rectus anterior. Incipit ab apophysi transversâ primae vertebrae, inseritur basi cranii sub magno foramine occipitali, Alii huc facientes musculi, *Cuvierum* secutus, aliae paragrapho subjunxi, e. g. *Sternomastoïdeum*, qui inter musculos humeri inveniendus est, alios.

B.

Musculi maxillam inferiorem moventes.

M. Crotaphites maximus est musculus, cavitatem ovalem ossis temporalis totam tegit; a crenâ incipit, quâ ossa frontalia ossibus temporalibus adjunguntur, fossam-

que

que temporalem totam fere complens, in posticâ internâque parte maxillae inferioris inseritur expansioni osseae coronoideae, huicce usui solummodo fere inservienti.

M. Masseter. Musculus non ita magnus est. Sub crotaphite et quidem in posticâ maxillae inferioris parte inseritur, cavitatem temporalem transit et ab apophysi orbitariâ ossis quadrati originem ducit.

M. Pterygoïdeus externus. Ex orbitae parte posteriore provenit, et quidem a latere ossis sphaenoidei tandemque angulum maxillae inferioris circumdat illique inseritur.

M. Pterygoïdeus internus cum *Pterygoïdeo externo* mihi fere conglutinatus visus est. Insertio tamen sejuncta erat; inseritur enim statim lateri interno partis posticae maxillae inferioris, pone *pterygoïdeum externum.*

M. Digastricus planus est, triangularis, lata ejus pars ligamento cervicali adhaeret ejusque altera extremitas posticae maxillae inferioris parti inseritur, post articulationem cum osse quadrato et jugali, in confinio musculorum Pterygoideorum.

C.

Musculi laryngis et linguae (1).

Os hyoïdeum in osteographia non descripsimus; satius enim ducebamus de illo agere in capite de organis digestionis et respirationis, hisce functionibus enim plane adscriptum est. Ibi igitur ejus forma aliaeque proprietates videndae sunt.

Musculi jam de quibus nunc nobis est agendum, sunt:

M. Mylo-hyoïdeus qui latus est spatiumque inter maxillam dextram et sinistram inferiorem antice complet. Fibrae ejus transverse adscendunt a lineâ medianâ usque ad brachia ut ita dicam maxillae; faciei internae horum brachiorum inseruntur. Saepius nihil est hicce musculus nisi menbrana, fimbriis musculosis magis minusve farta, nec unum continuumque corpus offerens.

M. Sterno hyoïdeus; sub sterno ita extenditur, ut dimidiam illius partem tegat, immo aliquando longius etiam extendatur. Plurimae ejus fibrae in pleurâ evanescunt. Antice excurrit in plures fasciolas, quae sensim faciei ossis hyoidei, sternum spectanti, inseruntur. Una verum ex hisce fasciis usque ad exteriora cornua excurrit, quibus tendine adhaeret gracili.

M. Omo-hyoïdeus longus est et gracilis. Veniens a cornu inferiore ossis hyoidei inseritur sub collo scapulae.

M. Stylo hyoïdeus. A posticâ capitis parte post tympanum provenit, ubi juxta *ster-*

---

(1) Conferri merentur: vermischte Schriften von G. R. und L. C. Treviranus Erster band: ubi pag. 94 seqq. elegantissimae figurae, musculi Genio-hyoïdeï, Mylo hyoïdei, musculi parvi transversi, inveniuntur.

sterno mastoïdeum inveniendus est; tribus partibus constat in Ranâ esculentâ. Postica pars cornuum posteriorum extremitati inseritur, media pars mediae eorum parti, antica autem pars priori parti cornuum eorundem inseritur.

M. Genio hyoïdeus. Duo Brachia habet. Brachium externum breve, inseritur lateri ossis hyoïdei. Internus vero excurrit usque ad cornua posteriora, perforaturque ab hyoglosso.

M. Hyo-glossus laminam format musculosam satis latam, sub cornibus ossis hyoïdei posterioribus adfixus est, jam jam dexter et sinister unum faciunt ventrem, os hyoïdeum interne tegentem, in linguamque excurrentem, in quâ in varia filamenta musculosa divitur.

M. Genio glossus. Duo pulvilla ovalia, ossibus intermaxillaribus, maxillae inferioris adhaerentia, et super parvum musculum transversum posita, genio-glossos formant, qui jam in duas laminas excurrentes in linguam invadunt, ibique tandem evanescunt.

Musculus parvus transversus. Intermaxillaribus ossibus maxillae inferioris adhaeret, musculus parvus est, atque firmandis ossibus intermaxillaribus et insertioni *genio glossorum* inservire videtur.

Musculi organorum sensualium, postea in capite de sensuum organis describentur.

§. 3.

Musculi sterni et extremitatis anterioris.

A.

Musculi scapulae et apophysis scapularis.

M. Serratus major (*magnus dentatus*) tribus musculis constat:

1°. Musculo qui veniens ab occipite prope foramen magnum occipitale, in duos ventres dividitur, qui inseruntur extremitati rachin spectanti apophysis scapularis, unus quidem ejus lateri superiori, alter inferiori.

2°. Musculo veniente a secundâ transversâ apophysi racheos et inserto sub apophysi scapulari, prope marginem spinam spectantem.

3°. Musculo, qui a tertiâ incipit apophysi transversâ et sub praecedente prope marginem inseritur.

Praeterea in superficie internâ proprius invenitur musculus inter apophysin scapularem et scapulam ipsam, qui inservit hisce ossibus interne appropinquandis, suâque contractione angulo, quem invicem formant, diminuendo.

M. elevator scapulae (*angularis omoplatae, trachelo scapularis*) musculus magnus est, A basi occipitis initium ducit, sensimque volumine decrescens versus humerum tendit, ibique inseritur sub margine posteriore apophysis scapularis.

M. Rhomboïdeus (*dorso scapularis*) gracilis est, nascitur ab apophysibus racheos spinosis et inseritur margini apophysis scapularis.

M. Sterno mastoideus. Unum tantummodo ventrem habet, oblique extensum a parte posteriore ossis temporalis, post fenestram ovalem, usque ad collum scapulae.

B.

Musculi ossis humeri.

M. Magnus Pectoralis (analogus *pectoralis majoris et minoris*) Duabus partibus constat sibi fere subpositis. Initium ducunt ab osse centrali sterni sive potius a lineâ medianâ, nec non a lateribus externis musculi recti abdominis et ab oblique descendente. Duos tendines producunt sese inserentes sub duobus lateribus canalis humeralis.

M. Magnus dorsalis (*scapularis* Cari) duobus ventribus constat: Unus partem dorsi tegit post scapulam; alter scapulam ipsam externe totam tegit. Ambo ventres os humeri petunt, tandemque in unum tendinem exeunt firmissimum, qui interne ossi humeri inseritur, atque quidem in supernâ parte.

Musculus subscapularis et coraco-brachialis. Unus hicce musculus in Batrachiis duorum musculorum functionibus inservit. Faciei internae scapulae adhaeret ibi ubi cum claviculâ conjungitur, inseriturque humero interne versus tertiam superiorem partem.

M. Deltoïdeus. Constat:

1°. Gracili parte, quae longa est, et a parte sterni provenit anteriore.

2°. Parte aliâ, quae ibi inseritur, ubi clavicula conjungitur cum scapulâ, in facie quidem internâ. Super os humeri transit, infra ejus articulationem. Jam vero primae parti musculosae *m. deltoïdei* adjungitur, super tendinem gracilem transiens et tandem inseritur partim tuberculo majori, partimque extremitati scapulari ossis humeri.

Musculus praeterea adest qui provenit a brachio transversali secundo sterni, et quidem a parte posteriore. Humero adhaeret per magnam partem marginis internae canalis humeralis. *Accessorium magni pectoralis* dicere illum posses.

C.

Musculi antibrachii.

M. Bicipitis analogus (*sterno radialis* Cuv.), musculus est magnus sub magno pectotorali positus et ejus margini adhaerens. Tendit usque ad ossis humeri cum sterno articulationem, ubi tendinem firmissimum format, qui canalem humeralem transit atque annulum tendinosum provenientem ex duabus extremitatibus *magni Pectoralis*, sub *Deltoïdeo*.

Inseritur extremitati radii os humeri spectanti et quidem sub capsulâ.

M. Triceps brachialis. Tribus constat partibus, (si rationem hominis habemus) majoribus, eâdem vero gaudentibus insertione.

M. Supinator qui unicus adest, provenit a condylo externo; articulationi quâ manus cum antibrachio jungitur adhaeret.

M. Pronator unicus qui adest, provenit a condylo interno; articulationi quâ manus cum antibrachio jungitur, juxta supinatorem inseritur.

Musculi manus.

Fere iidem sunt musculi manus ranae cum musculis manus hominis.

Pollex autem cujus rudimentum tantummodo adest, uno saltem praeditus est musculo: *Extensore*, a condylo veniente externo.

Ultimi duo digiti extensoribus etiam praediti sunt, qui venientes a condylo externo, ultimis phalangibus digitorum inseruntur.

§. 4.

Musculi extremitatis posterioris.

A.

Musculi quibus os femoris ad pelvim movetur.

M. Iliacus. Longus est; labio interno cristae ossis ischii et pubis annectitur, capitulum ossis femoris contigit, et inseritur per speciem aponeurosis ossi femoris supra trochanterem minorem.

M. Pectinaeus ad mediam ossis femoris partem descendit, inter os pubis et femoris partem superiorem oriundus.

M. Glutaei. Tres qui in homine adsunt in ranâ esculentâ in unum omnes coaluerunt. A longiori parte ilii proveniens, sub capitulo ossis femoris inseritur.

M. Triceps adductor tribus sicut homine constat musculis.

Primus super symphysin pubis, secundus aliquotenus inferius, tertius superius in parte anteriore ossis ischii et pubis annectitur. Oriuntur a lineâ asperâ ossis femoris, ubi omnes unam fere eandemque parietem carnosam formare videntur.

M. Pyriformis statim venit ab extremitate posteriore ossis coccygis (sacri) tertiaeque fere supernae parti ossis femoris annectitur.

M. Obturator externus a symphysi ossis ischii et pubis proveniens, fibris carneis annectitur capsulae capituli femoris.

M. Quadratus. Longus est; a symphysi posteriore ischii et pubis venit et lateri interno ossis femoris inseritur, in parte tertiâ superiore.

Psoas, obturator internus, gemelli minores et *aponeuroticus* desunt.

B.

Musculi ossa cruris ad os femoris moventes.

M. Vastus externus et cruraeus adsunt, unumque corpus formant. *Vastus internus* vero deëst. Ita ut *triceps femoris* duobis tantummodo musculis conglutinatis constet. Sub trochantere in posteriore facie annectitur, juxtaque lineam asperam tendens, infra duas tertias partes ossis femoris initium ducit.

M. Sartorius statim in anteriore femoris parte invenitur, et ad genu usque, rectâ viâ procurrit. Inseritur, mediante tendine, parti inferiori spinae anteriori ossis ischii et pubis; initium ducens a tendine genu ambiente.

M. Biceps cruralis unum tantum ventrem habet. A parte posteriore interiore ilii provenit ad anticamque tibiae partem descendit.

M. Seminervosus. Duobus ventribus constat quorum unus adhaeret symphysi pubis, alter symphysi ischii. In tendinem gracilem exiens in latere interno genu, retro tendinem *musculi gracilis* descendit, ubi latior evadit, tandemque annectitur infra tuber tibiae.

M. Semimembranosus ut in homine formatus est. Extremitas superior annectitur tuberi ossis ischii et pubis. Inferior autem extremitas parti posteriori tuberis interni ossis tibiae et fibulae jungitur.

M. *Rectus anterior*, *vastus internus* et *poplitaeus* desunt.

C.

Musculi tarsum ad crus moventes.

M. Tibialis anterior. A parte inferiore femoris e firmissimo tendine provenit, in medio tibiae in duos ventres dividitur, quorum unus internus tendinis ope ad basin tibialem ossis longi tarsi tendit, alter exterior eidem ossi magis externe annectitur.

M. Gemelli minores unum tantum ventrem habent. Tendine parvo lateri externo tibiae annectitur, tendo major ex ventre ipso oriundus super tarsum prorepit et evanescit sub plantâ pedis, ubi format aponeurosin plantarum.

M. Tibialis posterior infra articulationem vel potius conglutinationem tibiae cum fibulâ oritur, ossique longiori interno tarsi jungitur.

M. Peronalis longus e tendine oritur gracili, condylo externo femoris adhaerente et inseritur basi tibiae externe, duabus extremitatibus tendinosis, quarum una extenditur usque ad os tarsi.

M. Extensor brevis communis digitorum pedis. Distinctus adest; annectitur toti longitudini ossis externi tarsi et tendit oblique usque ad quatuor digitos inter pollicem et ultimum digitum comprehensos et terminatur in ultimis eorum phalangibus.

M. Flexor communis digitorum sub longiore osse tarsi positus est, interne sub aponeurosi *m. gastrocnemii;* quum ad ossicula tarsi transiit in quinque tendines subdividitur.

M. Interossei superiores adsunt et *inferiores.* Oblique tendunt; insertione cum homine satis conveniunt.

Praeterea Cuvierus tres musculos enumerat quorum analogia non constat.

1°. *Musculus accessorius tibialis anterioris.* A medio oritur ossis tibiae, et tendit usque ad partem internam baseos longi ossis tarsi ubi inseritur.

2°. *Musculus* qui venit interne *ab extremitate tarsianâ* (ut ita dicam) *tibiae* et per duos ventres *tibiaei anterioris* transit, tandemque oblique tendens annectitur extremitati digitali longi ossis tarsi in latere interno.

3°. *Flexor longus* interne positus est sub longo osse tarsi, fibrillas musculosas emittit, quae superficiei internae tendinum, e *flexore communi digitorum* oriundorum annectuntur.

Reliqui musculi, in homine inveniendi desunt e. g. *peronaeus brevis* et *medius, musculus plantaris, extensor longus pollicis et digitorum.* etc.

◆

DERMOLOGIA, SPLANCHNOLOGIA VITAE ANIMALIS ET NEUROLOGIA (1).

De cute in eâdem divisione cum sensibus, cum nervis atque centro nervoso agere, necesse nobis videbatur. Cutis enim sedes est tactus communis. Sensus quatuor reliqui nihil sunt nisi cutis evolutiones et perfectiones. Cum sensibus vero nervi centrumque nervorum tam arcte cohaerent, ut non nisi in uno eodemque capite describi possint. — A cute igitur incipiendum.

§. 1.

Cutis et tactus.

Cutis in Batrachiis, sicut in omnibus vertebratis dermate constat, reticulâ vasculari, pigmento, papillis nervosis, epidermide, cryptis (2).

Derma crassitie satis magnâ praeditum est, spissitate non ita gaudet. Telâ constat fibrosâ.

Reticula vascularis quam maxime est evoluta, atque hic illic magna omnino vasa continet.

Pigmentum, (quod e vivis lucidisque Ranae v. c. esculentae coloribus jam cogitandum erat) crassum est, inprimis in supernâ superficie.

Papillorum nervosorum superficies, vel potius nervorum extremitates, insensibili modo per totam superficiem pigmenti explanatae, non quidem visui sese offerunt (quod nec in homine, nec in ullo animali locum habet) sed tamen maximae esse debent, quia a quam plurimis nervis formantur, in cutem exeuntibus. Hoc in dorso ad utrumque lineae medianae latus egregie apparet. Epidermis mucoso constat velamine, e cryptis profluente, quod in omnibus speciebus, in primis autem in Ranâ esculentâ, in dies avelli potest.

---

(1) Ad totum hocce caput cf. Ducrotay de Blainville: de l'organisation des animaux T. I.

(2) Conf. Wilh. Cruikshank, Abhandlung über die unmerkliche Ausdunstung. A. d. Eng. Leips. 1798. G. A. Gautier, Recherches sur l'organisation de la peau etc. Paris 1809. Dutrochet Observations sur la structure de la peau. Journ. Complém. Tom. V. cah. 4. pag. 336. Conferri vero inprimis meretur C. A. Rudolphii Grundriss der Physiologie Berl. 1821. tom. I. p. 104. 105. qui nulla strata aut retia in cute admittit, nisi epidermidem et derma, quorum hoc apud illum *corium*, *cutis* audit, atque glandulis sebaceis hic illic munitum dicitur.

Suapte rana saepius hancce epidermidem mutat, ex quâ mutatione Cl. nostras P. Boddaert conclusit ranam pellem mutare (1), quod falsum videtur.

Cryptae jam quae huncce mucum producunt sunt plurimae et maximae. Quamvis in gyrinis cryptas non invenerim, illarum tamen praesentiam demonstrat maxima muci quantitas, in corporum superficie obvia. In bufonibus plurimae adsunt, durissimaque illarum est superficies.

E parvo, in illarum summitate canali, profluit mucus flavus gustuque nauseam illiciens. Pone unumquemque oculum, in supernâ capitis parte, glandulae apparent a situ parotides dictae, conglomeratione illarum cryptarum formatae, eundemque liquorem producentes. In ranis etiam vestigia parotidum glandularum inveni, semper vero e cute tantummodo constabant crassiore et densiore, paucae saltem aderant cryptae. Hylae fere nullas habent cryptas. Hîc vero in digitorum extremitatibus cutis mirum phaenomenon quoddam offert. Digitorum enim extremitates muco tectas habent, atque pulvillis terminalibus instructas. Motui hosce pulvillos inservire omnes statuerunt auctores; quomodo autem hocce officio fungerentur, disputatum est. Putabant enim plurimi, mucosâ illâ substantiâ, digitos arboribus, immo vitro adhaerere posse. Hoc vero minus verum esse, primus, ut puto, docuit Cl. Delabillardiere (2). Hic enim hylas observans invenit, horum pulvillorum (*pelotes*) eundem usum esse, ac cotyledonum in brachiis sepiarum. Retractâ enim mediâ superficie, ope fibrarum quarundam musculosarum, vacuum oritur sub quocunque pulvillo ab atmosphaerâ in basi retento. Hyla jam ex uno pulvillo facili negotio dependet. Quod demonstrare priori explicationi non tam facile erat.

Haecce de cute ejusque substantiâ dicta sunto. Quod vero attinet ad tactum generalem (*tact*, Bichat), multum valet in batrachiis, non vero tantum quantum in homine. Quamvis enim utrumque animal laevi cute gaudeat, in homine pauco, in ranâ nullo villo consitâ, cutis in ranâ cum musculis non cohaeret, nisi in articulationibus atque pectore, unde minor illa tactus generalis perfectio profluit. Multo vero major est, quam quidem in plurimis mammalibus et avibus, villis et plumis obsitis, ubi tactus perfectio decrescere videtur ad inversam systematis phanerosi rationem.

Tactus specialis (*toucher*, Bichat) minimus est in batrachiis, quippe quae organa ad huncce usum minime apta habeant. In pedibus enim anterioribus cutis cum ossibus digitorum cohaeret, ibique systema nervosum fere evanuit, nec organorum etiam forma praehensioni adaptata est. De pedibus posterioribus idem valet. Quamvis enim longiores non aptiores sunt. Longitudo enim illa saltui tantummodo inservit atque natationi, unde etiam membrana illa interdigitalis.

---

(1) Boddaert Natuurl. beschr. der dieren, pag. 170.

(2) Vid. Analyse des travaux de l'academie royale de sciences pend. 1816, par Cuvier dans les Annales Gen. de Sciences Physiq. par Bory de St. Vincent, Drapiez et v. Mons. Tom. IV.

Tactus igitur, quoad generaliter sensus habetur, — inperfectus est in batrachiis.

§. 2.

Lingua et gustus.

Gustus in Batrachiis, utpote piscibus chondropterygiis quam maxime affinibus, inperfectus est. *Lingua*, quamvis maxima, gustui non ita apta est. Deglutitioni, respirationi, coaxationi, multo magis inservit. Nec gustus organo perfecto opus habent batrachia: dentibus enim masticationi aptis carent. Insectis, vermibus, molluscis vescuntur, quae dentibus non conficiunt. Succus gastricus tantae est energiae, ut, non masticatum quodcumque insectum et molluscum, durissimis quamvis elytris et testis circumdatum, facili negotio digeratur.

Lingua muco obsita est gelatinoso, quem mucum tamen gustui solummodo inservire non arbitror. Quis enim gustus, quaeso, provenire potest, e testâ calcariâ, quae illico a linguâ introrsum jaculatur? Lingua jam nihil in batrachiis esse videtur, nisi praehensionis organon. Insecto enim ob oculos volitanti incito impetu rana irruit, linguam viscosam motu vibratorio ejicit, animalque muco retentum attrahit et devorat.

Forma linguae est longitudinalis. In internâ illâque anticâ parte maxillae inferioris ossibus intermaxillaribus adhaeret, ope pulvilli musculosi transversi, inde tendit ad rimam laryngis. Ab illâ posticâ apice, usque ad tertiam fere partem in duos lobos dividitur, laryngem circumdantes, quae divisio iterum in lineae medianae directione locum habet, atque vestigium esse videtur formationis linguae ex duabus conglutinatis partibus, quod et in foetu humano egregie occurrit. Nonne iterum hocce phaenomenon putandum est favere hodierno illi argumento: foetum in alvo matris omnes organisationis gradus percurrere?

Maximus porro linguae usus est in respiratione et coaxatione. In inspiratione enim (1) os hyoïdeum et lingua removentur ab ossibus inde palatinis, cavitas oris ita augetur (2), aër per nares (propriis musculis aperiendas et claudendas) apertas irruit.

---

(1) Cf. Townson Physiological observations on the amphibia etc. a Caro Lehrb. der Zootom. pag. 496 laudatum.

(2) Egregie hoc observari potest, amotis in vivâ ranâ narium operculis, tum enim cavitas nasi patet, et linguae apparet, qui cum motu super descripto egregie convenit.

Mox os hyoïdeum linguaque in altum tolluntur, nares clauduntur, aër compressus per rimam laryngis pulmones intrat. Inde intelligendum quare ranae suffocentur cum earum os vi apertum teneamus. Os hyoïdeum tum enim nec deprimi et nec elevari potest, respiratio igitur cessat, animalque moritur (1).

Cujusnam usus sit lingua in coaxando, primus indicavit Petrus Camperus, nostras! (2). Aër inspiratus a ranâ per rimam laryngis superficiei inferiori linguae apprimitur. Hujusce aëris una pars dextrorsum, altera pars sinistrorsum tendit, (a protuberantiâ enim quae totam linguam subtus in duas dividit partes, ad latera repellitur), et quidem in sacculos buccorum membranaceos, maxillae inferiori marium ranarum esculentarum adhaerentes. Inde expressus, a linguâ ita vibratur, ut inde oriatur sonus ille raninus.

§. 3.

Nasus et odoratus.

Odoratus est sensus tertius. Primus jam est sensuum illorum, qui organo individuali praediti sunt et a Cl°. Huschke sensus ideales (*ideale Sinnorgane*) vocantur (3). Quum enim nec tactus nec gustus organa haberent suis tantummodo functionibus inservientia (nam dermatis primarius usus est, corpus tegere, e.

---

(1) Haecce jam aliorum fide innixus credebam, quum mihi Physiologiam Cl. C. A. Rudolphi legere contingeret, qui longe aliter hac de re agit.

Primo magnas partes in deglutitione et respiratione adscribit faucium elevationi, quâ cibis quodammodo obviam eunt fauces, eorumque depressioni egregie favent.

Deinde plane negat, ranas, ore vi aperto, vivere non posse, et experimentis a se ipso institutis affirmat sese, ranas gulis apertis, per horas, dies, imo hebdomades integras vivas vividasque vidisse. Aliorum vero experimentorum infelicem exitum inmersioni ranarum in aquam adscribit, unde necesse erat, ut aquâ gulam intrante, misere suffocarentur animalia. Conf. C. A. Rudolphi Grundriss der Physiol. tom. II. part. 2. pag. 85 et 339.

Conf. Herholdt Anmerkungen über die Chirurgische Behandlung tiefer Wunden. Kopenh. 1801. S. 48—50. Bulletin Philom. an 7. n. 30. page 42. C. A. Rudolphi Anat. Physiol. Abhandl. S. 113—122.

(2) Verhandelingen van het Bataafsch Genootschap der proefond. wijsbeg. te Rotterd. Tom. I. p. 250.

(3) Beyträge zur Physiologie und Naturgeschichte von E. Huschke, 1 Band. Weimar 1827. p. 99.

Cl. Huschke, Okeni discipulus, cui et suum hocce opusculum dicavit, Philosophiae Schellingii, quae dicitur *Ideal-Philosophie*, *Natur-philosophie* totus quantus addictus esse videtur. Huicce philosophiae ad naturalem historiam applicatae summum est propositum; ut demonstretur uniuscujuscumque formae corporalis, prototypum exstare, in inferioribus organismis, atque cuique systemati organorum ordinem plantarum aut animalium analogum esse. Sic fungi dicuntur plantae radicariae quippe qui radicem quandam totius regni vegetabilis offerunt. Gramineae caulinariae audiunt, quippe quae caulem regni vegetabilis fere exhibent. Et sic deinceps. Hocce systema licet ingeniosum esse videatur, et juvenibus inprimis lae-

e. g. in piscibus, linguae primarius usus est cibos deglutire, in e. g. molluscis, piscibus, avibus) odoratus primo organon offert, officio sensuali tantummodo dicatum (1).

Os ethmoideum duo habet foramina majora ad transmittendos nervos olfactorios, quae septo osseo a se invicem sejunguntur, quod septum cartilagineâ procurrit expansione, fere usque ad ossium nasi apices. Hic brachio dextro sinistroque cartilagineo jungitur ossibus nasalibus atque anticum narium parietem format. Inferne conjungitur ossibus palatinis, quae fundum nasi constituunt, atque in externis lateribus foramina (choanas) relinquunt, quae aëri inspirando inserviunt. Superne cavitas tegitur ossibus nasalibus, quibus membrana a basi ossis nasalis cartilagineâ proveniens, adjungitur. Cavitas itaque ab omni parte fere ossibus est circumdata. Nescio igitur an recte sesè habeant Cl^{i}. Blainville verba: « *elle* (la poche « de la membrane olfactive) *n'est point recouverte par les os, si ce n'est par le « nasal a son côté externe*" (2).

In anteriore jam parte nasi supra ossa nasalia inveniuntur nares, oxidibus cartilagineis munitae, quae oxides, a musculis nasalibus iisque quae ossibus intermaxillaribus adhaerent aperiuntur et clauduntur.

Interna cavitatum superficies membranâ vestita est mucosâ, quae variis gyrorum ambagibus tandem in marginibus choanarum desinit. De nervis olfactoriis et ophthalmicis statim videndum est, quum visus auditusque organa absolverimus.

§. 4.

Oculus et visus.

Visus organon in Batrachiis plurimum cum oculo piscium convenit; tam quod ad externa tegumenta magnitudinemque relativam lentis, quam quod ad iridis minorem mobilitatem processuumque ciliarium minorem evolutionem. *Oculus* enim maximus est atque saliens; spheroida constituit, cujus postica facies tegitur a scleroticâ, cartila-

---

laete arrideat, illud esse non arbitror, quod ad inperfectam hucusque nostram rerum naturalium scientiam rite applicari possit. Opus jam Cl^{i}. Huschke sibi propositum habet ut ostendat: stigmata in insectis prototypum esse organorum sensualium in superioribus regni animalis ordinibus.

(1) Dicat aliquis olfactus organon respirationi etiam inservire, igiturque nostram sententiam falsam esse. Sed in inferioribus classibus, in piscibus, nares externam tantummodo habent aperturam, coecumque saccum formant. In Proteo tantummodo cum tubo intestinali commercium habere incipiunt. Primitivus igitur usus solummodo olfactum spectat; respiratio est usus adventitus. E nervorum distributione praeterea haecce sententia demonstrari posse facile mihi videtur.

(2) Ducrotay de Blainville l. l. p. 329.

lagineae fere soliditatis aliquotenusque diaphanâ, ita ut pigmenti nigricantis colorem fere transmittat. Colorem ipsius membranae *argyro-terphrodea* nominare posses, idemque est qui in piscibus observatur. Cornea satis est convexa, igiturque magna. Choroideae interna superficies nigerrima est, externa vero argenteo quodam nitore albicat. Processus ciliares non inveniuntur, nisi circulum tuberculosum, choroideae adhaerentem (ubi in iridem abit) capsulaeque lentis cristallini ferme suis radiis adjunctum, hocce nomine insignire velimus. Iridis postica superficies pigmento gaudet, aureo quodam fulgore externo cum illo oculi piscini conveniente. Pupillam plurimi subrhomboideam vocarunt, mihi vero semper elliptica visa est (1). Retina densissima est, totamque posticam oculi partem internam tegit, usque ad lentis capsulam. Vitrea abundat. Lens est sphaeroidalis, capsulisque sphaeroidalibus constat concentricis, in medio continentibus nucem, mirae cujusdam soliditatis, quae etiam analogiam cum oculo piscino egregie demonstrat.

Oculus variis movetur musculis. Musculus infundibuliformis, nervum opticum totum quantus est, circumvestit. Duo obliqui praeterea occurrunt anteriores, quorum unus in latere superiore, alter in latere inferiore oculi inseritur. Duo quoque obliqui posteriores a nervo optico initium ducunt, eodemque fere modo oculo adjunguntur.

Quod ad palpebras: duae inveniuntur; superior immobilis est, inferior deprimi et elevari potest. Maxima haec est et diaphana, nigro quodam tincta colore, illa minor, viridis. Movetur musculo tendinoso in duo brachia diviso quorum utrumque ad orbitae angulum procedit, ibique (fibrosum transiens annulum) inseritur musculo infundibuliformi. Haecce inferior palpebra expansione munita est, membranosâ, internâ: quae munere fungitur membranae nictitantis, et a quibusdam *tertia* est nominata *palpebra* (2). Praeterea in fundo orbitae invenitur membrana muscularis, quae totum fundum tegit et inde a musculo infundibuliformi initium ducens marginibus orbitae ubique adhaeret.

§. 5.

Auris et auditus.

Auris in minori huc usque animalium numero inventus est, quam quidem oculus. Au-

---

(1) Carus observavit pupillam auctâ luce contrahi, sic ut in felibus. Mihi autem (experimentis anquirenti) nunquam hancce proprietatem ranae obtulerunt. Cf. Carus Lehrb. der Zootomie pag. 278. In bufonibus saepius observavi.

(2) Conferri hic merentur memoires de l'Acad. Royale an 1736, ibique Petit l. l.

Auris igitur perfectioris organisationis indicium esse videtur. Auris e tribus organis sensuum idealium, (naso, oculo, et aure) in omni individuo posticum locum habet. Haecce causae, quibus alias facile subjungeremus, nobis persuaserunt, ultimo loco agere de organo auditus.

Saccus jam membranaceus, in quo nervus acusticus dissolvitur (ut ita dicam), quique igitur pars auris essentialis recte habetur, in ranis maximus est, ovalis, substantiâ quâdam ad cremoris instar, plena. Canales semicirculares (1) primo per osseum labyrinthi orificium internum tendunt, et postea mutuâ suâ conjunctione circulum fere constituunt. Substantiam continent subgelatinosam. Labyrinthus osseus ab osse temporali formatur, aurisque partes essentiales continet, quae vero non ita magnae sunt, quin magna hujusce cavitatis pars vacua relinquatur, in qua lympham Cotunnii observare non valui. Interne foramen parvum offert ad transmittendum nervum acusticum; externe fenestra ovalis invenitur, quae major est et commercio constituendo cum meatu auditorio externo inservit. Hicce meatus cavitas est tympani: in Batrachiis tota fere quanta membranacea, magna, lata, non vero ita profunda. Tubae Eustachianae orificium internum totam fere baseos cavitatis tympani superficiem occupat, magnoque foramine in cavum oris exit. Inter musculum elevatorem maxillae inferioris ejusque depressorem uterque adest tuba Eustachiana.

Tympanum ad latera capitis, statim pone oculum inveniendum adest, cute tegitur tenui, coloris virido-caerulei. Cartilago est infundibuliformis, infundibuli orificium est externum, membrana semicircularis, postice adjuncta, externe illius aperturam tegit.

Ossicula auris tria sunt (2). Primum osseum, piliforme, internum est atque maximum. Secundum brevius, subcartilagineum eandemque cum primo directionem habet. Tertium vero (malleo analogum) cum secundo angulum fere efficit rectum. Spatulatum est, spatulaeque pars lata parti mediae membranae cavitatis tympani adhaeret. Altera extremitas margini cartilaginis infundibuliformis adhaeret, parvi musculi verticalis intermedio.

---

(1) Plurimae auris exstant descriptiones diversae. Illis igitur niti non poteram. Ipse observare debebam, quod in majoribus organis non tantae est molis, imo jucundissimum, in tenuioribus organis maximae molis, et arduum. Cum meâ tamen scrutatione satis convenire Clum. Blainville inveni. Rudis tamen mea in secandis organis tenuibus manus, facili negotio alio partes modo ordinare potuit, quam revera ordinatae fuerant. Quae mihi tamen visa sunt, narravi.

(2) Vide eorum delineatas imagines apud Clum. Huschke, l. l.

§. 6.

Cerebrum et medulla spinalis.

E totâ systematis nervosi constitutione (nisi jam omnibus aliis necesse characteribus pateret) facile demonstratu videtur: batrachia minus composita organisatione gaudere, quam quidem mammalia et aves. In mammalibus enim demto cerebro, jamjam omnis vita organica evanescit (1). Batrachus vero, abrepto cerebro, saltando reptandoque per horas et dies plures vitam vivit organicam, immo nonnunquam aliquotenus animalem.

Idem observatum in piscibus, e. g. in anguillâ muraenâ. In molluscis, insectis, omnibusque jam invertebratis haecce vitae duratio ad inversam rationem (ut ita dicam), massae medullaris centralis constituta esse videtur. Polypi et infusoria, ubi animalis et organica vita in massam homogeneam mixtae et confusae esse videntur, ubi nulla organa centralia obviam fiunt, in quâcunque moleculâ vitam possident individualem, et ubique nervosam quandam substantiam insulatam, (geisoleerd) ut ita dicam, et per sese existentem habere videri possunt. Antequam jam de nervis cerebri et spinae agere incipiamus, de cerebro ipso spinâque medullari paucis videndum est. *Cerebrum* in ranis apprime simplex adest, nullisque gyrorum ambagibus insigne. Medullae spinali diametro ferme aequalis, longitudine longe inferior est. In tres partes non inepte a quibusdam dividitur, partem hemisphaericam, partem thalamorum opticorum, partemque cerebelli et medullae oblongatae. Hemisphaeria jam sunt oblonga, formaeque fere conicae, eorum apices constituunt nervos olfactorios, crassos griseique coloris. Antequam vero hosce nervos emittant, in unum confluunt, gangliumque formant. Postice commissurâ anteriore ambae bases conjunguntur, interne cava sunt, ventriculique corporum striatorum analoga continent.

Ulterius jam encephalum tendens, in amboque latera extensum, duas offert expansiones sphaeroideas, quas thalamorum opticorum nomine insignire solent. Color externus est griseus, internusque albicans. Ventriculosam uterque offert cavitatem, cum cerebrum e cranio desumere conatus essem, pulcerrime in basi mihi apparuerunt nervi optici crucem formantes. Nec in piscibus nec in alio reptili tam distincta et pulcra haecce mihi crucis formatio visa est, quam in ranâ. An-

---

(1) Cf. **Bichat** recherches physiol. sur la vie et la mort.

Antequam vero hemisphaeria in thalamos extenduntur, duo ganglia formant minora grisei coloris, quae unum duovè fila nervosa distribuunt, formando nervo optico.

Cerebellum minimum est, statim ad posticam thalamorum partem obviam fit: formam habet fasciolae gracilis, vasibus egregie distinctae.

Medulla oblongata satis longa est. Margines ejus complicati sunt, ita ut canaliculam fere exhibeant; superne tecta est fasciolâ, valde vasculosâ, ita ut rubram eamque elegantissimam exhibeat superficiem.

Medulla rachidis jam tendit usque ad posticam vertebrarum partem desinitque in regione articulationis ossis coccygis. Antequamcumque expansionem transversam, tam dextrorsum quam sinistrorsum effluvium quoddam est, substantiae calcareae albissimi coloris, quae etiam in cranio et quidem pone scleroticam oculi distincta apparet. Color vero medullae rachidis externe griseus est interneque albus.

Tegumenta cerebri sunt: pia mater et dura mater. Pia mater membrana est apprime vasculosa, quae in regione, ubi thalami nervorum opticorum concurrunt, concursum quendam vasorum sanguineorum introrsum dimittit. In supremâ superficie cerebri venae, in basi arteriae plurimae sunt. Dura mater fibrosae est substantiae, inprimisque ad hemisphaeriorum latera dextrorsum et sinistrorsum observari potest.

In spinâ pia mater mihi tenuior et magis cellulosa visa est quam in cerebro. Duram matrem non, nisi per intervalla ibi observare valui (1).

§. 7.

Nervi. (2).

Nervi olfactorii primi sunt nervi, qui in capite appareant. Ex hemisphaeriis provenientes, prius conjunguntur, exinde a se invicem recedunt, foramina duo ossis ethmoidei transeunt, et in membranâ pituitariâ leni detrimento dividuntur. Cavitates nasales transeuntes, statim sub aperturâ externâ narium dividuntur in duo brachia, quorum maximum inter maxillae os majus et os intermaxillare inseritur, minimum ossi intermaxillari adhaeret. Alius ramus movendis narium aperturis externis inservit, cartilaginique hujusce aperturae adfixus est.

---

(1) Ratione habitâ ceterarum corporis partium, cerebrum mihi in junioribus individuis majus visum est, quam in adultis.

(2) Ad plurima septimae hujusce §, conf. Cuvier Leç. d'Anat. Comp. T. II.

Nervi optici sunt crassi. E thalamis nervorum opticorum oriuntur, et postquam crucem mutuo transitu formaverunt, ex anticâ parte ossium temporalium prorumpunt, statim jam sceleroticam perforant, et bulbulum efficiunt, e cujus lateribus retina oritur.

Nervi oculi motorii. Duram matrem perforant. Orbitam uterque intrans in duos ramos dividitur; ramus minor per musculum rectum superiorem oculi tendit, et in facie super oculos evanescit. Alter ramus, in tres ramos dividitur, quorum unus in musculo adductore oculi desinit, secundus in musculo recto inferiore, tertius in musculo magno obliquo.

Nervus uterque patheticus pone priores duram matrem transit, gracillimus est omnium nervorum, qui e basi cranii proveniunt. In orbitam penetrat et superne tendens, in musculo magno obliquo desinit.

Nervi trigemini: ramus ophthalmicus, maxillae inferioris, et maxillae superioris adsunt.

Nervus ophthalmicus. Sub duram matrem aliquamdiu prorepens, postea erumpit in orbitam. Juxta parietem internum orbitae procurrens, transit per foramina quae os ethmoideum ad latera perterebrant. Jamjam in cavitate nasali duos praecipuos emittit ramos, quorum unus in lineae medianae directione procurrens, ossi intermaxillari adhaeret, alter vero partim inseritur narium aperturae externae, partim musculo quo nares moventur.

Nervus maxillae superioris, nervo maxillae inferioris in origine adjungitur. In inferiorem partem orbitae simul ambo perveniunt ibique dividuntur. Nervus maxillae superioris, juxta internum orbitae parietem repens, in duo brachia dividitur, quorum internum filamenta emittit ad palatum, ad nares et ad faciem, ubi evanescit. Alterum vero brachium externum orbitae parietem transiens, ad inferiorem anteriorem partem orbitae in faciem excurrit, ibique leni detrimento absumitur.

Nervus maxillae inferioris, simul cum illo maxillae superioris in orbitam pervenit et verticaliter fere descendit, inter posticam orbitae partem et os temporale. Filamenta in musculos temporales et pterygoideos emittit, ante articulationem maxillae inferioris flectitur, internae hujusce maxillae superficiei ramulos tribuit, tandemque ossibus intermaxillaribus adjunctus, in linguam emicat, ubi evanescit.

Nervi faciales. Graciles sunt nervi, ob labiorum defectum, atque faciei superficiem musculis fere non vestitam. Quidam eorum rami minimi apparent, eorum vero difficile est scrutari ramificationes. Truncus semper observatur.

Nervi acustici, breves quidem sunt, sed crassi, et quodammodo rubicundi. Statim e cranio prosilientes labyrinthum intrant, ubi eorum finis.

Nervus vagus uterque sive pneumo-gastricus. Pulmonibus, cordi, oesophago, ventriculo ramos tribuit, formatque plexus nervosos super haecce organa. E cranio prorepens crucem format cum nervo linguali et glossopharyngeo: glossopharyngeus ibi postico, vagus medio, lingualis antico loco positus est. Saepius tria filamenta e cranio proveniunt, quae aucta quibusdam filamentis e glosso-pharyngeo et linguali oriundis, tandem vagum ipsum formant.

Nervi glossopharyngei. Quaedam filamenta recipiunt a nervo faciali, et vago; exinde dividuntur in varios ramos, quorum unus partim evanescit in musculis ossis temporalis, partim in musculis linguae. Alter ramus magno nervo hypoglosso jungitur; alii denique rami musculis pharyngeis adjunguntur.

Nervi hypo-glossi, per foramen condyloideum e cranio exeunt, pone nervum vagum. Primo gracilis uterque est, anticam vero capitis partem petens crassior evadit, crucemque format cum vago cui partim adjungitur. Anterius procurrens super glossopharyngeum transit, in linguamque tendit, cui duobus ramis adjungitur.

Nervi occipitales et cervicales. Duo paria tantummodo adsunt. Inter vertebras oriuntur, in musculis colli dividuntur et quosdam ramos emittunt ad scapulam.

Nervus diaphragmaticus deest.

Nervi dorsales et lumbares. Similes sunt illis hominum. Numerus tantummodo a numero vertebrarum dependet.

Nervi pelvici et caudales. Caudales desunt. Rami pelvici adsunt: tam illi qui ad ovaria et testes, quam qui ad sphincterem ani et membra abdominalia pertinent.

Nervi brachiales et nervi thoracis. Truncus communis est crassus omnino nervus. Incipit inter secundam et tertiam vertebram. Jamjam sub axillâ ramum emittit scapulam petentem et inter hujusce musculos evanescentem. Ulterius in brachium truncus communis procurrit, et cito in duos ramos dividitur, antea vero extensores brachii et capsula articularis ossis humeri quaedam inde filamenta recipiunt. Unus horum ramorum anticum obtinet locum (*N. medianus*) et ad articulationem humeri cum antibrachio perveniens, in musculos irrumpit antibrachii, ubi in duas partes dividitur, quarum una in flexoribus digitorum evanescit, altera juxta os cubiti et radii prorepens, unicuique digitorum ultimos suos surculos tribuit.

Secundus vero ramus (*N. brachialis*) humerum circumdat, in extensorem antibrachii filamenta emittit, in articulatione antibrachii cum humero postice in musculos emicat, ibique desinit.

Nervi membrorum abdominalium. Tria paria nervorum plexum constituunt femoralem. Juxta totam ossium ilii longitudinem procurrunt. In regione femoris, unus inde separatur nervus, (*N. femoralis anterior*) qui per musculos anticos femoris dispescitur. Caetera pars posticam femoris partem transit et cum *N. sciatico* convenit. Plurima filamenta emittit, quae musculis femoris inseruntur. Versus mediam ferme longigitudinem femoris in duo brachia dividitur, quae cum *poplitaeis* conveniunt. Haecce brachia ramos extendunt in musculos tibiae, tarsi et pedis, tandemque evanescunt.

Nervus magnus sympathicus (1), (*intercostalis*, *trisplanchnicus*,) in Ranâ esculentâ duodecim format ganglia, quorum duo anteriora cum trunco vagi et trigemini conjunguntur.

Pars adscendens nervi *sympatici*, cum trunco *vagi* e cranio prorepentis, conjungitur et post conjunctionem *duos ramos* emittit ad *trigeminum*; ramum internum et externum. Internus ramus per foramen intrat quo vagus exierat, ad rotundum trigemini ganglium prorepit, ibique illi adglutinatur. Externus ramus cavitatem transit tympani: juxta ossicula auditoria tendit, cavitatem oculi intrat, tandemque foramen quo trigeminus exierat perterebrans, cum ejus ganglio jungitur.

Inferior pars nervi magni sympathici super omnes rachidis nervos transit, non vero cum iis in unum coït; sed a quocunque accipit ramusculum; quibuscum format parva illa triangularia ganglia e quibus parva brachia in intestina emicant. E ganglio quod e nervi sympathici conjunctione cum quinto nervo spinali provenit, aliquotenus crassior nervus provenit, qui arteriae coeliacae conjungitur. Quinque caetera ganglia in intestina sese perdunt. Ultimum nullum ramum edit, quo cum nervo sympathico oppositi lateris uniatur et glanglion impar componat.

---

(1) Cf. E. H. Weber anatomia comparata nervi sympath. Lipsiae 1817.

✱

SPLANCHNOLOGIA VITAE ORGANICAE: SYSTEMATA ABSORPTIONIS, CIRCULATIONIS, RESPIRATIONIS, EXCRETIONIS (1).

Maxima pars illorum organorum, quae vitae organicae inserviunt, in hocce capite mihi est describenda. Ad physiologiae dogmata ordinem constituturus mihi videbar, si a deglutitione incipiens, posteaque de digestione agens, jamjam pergerem ad lymphatica vasa. Vasa lymphatica autem in sanguinea lympham suam emittunt, vasa sanguinea tam arcte cum pulmonibus glandulisque corporis cohaerent, ut separari a se invicem non possint.

§. 1.

Deglutitio et Digestio.

Deglutitionis organa sunt; cavitas oris in eâque lingua, os hyoideum, musculi, guttur. *Cavitas oris* cute vestita est e coeruleo albicante, mucore obsitâ, striisque adornatâ undulantibus, eodem fere modo quo striae e papillis nervosis oriundae in manu hominis, oculo sese offerunt. Superior pars arcte cohaeret cum infernâ superficie ossium cranii et faciei, nullorum musculorum interventu. Antice atque ad latus dextrum et sinistrum a maxillâ inferiore terminatur. Apophyses odontoideae ossium palatinorum anteriorum cutem perforant. Offert cavitas oris foramina interna narium et tubarum *Eustachianarum.* Maxilla inferior tantummodo est arcus osseus, cujus curvatura musculos continet et cutem. *Musculos* jam absolvimus in capite de myologiâ. In maribus Ranae esculentae e regione fere aperturarum tubarum Eustachianarum duae adsunt expansiones, quae aere impleri possunt et coaxationi inserviunt. Similibus fere expansionibus in cute externâ respondent. Ubique cutis maxillae inferioris margini adhaeret, in anguloque ex ambabus maxillis coeuntibus oriundo in unum coït gutturque format.

Os hyoideum formae est rhomboideae. Quatuor cornibus instruitur. Duo anteriora, effluunt in fila cartilaginosa, quae gyro elliptico posticam petunt partem, et ossibus temporalibus ad posticam eorum partem adjunguntur. Cornua duo posteriora, quae sunt ossea, rectâ lineâ tendunt cavitatemque formant laryngi recipiendae aptam et deinde in unum confluunt. Laryngis substantia ipsa, tota fere est cartilaginosa in mediâ laminae vero superficie apparent ossificationis quaedam puncta. Tota fere quanta est, contegitur ab anteriore parte ossis sternalis. Deglutitionis organismus jam absolutus est, in capite de splanchnologiâ vitae animalis, igiturque hic transeundus.

---

(1) Ad totum hocce caput conferantur Swammerdammii Biblia naturae, a quo plurima mutuatus sum.

Cutis guttur formans in ventriculum abit. Antea vero inferne rimam quandam offert, labiis suis laryngem circumvenientem. Ventriculus a cardiâ usque ad pylorum infundibuli cujusdam formam offert, cujus tubus formatur ab intestinis.

Valvulae tam in cardiâ quam in pyloro desunt; pylori vero locus designatur anastomosi quâdam quae ventriculum cum intestinis conjungit. Inter intestina tenuia et crassa vix distinguas. Tenuia intestina a pyloro inde procedunt, parietibusque firmissimis densissimisque initio circumdata, leni decursu procedentia, transitu fere insensibili exeunt in crassa, dissepimenta quaedam oculo offerunt elegantissima, quae semicirculoso gyro totam intestini superficiem internam circumtegunt, et cum dissepimentis in intestino acipenseris sturionis observandis, miram quandam mihi praebere videbantur analogiam. Valvulam, quam Cuvierus narrat adesse in conjunctione tenuium et crassorum intestinorum, ego observare non valui. Intestinum crassum magis magisque coarctatur usque ad initium recti, ubi statim expanditur, phiolamque format amplissimam, cylindricam, terminatam a sphinctere ani, qui intestinis finem imponit, expellendisque faecibus inservit. Cuvierus (1) docuit corpus Ranae esculentae a canali intestinali semel superari longitudine quod minus rectum videtur. In plurimis enim, quae dissecavi, Batrachiis, tam ranis quam bufonibus, semper fere intestina corpus ter longitudine superabant.

Maxima pars intestinorum sinistrum occupat latus. Membrana musculosa in ventriculo et initio intestinorum tenuium observatur, deinde autem tela mucosa intestina tantummodo constituere videtur (2), at saltem tunica musculosa hic ita tenuis est, ut observatorem tota quanta fugiat.

Vasa lactea e tubo intestinali chylum absorbent. Eorum decursus non descriptus est in Cuvierii libro, neque a me observari potuit. In cheloniis sec. Cuvierum omnia vasa lactea abdominalia abeunt in duos ductus thoracicos valvulis munitos, qui plurimis brachiis procurrunt usque ad venas subclavias utriusque lateris, ubi duos plexus formant et cum vasis lacteis capitis et colli conjunguntur. E plexus dextro duo brachia procurrunt, quae jugulari sese venae inserunt, prope ejus conjunctionem cum venâ subclaviâ. Sinister plexus unum tantummodo exhibet brachium, cujus insertio locum habet in angulo conjunctionis venae subclaviae et jugularis. Forsan in Batrachiis similis est hujus systematis decursus.

---

(1) Cuvier Leçons d'anatomie comparée, Tom. 3. pag. 457.

(2) Miram illam proprietatem batrachiorum, quâ diutius cibo destituta, ventriculum invertunt, pylorumque in altum tollunt, immo ex ore protrudunt a nemine adnotatam vidi nisi a Gruithuisenio in Reilii et G. Autenriethii Archiv für die Physiologie, part. VIII. cap. 5. Causam perscrutari nec mearum virium nec hujusce loci videbatur. In bufonibus bis observavi, in ranâ esculentâ ter vel quater, ventriculus interne aliquotenus mihi inflammatus videbatur, quod a corrosivâ vi succi gastrici forsitan proveniebat. Intestina valde contracta erant.

§. 2.

Circulatio.

Licet non inepte separatim tam arteriosa, quam venosa circulatio describi possit, unam tantummodo describere circulationem mihi melius videtur, incipiendo a corde, quod quamvis hîc imperfectius adest, tamen et hîc circulationis centrum est. Cor igitur in batrachiis apprime simplex est, uno tantummodo constans ventriculo unâque auriculâ. Omne vestigium compositionis e duobus cordibus (quod egregie videbatur in *Cheloniis*, *Sauriis*) hîc obliteratum est, sanguisque unam tantummodo portam intrat et unâ tantummodo expellitur. Unica auricula, quae adest, est rotunda, latior cordis basi, columnis nititur carneis. Aperitur in truncum communem arteriarum, orificio unico dextrorsum in basi posito, inferius quam apertura auriculae.

Parietes musculosae in ventriculo cordis Batrachiorum tam sunt tenues ut in diastole sanguis in ipso corde conspici possit, quod in systole rursus pallescit.

Sanguinis temperatura ultra 50 gradus non adscendit. Color sanguinis in bene pastis laete rubescit, in jejunio laborantibus pallescit. Quamvis analysis nescio an facta sit; carbonium tam in venoso, quam in arterioso sanguine videtur abundare, e nigredine saltem hoc facile demonstrari posse videtur. In venoso tamen sanguine major hujusce principii quantitas adest, quam in arterioso, quia 1°. Color venosi sanguinis nigrior est, 2°. quia ex illâ quantitate aeris athmosphaerici, quae ad respirationem necessaria est oxygenium evanescit, pro eoque gaz acidum carbonicum e sanguine arterioso exspiratur.

Inter duos sanguines, tamen multo minor differentia est, quam in haema-thermatibus, quia respiratio imperfecta adest.

Aeri expositus sanguis bene pastorum abit in coagulum unguinosum flavi coloris.

Quod jam ad circulationem ipsam: truncus communis arteriarum statim dividitur in duo brachia, dextrum sinistrumque, quae vocare posses arterias subclavias. Utrumque brachium in tres ramos principes exit. Primum minusque par pulmones adit et per illorum superficiem, in tres divisum ramusculos repenlos do evanescit. Hocce par nomine arteriarum pulmonariarum insigniri posset.

Secundum par, e trunco communi arteriarum oriundum facile dignoscitur. Utraque arteria tam dextra quam sinistra, expanditur in duos sacculos, jamjam vero angustantur parietes, quaedam arteriolae emittuntur in linguam et palatum, tandemque iterum in sacculos exeunt. Sententia Swammerdammii, credentis hasce arterias in gyrino sanguinem branchiis adduxisse, nescio an valeat.

Tertium par arteriarum e trunco communi oriundarum maximum est et aortae analogum in lumborum regione exhibet. Statim jam e corde oriundae ambae arteriae gyro eleganti flectuntur, arteriasque axillares emittunt. Ulterius tendentibus in abdomen, ex illis oriuntur arteriae carotides, quae in altum repunt, et inter ossa cranii penetrant. Jam jam oriuntur arteriae vertebrales, hae vero cito in unam coeunt, atque emittunt arteriam mesentericam, arterias lumbares, arterias in maribus testiculorum, in feminis ovariorum, arterias renales et ramos iliacos. Ulterius ramificationes sequi arteriarum tempus non sinebat.

Venosa circulatio ab arteriosâ valde differt. Venae pulmonariae, quae statim a superiore cordis parte oriuntur duplo majores sunt arteriis pulmonaribus. Penetrant in cavitatem utriusque pulmonis et praecipue in parietes et latera cellularum, quas capillaribus circumdant vasculis. Vas vero quod princeps pulmonum vas habetur hic non invenitur; *vena arteriosa.* Nec illa est necessaria; circulatio enim quum sit imperfecta, pars quaedam tantummodo sanguinis pulmonibus potest affluere.

Superiores illae venae pulmonariae trans arterias tendunt et ramusculos extendunt, quorum quidam os, alii caput petunt. Posteriores quasdam etiam emittunt ramificationes in anteriores trunci appendices.

Ex eodem trunco oriuntur venae axillares e quibus proveniunt duo brachia quae eleganti gyro inter musculos abdominis et cutem, super ventrem transeunt.

Truncus venae cavae sub corde simplex est. Jam jam emittit tres ramos, qui per hepar tendentes dividuntur et in infinitum ramificantur. Ex hepate oritur vena mesenterica; sub illâ venâ cava elegantissime dividitur in superficie renum citoque in duo omnes ramificationes coeunt brachia, iliacasque formant venas, e quibus oritur vena abdominis, quae secundum directionem musculi recti abdominis hepar petit.

Sanguis arterias perfluens jam jam vividum suum colorem amittit, partes nutritiae extrahuntur, partes superfluae vel saltem minoris utilitatis relinquuntur. Color rubicundus in nigrorem abit: — ne multa dicam; sanguis arteriosus in venosum transmutatus est.

§. 3.

§. 3.

Respiratio.

Pulmones non in thorace tantum inveniuntur sed thorax cum abdomine unam constituit cavitatem et pulmones qui admodum magni sunt, aere expleti totam hujusce cavitatis amplitudinem complere valent. Longe vero hic pulmonum fabrica simplicior est ac in mammalibus et avibus. Constat enim saccis, laxe cellulosis, membranosis. Licet majores multo sint pulmones ac in haemathermatibus tamen longe paucioribus vasis sanguineis sunt instructi.]

Quisnam oris sit usus in respiratione et coaxatione in capite de dermologiâ docuimus. Forma laryngis jam describenda super est, sed angustia temporis non permisit ejus organisationem perscrutari.

Antequam ad caetera intestina (excretioni dicata), transeamus, uno verbo memorandae mihi videntur duae entozoorum species, in ranarum pulmonibus saepissime obviae. A **Swammerdammio, nostrate**, primâ vice illas memoratas inveni (1), nomina hodierna sunt: (ni fallor):

1°. Ascaris nigro venosa. **Goeze.**

——— pulmonaris. **Linn.** Sp. 33.

2°. Distoma cylindraceum. **Rudolphi.** Ent. hist. nat. pag. 393.

§. 4.

---

(1) Animadversione dignum est (inquit) quod fere semper vermiculi viventes in ranarum pulmonibus inveniantur; certe vel sex aliquando in iis observavi. Vermiculi isti parte anteriore lumbricis terrestribus satis sunt similes, circa posteriora tamen non nihil crassiores plerumque complicati inter pulmones haerent. Magnitudine haud multum differunt ab illo verme, qui domunculam cochleae marinae *alikruick* dictae, corrodit. Colore sunt ex flavescente albo; nisi quod versus posteriora nigrescant: quae varietas ab ingestis originem ducit. Ore suo semper in membranis pulmonum interioribus defixi sunt, atque inde sanguinem exsugunt. Quod si autem circumspecte de hisce membranis abstrahantur, videre licet, eos exiguam ibi aperturam inforasse, e quà tunc aliquid etiam sanguinis exstillat. Imo si os eorum tum temporis simul inspicitur, id quoque sanguinolentum apparet. Videntur hi vermiculi aliam praeterea in pectore suo monstrare apertionem: quam tamen haud examinavi. Neglexi etiam in eorum interanea inquirere: nisi quod tenuia atque crassa intestinula nonnullasque pinguidinis particulas in iis observaverim; sed haec vel foras etiam transparebant. Quandoque autem alia insuper in ranarum pulmonibus invenitur vermium species, qui tenui setae similes sunt et semet in gyros convolvunt acuminato rostro caudàque praediti'' seqq. **Swamm.** Bibl. Natur. Editio 1738. pag. 803—804, ibique versio Cl. **Gaubii.**

§. 4.

Organa quae nobis supersunt describenda, omnia excretionis organa vocari possunt.

Hepar, omnium glandularum facile in corpore maxima est. Comparatione institutâ cum haemathermatibus hepar multo majus est in Batrachiis. In duo hypochondria extenditur ita ut saepe omnia intestina antice tegat; superne sustinetur a peritonaeo. Color variat plurimum: ex flavo rubescit, saepe flavus est, saepe fusco ruber: an in maribus et feminis differat, observare non valui. Duobus constat lobis, quorum dexter semper fere unico, sinister vero duobus minoribus compositus est, quorum unus simplex, alter autem scissus et magis minusve divisus apparet. Vasa hepatica et cystica a se invicem divisa sunt, ita ut separatim in intestinum excurrant.

Fundus vesiculae fellis anticam spectat partem. Volumen (si rationem habeas haemathermatum) minus est. Intrat in vesicam bilis per ramos ductus hepatici, qui vesicae collo sese inserunt.

Pancreas figurâ est admodum irregulari; e variis glandulis compositum videtur et in arcu, qui antice formatur a ventriculo et intestinis inveniendum est. Inter duos lobos hepatis a pariete pericardii externâ incipit, tenditque anterius in intestina. Cum intestino corpus pancreatis ad unam extremitatem tam arcte cohaeret, ut non separari quaeat, nisi intestini parietibus diffractis. Pancreas abit in ductum pancreaticum, qui filamentis ubique cum intestinis cohaerens, tandem illi inseritur.

Lien in ranâ figuram offert sphaericam et positus est inter gyros intestinorum crassorum, ubi rubro suo eminet colore.

Renes sunt ovales, oblongi, planiusculi, non lobati. Non longe a se invicem distant. Corpuscula flava adiposa sub eorum cute apparent, quae a Swammerdammio jam observata sunt (1) et maculas elegantissimas in renum superficie anteriore depingunt, quorumque usus huc usque ignotus est.

Vesica urinaria vel potius organon quod plurimi hocce nomine insigniverunt, fundum habet, in duo cornua divisum. Maximum est organon, quod si inflatur, gracilibus suis parietibus, qui vasis sanguineis pulcherrime distincti sunt, tertiam fere partem trunci totius voluminis offert. Townson (2) hancce vesiculam receptaculum credidit aquae

---

(1) Swamm. Bibl. nat. tabula 47. fig. 1. Litt. n.

(2) Physiological observations on the amphibia etc. Lond. 1799.

quae a cute absorptae, cui sententiae egregie favere videtur 1°. ureterum structura, qui non in vesiculam exeunt, sed statim recto intestino inseruntur: 2°. experimenta Cl. Edwards (1) quibus maxima absorbtionis per cutem facultas clare demonstrata est.

Abdomen praeterea continet organa peculiaria, quae magnam habent analogiam cum capsulis superrenalibus et accessoria videntur esse organa testiculorum et ovariorum. A Swammerdammio et Roeselio ita vocatos esse memini saltem. Haecce organa in maribus mihi majora visa sunt quam in feminis. In Gyrinis maxima sunt. Cuvierus (2) graciles sese illas observâsse dixit in foemineis individuis, quae nondum ova posuerant; ego vero tam in Aprili quam in Septembri mense (itaque ante et post partum) illa organa ejusdem fere formae deprehendisse mihi visus sum.

Alii illa organa credunt esse receptacula adipis, quo ranae nutriuntur in lethargiâ illâ hiemali: cui sententiae praecipue Malpighius (3) favisse videtur. Tum vero harum appendicum magnitudo in autumno maxima, in vere minima esse deberet, quod observationi contrarium est.

Res igitur huc usque ignota est: plurimae quidem exstant hypotheses; nulla vero valet ad rite explicandam quaestionem.

---

(1) Edwards sur l'influence de l'athmosphère sur la vie des Batraciens in Ann. Gen. des Scienç. Phys. par Bory de St. Vincent, Drapiez et v. Mons. tom. IV. pag. 232.

(2) Cuvier Lec. d'Anat. comp. tom V. pag. 248.

(3) Malpighius exercitatio de omento, pinguedine et adiposis ductibus. Edit. Lugd. Bat. 1687; pag. 255.

» In ranis (inquit) ipsis strias utrinque renibus adhaerentes oblongas et insignes oleo refertas observamus, et
» veluti adnatas trunco venae portae prope jecur, evidens indicium pinguedinis collectionem non fortuitò qui-
» dem fieri, sed in hac valdè sollicitam fuisse naturam cum conspicua efformaverit pro pinguedine receptacula.
» Et quoniam diu laboravi ut vulgatam hujus dicti veritatem explorarem, in ranis tandem pertractandis hoc
» observavi, dum languide adhuc redit in cor sanguis, in trunco venae portae, cui appenduntur expositae oleo-
» sae striae, videre est conspicuas guttulas olei, compressis praecipuè striis quae una cum sanguine in hepatis
» cavum rapiuntur.«

⁂

SYSTEMA GENERATIONIS (1).

RANAE ESCULENTAE MASCULAE ET FEMINEAE.

Nihil jam descibendum superesse nobis videtur, nisi reproductionis organismus, in Batrachiis satis inperfectus. Mares enim virgâ sunt destituti, igiturque copulatio illa interna, quae in mammalibus, avibus et quibusdam reptilibus observatur, hîc locum non habet.

§. 1.

Organa generationis ranae masculae.

Organa genitalia ranae masculae sunt: testiculi, vasa abducentia et vesiculae seminales.

Testiculi externe substantiam offerunt albugineam, saltem externum tegumentum tenue, translucens. Parenchyma est liquore repletum atque animalculis spermaticis scatet (2). Interne constant testiculi canalibus minoribus coacervatis quae in centrum coeunt. Forma non semper eadem est. Sphaeram aut sphaeroïda aliquando ostendunt, nonnunquam semilunarem formam aut favam mentiuntur. Color est flavus. Vasa sanguinea pulcerrime tunicam quae testiculos circumvestit, (e peritonaei duplicatione oriundam, nigrisque variegatam maculis) distinguunt. Unicuique testiculo semper adhaerent appendices flavae, quae vel simplices sunt, vel duplices, vel multiplices. Numerum fasciarum, quae hasce appendices constituunt, non ultra decem adscendentem inveni. Nonnunquam ita volumine distenduntur, ut dimidiam fere superficiem uniuscujusque testiculi tegant et circumdent. Quo juniora sunt individua, eo majores (ratione habitâ caeterarum corporis partium) sunt appendices illae: ita ut in gyrinis maximae sint. Aureum quendam fulgorem oculis ostendunt, quem testiculi non habent, quem vero invenias in glandulis adiposis, sub collo positis (3).

cir-

---

(1) Qui hic inprimis conferri meretur est: J. v. Swammerdam in Bibliis Naturae, a quo plurima huc facientia mutuatus sum.

(2) Horum satis accurata invenitur imago, in Annales des Sciences Natur. tom. I. fig. 20.

(3) Color organorum, nullis aliis characteribus essentialibus obviis, quamvis (secundum Linnaeum) non

In latere uniuscujusque testiculi renes spectante igiturque posteriore, sex vel octo vasa deferentia majora occurrunt, per paria disposita, quorum quaedam simplicissima sunt, alia in ramos divisa. Haecce vasa sperma e testiculis ducunt, jamque variis gyrorum ambagibus contorta renibus adhaerent atque juxta illorum latera externa descendentia, in vesiculas seminales desinunt. Hae jam vesiculae seminales sacci sunt longitudinales vel potius expansiones membranaceae laterum vasorum abducentium, quae jam jam contrahuntur, atque minoribus aperturis desinunt in cloaca, ubi papillam dextram et sinistram formant, quae cum virili organo testudinis, etiam in cloacâ obvio atque maximi voluminis, magnam habere videntur analogiam.

Vasa abducentia non tantum semini abducendo inserviunt, urethrarum munere etiam funguntur. Urina enim usum hîc adventitium habet; sperma cum urinâ miscetur, urinaque vehiculum (ut ita dicam) seminis haberi potest. Inde et explicanda observatio plerorumque naturalistarum; in urinâ ranarum inprimis in verno tempore invenienda esse animalia spermatica.

§. 2.

Organa Generationis ranae femineae.

Femina reproductionis organa offert: duo ovaria, in plurimos saccos divisa (1), duos oviductus (*trompes* Gallo-francorum) et uterum in duos lobos divisum maximum.

Ovaria (de appendicibus flavis hic non loquendum est, quippe quae jam tractatae) saccos offerunt membranaceos, ova continentes, e peritonaei duplicatione oriundos

---

non magnam habeat auctoritatem ad constituendas anomalias vel analogias, tamen ille mihi esse videtur, qui in censum vocari possit et analogias si caeteroquin existere videantur, certiores reddere possit. Color jam glandularum sub collo positarum, cum illo appendicum flavarum idem est; utraque enim organa aureum pulcerrimum emittunt splendorem. satis convenientem cum illo quem Belgi *gebronsd* vocare solent.

Usus vero glandularum colli videtur esse nutritio corporis, in lethargiâ hyemali igiturque appendices flavae huicce usui etiam possent inservire?

Conf. Vermischte Schriften Anatomischen und Physiologischen Inhalts von G. R. und L. C. Treviranus tom. I. pag. 96, qui locus longior qui hic trans-scribatur, pulcre nostram observationem confirmat, sed colorem flavum tantummodo attingit et non ejus modificationem in aureum splendorem. Quae tamen coloris modificatio hic summi mihi videtur momenti: ex illo enim intelligi potest, testes ab appendicibus flavis omnino diversa esse corpora, nec in unum eundemque usum (quod plurimi voluerunt) generationem, servire; — sed utrique usum adscriptum esse individualem.

(1) An haecce differentia aetati sit adscribenda, nescio. Numerus semper mihi observabatur ad utrumque latus, inter quinque et decem, ita ut totus numerus esset inter decem et viginti.

dos, dissepimentis membranaceis a se invicem divisos, vasisque sanguineis non abunde distinctos. Viginti saccos in magnâ et adultâ ranâ inveni, in utroque latere decem. Expansione membranaceâ, vasis pulcerrime distinctâ, renibus jungitur. Ova similia in quocumque adsunt sacco; omnes igitur sacci in coitu dilacerari debent, in omnibus enim ova tam praesentis anni inveni, quam ova annorum futurorum. Haecce ova distinguuntur invicem, ad rationem voluminis et ad rationem coloris; ova enim jam jam ponenda multo majora sunt, quam ova diu adhuc permansura in corpore matris, color et ovorum anni praesentis semi-fuscus et semiflavus, ova vero annorum futurorum sunt flava (1).

An vero haecce ovaria a pressione pollicis callosi maris ranae in coitu dilacerentur (quod Cl^{i}. Prevost et Dumas, affimare videntur) nescio. Mihi saltem non probabile videtur, quia saepius a viris doctis, immo et etiam a me ipso observatum est, ranarum feminas absque coitu ova ponere, quae tum vero (quod necesse evenire debebat) non fecunda erant. Inflammatoriae solummodo igitur affectioni, e Venere oestroque amoris oriundae, tunc temporis ovaria excitanti, potius dilaceratio illa adscribenda est.

Oviductuum figura est elegantissima. In duo enim hypochondria positi sunt gyris eleganter convolutis ab apicibus cornuum uteri adscendunt usque ad pericardium, cui ut et ligamento suspensorio hepatis arcte eorum orificia adhaerent. Substantiae sunt pulposae (ita ut summis cum difficultatibus praeparatio oviductuum et uteri juncta sit). In orificiis angusti sunt oviductus. Sensim sensimque vero amplificantur, ita ut uterum intrantes satis magnam habeant diametrum. Metiri diametros non volui, quippe quae in variis individuis differant, nec igitur satis firmam basin offerre possint. Inveni oviductus qui quater longitudine truncum superarent. Quomodo autem ova ex ovariis in oviductum perveniant, diu dubitaverunt viri docti. Ovaria enim tam longe distant ab oviductibus, oviductusque tam firme pericardio adhaerent, ut illorum inclinatio super ovaria admitti nequeat. Diu haecce quaestio causa certaminis fuit physiologici inter Swammerdammium et Oligerum Jacobaeum, in quo Swammerdammius mihi videtur, palmam aemulo surripuisse. Swammerdammius enim, verae philosophiae naturalis studiosus, melius ducebat, organa minute describere, suamque causarum ignorantiam ingenue profiteri, quam arduis nec demonstratis hypothesibus phaenomena explicare. Ingenue igitur confessus est se non intelligere potuisse modum quo ova ex ovariis in tubos venirent, quippe quae longissime a se invicem distarent. Ita quaestio remansit ad nostra usque tempora. Cl. Cl. vero Dumas et Prevost nihil difficultatis in solvendâ hacce quaestione invenisse videntur, vel potius illam silentes transierunt, statim enim in disquisitione laudatâ narrant (1): « les trompes sont placées de chaque coté de la colonne vertebrale, en arrière des ovaires. Leur longeur est considerable et chacune d'elles peut se diviser en trois parties distinctes, par leurs fonctions, ce qui les rapporte singulierement des mêmes organes des oiseaux. En effet la pavillon et la partie qui en est voisine se montrent à peu près les mêmes en tout temps. Les ovules qui se detachent sont saisis par les trompes." Nihil jam de modo quo ova ab oviductibus absorbeantur, loquuntur, sed in figurâ disquisitioni suae adjectâ (organa genitalia feminae ranae exhibente) orificia oviductuum prope ovaria posuerunt, quod omnino falsum est. Quaestio igitur nondum soluta.

---

(1) Cl. Cl. Prevost et Dumas (Annales des Sciences naturelles tom. II. pag. 100, seqq.) narrarunt, in suis sagacissimis experimentis super evolutionem gyrini institutis, ova anni futuri esse tota fusca. Ab Aprili vero mense usque ad Septembrem dissecans ranas, nulla nisi semifusca et semiflava ac tota flava inveni.

Uterus membrana est tenuissima, pulcre sanguineis vasis distincta, quae inflata aut ovis repleta dimidium fere voluminis trunci occupat. Latitudo latitudinem trunci quodammodo superat, ita ut utero ovis repleto cutis musculique transversi mire distendantur. Duo cornua, quorum ope oviductibus conjungitur, in posticâ superiore parte adsunt. Cornua illa ejusdem fere substantiae sunt pulposae ac oviductus, totus vero uterus saccis constat duobus, quorum dexter dextro, sinister sinistro cum oviductu cohaeret. In inferiore posteriore parte paulo super sphincterem ani, ambo sacci exeunt in cloacam, orificiis marginibus aliquomodo convexis, annulatis.

De evolutione gyrini tam multa, tamque sagacissima experimenta instituta sunt, a viris doctis, ut de illâ si nobis hic agendum esset pulcerrimam omnino excurrendi occasionem haberemus. Quum autem non plane ad quaestionem haecce disquisitio pertineret, quumque de ossificatione nostras proprias observationes, quaeque sint, in osteographiâ narraverimus, finem nostrae commentatiunculae inponimus, credentes, satis jam demonstrasse nos:

Ranam habere quo curiosum fatiget, licet adspectu vilis sit et ciconiarium victima.

---

(1) l. l. pag. 102 et 105.

SYMBOLUM.

Habet rana quod curiosum fatiget, licet adspectu
vilis et ciconiarum victima.

G. Blasius. Anat. Animal. Cap. XXIV.

ADDENDA

AD COMMENTATIONEM ZOOLOGICAM, DESUMTA E RESPONSIONE

P. J. C. LEDEBOER, x ref

ROTERODAMENSIS,

MED. IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA STUDIOSI,

QUAE SECUNDOS HONORES TULIT D. VIII FEBRUARII A. MDCCCXXIX.

ADDENDA AD COMMENTATIONEM ZOOLOGICAM.

Ad partem secundam p. 8 sq.

Enumeratio systematica Batrachiorum nostratium.

Familia prima. Caudata. Corpus elongatum, terminatum cauda cylindrica aut compressa et natatoria; lingua brevis, crassa; digiti sine unguibus.

Urodeles, Duméril, *Zoolog. Anal.* pag. 95.

Genus *Salamandra.* Extremitates quatuor; statu perfecto pulmonibus respirantia; pedes anteriores quatuor praediti digitis, posteriores quinque. Daudin. *Hist. Nat. des Rept.* tom. 8. pag. 217.

Triton. Dum. *Zool. Anal.* pag. 94 et 95.

Triton, Cuvier *Règne anim.* tom. 2. pag. 99.

Molge, Blasius Merrem *Systema Amph.* pag. 185.

Spec. I. *Salamandra cristata.* Supra nigricans, subtus aurantiaca, punctis magnis et rotundis adspersa, lateribus albido granulatis et nigro punctatis, cauda compressa (crista dorsali fimbriata, mari) Daudin. l. cit. pag. 233.

Lacerta americana. Gmelin *syst. nat.* pag. 1065. n. 55.

Lacerta lacustris. Idem l. l. p. 1065. n. 48.

Salamandra cristata. Schneider *Hist. amph.* pag. 56. n. 2.

Salamandra carnifex « « « « « « « « 71. n. 7.

Salamandra pruinata « « « « « « « « 69. n. 5.

Salamandre à queue plate Lacépède *Hist. nat. des quadrupèdes ovip.* 4. tom. I. pag. 471. pl. 31.

Salamandra cristata. Cuvier, *R. a.* T. II. p. 100.

Molge palustris. Merrem *syst. amph.* p. 187. n. 8.

Lacerta pal. Sturm *Deutschl. Faun. amph.* Heft. 3.
(gevonden op Reederoord bij Velp.)

Spec. II. *Salamandra abdominalis.* Supra viridi-olivacea, subtus flavida punctata, cum linea longitudinali fuscescente in utroque latere dorsi, palmis plantisque fissis. Daud. l. l. p. 250.

Lacerta vulgaris. Gmelin *Syst. nat.* p. 1076. n. 42.

« « « *Salamandra* « « « « « 1066. n. 47. Var. ε.

Salamandra palustris. Schneider l. l. p. 60.

Lacerta taeniata. Wolff in Sturm. *Deutschl. Faun.* (Fem. var. p.)

Molge Cinerea. Merrem. l. l. p. 185. n. 3.
(gev. Meijerij van den Bosch en bij Utrecht.)

Spec. III. *Salamandra punctata.* Supra cinereo olivacea, subtus flavida et omnino nigris punctis adspersa; cauda compressissima, palmis plantisque fissis. Daud. l. l. p. 257.

Lacerta Salamandra aquatica. Gmelin l. l. p. 1066. n. 43.

Salamandra taeniata. Schneider l. l. p. 58.

Lacerta taeniata. Wolff. Sturm *Deutschl. Faun.*

Salamandra punctata. Cuv. l. l. Tom. 2. p. 100.

« « « « *elegans.* Daud. *Hist. nat.* Tom. 8. p. 255.

Molge punctata. Merrem l. l. p. 186.
(gev. bij Rotterdam, en op den Oorsprong bij Arnhem in een vijver).

Spec. IV. *Salamandra rubriventris.* Corpore supra atro maculis fuscescentibus, subtus aurantiaco immaculato, cum punctis nigris sub collo. Daud. l. l. p. 239.

Lacerta Salamandra lacustris. Gmelin l. l. p. 1065. n. 48. var. ε.

Salamandra alpestris. Schneid. l. l. p. 71. n. 6.

Molge alpestris. Merrem l. l. p. 187. n. 7.
(gev. te Utrecht en Rotterdam).

Spec. V. *Salamandra marmorata.* Supra viridi olivacea fusco marmorata, subtus fuscescens granulis albis punctata, cauda compressa. Daud. l. l. p. 241.

Lacerta Salamandra lacustris. Gmel. var. η. p. 1065. n. 48.

Triton Gesneri. Schneid. *Hist. amph.* p. 19.

Molge alpestris. Merrem l. l. p. 187. n. 7.

Salamandra marmorata. Cuv. l. l. p. 100.

Familia Secunda. Ecaudata. Corpus breve, latum, sine cauda; pedes quatuor, anteriores posterioribus breviores; lingua brevis, crassa, fere adhaerens; primo vitae stadio caudata, branchiarum, dein pulmonum ope respirantia.

Rana. Gmel. l. l. p. 1046. n. 120.
« « Cuv. l. l. p. 90.
Anoures. Dum. l. l. p. 92 et 93.
Salientia. Merrem. l. l. p. 169.

Genus I. *Hyla.* Corpus compressum, elongatum; lingua crassa brevis; digitorum omnium apices terminati pulvillis viscosis; pedes posteriores corpore longiores. Daud. l. c. p. 18.

Hyla. Gmel. l. l. p. 1054.
Calamita. Scheid. l. l. p. 153.
« « « Merrem l. l. p. 169.

Hyla. Dum. l. c. p. 92 et 93.

« « Cuv. l. l. p. 93.

« « Daud. *Hist. des rainettes, grén. et crap.* p. 11.

Spec. *Hyla viridis.* Supra laete virens, cum linea flavida in utroque latere a naribus exorta et ad lumbos introrsum sinuata.

Rana *Hyla arborea* Gmelin l. l. p. 1054. n. 16.

Rana « « Roesel *Hist. nat. Ranar. nostr.* p. 37. pl. 9, 10 et 11.

« « *Calamita arboreus.* Schneid. l. l. p. 153.

« « *arborea.* Sturm. *Deutschl. Fauna.*

« « « « Cuvier l. l. p. 94.

Calamita arboreus Merrem l. l. p. 170. n. 9.

(gev. bij Groningen buiten de Heerenpoort te Harendermalen).

Genus II. *Rana.* Corpus crassum, parum compressum, elongatum, humidum; lingua brevis; pedes posteriores corpore longiores, digiti sine unguibus, apice tenuiores. Daud. l. l. p. 87.

Rana proprie dicta. Gmel. l. l. p. 1052.

« « Schneid. l. l. p. 112.

« « Duméril. l. l. p. 92 et 93.

« « *proprie dicta.* Cuvier l. l. p. 92.

« « Merrem p. 174.

Grenouille. Lacépède *Quadr. Ovip. I.* p. 503.

Spec. I. *Rana esculenta.* Viridis, maculis nigris, lineisque tribus longitudinalibus flavidis supra dorsum; abdomine albido. Daud. p. 90.

Rana esculenta. Gmelin l. l. p. 1053. n. 15.

« « « « Schneid. l. l. p. 115.

Rana viridis aquatica. Roesel l. l. p. 53. Tab. 13 et 14.

Rana esculenta. Merrem l. l. p. 176. n. 11.

« « « « Cuvier l. l. p. 92. — *Grén. verte.* Daud. *Hist. nat. des rainettes etc.* p. 46. pl. 15. n. 1.

« « « « Sturm *Deutschl. Faun.*

Ubique fere nostra in patria occurrit.

Spec. II. *Rana temporaria.* Supra rufa aut fusca viridescens, cum macula nigricante ab oculo per tympanum ducta. Daud. l. l. p. 94.

Rana temporaria. Gmelin l. l. p. 1053. n. 14.

Rana fusca terrestris. Roesel. l. l. p. 1. Tab. 1, 2 et 3.

« « « « « « Schneid. l. c. p. 113.

Grenouille commune. Lacépèd. l. l. p. 505.

Rana temporaria. Cuvier l. l. p. 92.

Rana temporaria. (*brauner Frösch*) Merrem l. l. p. 175. n. 8.
« « « « « Sturm *Deutschl. Faun.*
Grenouille rousse. Daud. *Hist. des rainettes.* p. 52. Tab. 15. fig. 2.
(aeque ac praecedens ubique fere dispersa).

Genus III. *Bufo.* Corpus crassum latum, verrucis supra munitum; pedes posteriores corpore non longiores. Daud. l. l. p. 137.

Bufo. Gmelin l. l. p. 1047. p. 5.
« « Schneid. l. l. p. 177.
« « Duméril l. l. p. 92 et 93.
« « Merrem l. l. p. 180.
« « Cuv. l. l. p. 94.
« « Lacépède l. l. p. 568.
« « Daud. *Hist. des rainettes etc.* p. 47.

Spec. I. *Bufo vulgaris.* Supra cinereus pallide rufescens, pustulis rufis, subtus rufescente albidus. Daud. l. l. p. 139.

Bufo terrestris. (*Blätterichte Landkröte mit rothen Augen*) Roesel l. l. p. 36. Tab. 20.
Bufo cinereus. Merrem l. l. p. 182. n. 11.
« « « « Schneid. l. l. p. 185.
Crapaud commun. Lacépède l. l. p. 568.
« « « « « Cuvier l. l. p. 94.
Crapaud cendré à pustules rousses. Daud. *Hist. nat. des rain. etc.* p. 72. pl. 24.
(gev. in Gelderland nabij Wageningen).

Spec. II. *Bufo bombinus.* Supra fusco-olivaceus, verrucosus; subtus luteo aurantius, maculis coerulescentibus plicaque gulari. Daud. p. 146.

Rana bombina. Gmelin l. l. p. 1048. n. 6.
Rana rubeta « « « l. l. p. 1017. n. 4.
Rana salsa « « « l. l. p. 1019. n. 18.
Le brun. Lacépède l. l. p. 590.
Bufo aquaticus. Roesel. l. l. pag. 69. Tab. 17.
Rana fusca. Sturm *Deutschl. Faun.*
Bufo fuscus. Merrem l. l. p. 183. n. 13.
Crapaud commun. Cuvier l. l. p. 95.
Bufo bombinus. Daud. l. l. p. 75. n. 5. Tab. 26. fig. 1, 2, 3.
(gev. nabij Utrecht).

Spec. III. *Bufo Roeselii.* Supra virescens maculis elevatis atrofuscis; subtus cinereo virescens palmis semipalmatis plantisque palmatis.

Rana Bufo. Gmelin l. l. p. 1047. n. 5.

Bufo vulgaris. Roesel l. l. Tab. 20. p. 86.
Crapaud commun. Lacép. l. l. p. 568.
Bufo cinereus. Merrem l. l. p. 182. n. 11.
Crapaud de Roesel. Daud. *hist. nat. des rain. etc.* p. 77. n. 6. pl. 27.

Spec. IV. *Bufo calamita.* Supra olivaceus, maculis saturatis, pustulis subrufis, et linea dorsali lutea longitudinali in medio dorsi. Daud. l. l. p. 153.

Bufo calamita. Gmelin p. 1047. n. 32. β.
Le calamite. Lacép. l. l. p. 592.
Bufo calamita. Schneid. l. l. p. 193.
« « « « Merrem l. l. p. 182. 9.
Bufo cruciatus. (*stinkende Landkröte*) Roesel. p. 107. tab. 24.
Rana portentosa. Sturm *Deutschl. Fauna.*
Rana Bufo calamita. Cuvier l. l. p. 95.
Bufo calamita. Daud. *Hist. nat. rainettes etc.* p. 77. n. 7. pl. 28. fig. 1.
(gev. in Gelderland bij Wageningen).

Ad partem tertiam.

De ossibus capitis p. 17 sqq.

Synonymia ossium sec. Bojanum in Okeni *Iside* 1821. Heft. XII. et Cuvierium *Rech. sur les Ossem. fossiles V. 2. 1824*, intelligitur ex *Iconum* explicatione, quae desumta est e Commentatione P. I. C. Ledeboer.

De *Cerebro* et medulla spinali p. 47.

Cerebrum in ratione ad medullam spinalem adhuc parvum est et massae praecipuae, ex quibus constat, in eadem directione ac medulla spinalis, id est una post alteram partem, sitae. Tres conspiciendae sunt portiones cerebri. Prima, quae occurrit, haemisphaeria refert, scilicet nervorum olfactoriorum ganglia. Componitur ex duobus gangliis rotundis, oblongis, cinerei coloris et, cum tota cerebri massa si comparantur, satis magnis; anterius secum invicem conjuncta sunt, ibi oriuntur nervi olfactorii; posterius a se invicem disjuncta, intus cava sunt, quae excavationes ventriculis lateralibus sive tricornibus analogae sunt; eorum cavitatis ope anteriora versus commercium inter se alunt dextrum sinistrumque ganglion: in fundo cavitatum extumescentia est, secundum Carum cum corporibus striatis comparanda. Sequens intermedia cerebri pars formata est e glangliis nervorum opticorum, thalami eorum nervorum dimidium fere minores sunt gangliis nervorum olfactoriorum et in unum fere ganglion conjuncti cujus e lateribus oriuntur nervi optici; hi nervi antrorsum ad se invicem convertuntur, conjunguntur et porro sub angulo obtuso recedunt. In interiore hujus thalami dicti adest tumescentia ex qua radiatio fibrarum medullarium ad thalamorum tegumenta exit; supra eum invenitur glandula parva coloris rubri, quam cum glandula pineali sive conario confert Carus (zirbel drüse). Praeterea invenitur adhuc gangliorum par inter thalamos situm et inter ganglia nervorum olfactoriorum; ex utroque nonnulla emittuntur filamenta ad nervum opticum formandum.

Tertia denique sive posterior pars cerebri constat ex cerebello et medulla oblongata; simplicissima est formatio; formatur enim divisione ipsius medullae spinalis, quae dilatatio quartum cerebri ventriculum componit secundum cl. Carum, cujus ventriculi parietes prope ad thalamos nervorum opticorum sese flectunt, et formant ita dictum cerebellum.

Medullae spinalis latitudo fere eadem est ac ipsius cerebri ipsiusque forma cilindrica est, parum complanata; decurrens tenuior fit; intus canalis decurrit qui, ut susupra dilatatus sic et inferius fissus observatur, eo scilicet loco quo nervi lumbales oriuntur; dein descendens quam maxime attenuatur et tandem producitur in filum, quod secundum os coccygis decurrit, et evanescit.

Dura mater in hisce animalibus cranio ipsi adhaeret inter quod et cerebrum humor mucosus, oleosus invenitur. Membrana arachnoidea non conspicitur sed ejus loco textura cellulosa laxa. Cerebrum ipsum pia matre obducitur. Medulla spinalis circumvolvitur neurilemate tenui, subtili. In basi cerebri arteriae, in superiori ejus parte venae potissimum conspiciuntur. Magnitudo cerebri adulti non magnopere differt ab eo junioris; saltem videtur cerebrum non aequabiliter cum caeteris partibus crescere, ejusque magnitudo eadem manet quamquam cranium crescit ac capacitate augetur, relinquitur inde spatium oleosa materia repletum ut et in piscibus observatur.

Ad pag. 50. De nervo glossopharyngeo.

Glossopharyngeus (par nonum). Oritur a parte posteriori medullae oblongatae; per foramen relictum in osse occipitis, pone os petrosum. Ab eodem loco oriuntur nervus vagus (par decimum), nervus accessorius Willisii (undecimum par), et nervus lingualis medius (1).

De nervis trunci ad p. 50, 51.

Nervus cervicalis. Unum tantum nervorum colli invenitur par, unica enim tantum est vertebra colli; inter hanc et primam vertebram dorsi oritur, seseque ad musculos colli extendit; filamenta quoque ad plexum brachialem dimittit.

Nervus diaphragmatis in iis non invenitur.

Sequentium nervorum dorsalium decursus tali modo sese habet.

Primum par nervorum dorsalium oritur inter primam et secundam vertebram dorsalem, omnium crassissimum, ei adjunguntur rami nervi cervicalis nec non secundi paris dorsalis; cum hisce brachium petit et magnopere confert ad constituendum plexum brachialem.

---

(1) Conf. Treviranus Vermischte Schriften Band. I. Gött. 1816. Bemerkungen über das Nerven system des Frossches p. 94. Tab. 15. fig. 70, a, b, d.

Sequuntur quatuor paria nervorum dorsalium, quorum nervi multi tenuiores sunt; primi, ut vidimus, ramum ad plexum brachialem dimittunt: sequentes omnes rami caeterorum parium nervorum dorsalium emittuntur ad musculos intertransversarios et dorsi; trunci ipsi musculos pectoris et abdominis petunt et in iis disperguntur.

Duo sequentia paria (quorum superius par inter septimam et octavam totius columnae vertebram oritur, inferius, sacrale dicendum, inter vertebram dorsalem ultimam et vertebram ortum ducit sacralem;) superioribus multo crassiora, decurrunt juxta longitudinem ossorum ilii donec accedat nervus caudalis i. e. qui oritur inter vertebram sacralem et caudalem. Formant hi trunci tres plexum femoralem et ad femur nervum cruralem demittunt, qui in ejus anteriore parte dividitur: decurrunt porro in pelvim interiorem; ibi nervi ischiatici, qui ramos in musculos gluteos et posteriores femoris propellit, ipse truncus posteriorem partem femoris petit et inter musculos semimembranosos et semitendinosos progrediens dividitur in popliteum internum et externum; horum internus peroneus sese dividit in ramum ipsum musculum peroneum petentem et in alium qui juxta tibiae latus internum progreditur et in planta pedis digitorum flexoribus ramulos praebet. Externus, tibialis, per totam tibiae longitudinem decurrit, ramum ejus musculis relinquit, ad dorsum pedis sese extendit et singulis musculis extensoribus nervum concedit.

Nervi brachii, ut vidimus, oriuntur praecipue ex nervo primo dorsali cui adjungitur ramus nervi cervicalis et secundi dorsalis: in cavitate axillari ex iis formatur plexus brachialis ibi ad scapulae musculos ramus excurrit; ipse in truncos duos dividitur, quorum exterior, *radialis* circum ipsum os brachii circumvolvitur; pone articulationem brachii et antibrachii sub antibrachii musculis externis prodit et tandem dividitur in ramum ipsam cutem petentem, et in alterum ad musculos extensores digitorum decurrentem.

Interior truncus plexus brachialis, medianus, ante os brachii decurrit sub musculis ad plicam brachii; porro dividitur in ramum alterum tenuiorem, alterum crassiorem; crassior juxta antibrachium sub ligamento carpi ad musculos digitorum pervenit; tenuior superficialis inter digitorum flexores progrediens in cute manus desinit. Quod ad nervos cutaneos, praeter eos qui ex aliis nervis sive extremitatum sive abdominis oriuntur alii adhuc in dorso ex quaque fissura, quae relinquitur inter processum spinosum cujuscunque] vertebrae et partem anteriorem sequentis, ortum trahunt.

EXPLICATIO TABULARUM.

Tab. I. Sceletum *Ranae esculentae* a dorso conspectum.

Tab. II. (Fig. IV. V. VI. desumtae sunt e commentatione H. L. van Altena, reliquae figurae e commentatione P. J. C. Ledeboer).

Fig. I. Caput osseum a superiori conspectum.

Fig. II. Capitis ossei facies inferior.

Fig. III. Capitis ossa singula, a se invicem remota.

a. *Os occipitis.* p. 17, 18, *temporale.*

b. *Os sphaenoïdeum* p. 18.

c. *Os parietale* (*frontale*) p. 18. Secundum Bojanum hoc os e frontali et parietali constat, qui ossa haec, transversâ suturâ distincta, delineavit.

d. *Os ethmoideum* p. 17.

1. *Os petrosum* (*labyrinthicum* Bojani, *Rocher*, Cuv.) pars ossis temporalis p. 18.

* Fig. III. *Columella.*

2. *Os quadratum* (*Os squamosum* Bojani, *tympanicum* Cuvierii) p. 19.

3. *Os pterygoïdeum* Cuvierii, *Ala ossis sphaenoidei* Bojani (*Ossa jugalia*) p. 19, 20.

4. *Os jugale s. zygomaticum* Cuvierii et Bojani, *Os maxillare minus.* p. 20.

5. *Os supramaxillare*, *Os maxillare majus* p. 20.

6. *Os pterygoideum* Bojani, *palatinum* Cuvierii, *Os palatinum posterius.* p. 21.

7. *Os frontale anterius* Cuvierii, *os nasi* Bojani, *os nasale.* p. 20.

8. *Os vomeris* Cuvierii, *palatinum* Bojani, *os palatinum anterius.* p. 20, 21.

9. *Os maxillare s. incisivum.* p. 20.

Fig. IV. V. VI. *Ossa gyrini.* Fig. IV. Sceleti partes essentiales. Fig. V. *Cranium* magn. auctâ. Fig. IV. vertebrae cum osse coccygis, magn. auctâ.

Fig. VII. Ultima vertebra dorsi.

Fig. VIII. Vertebra nona s. sacralis p. 16.

Fig. IX. *Os coccygis.* p. 16.

Fig. X. *Os ilii.* Fig. XI. *Os ischii* et *pubis* p. 17.

Fig. XII. Ossa extremitatum anteriorum cum sterno.

e. *Os sternale anterius.* *p.* *Os sternale posterius* p. 23.

f. *Clavicula furcularis.* *C.* *Clavicula coracoïdea.*

sc. *Scapulae* pars inferior, sine expansione dorsali cf. p. 22.

h. *Os humeri* a latere anteriore, *h'.* idem os a latere interno conspectum.

r. *u.* *Radius* et *ulna* inter se concreta; *r'.* *u'.* eadem ossa dissecta.

1, 2, 3, 4, 5, 6. Ossa *carpi.*

Fig. XIII. *Os femoris.* A. ab anteriore latere. B. a posteriore.

Fig. XIV. Sectio *tibiae* et *fibulae* concretae. p. 25.

Fig. XV. Tarsi ossa; *a talus* s. *astralagus*, *b. calcaneus* 1, 2, 3. tria reliqua tarsi ossa minora; 4, quartum extra ordinem ceterorum ad latus internum situm.

TAB. III ET IV. MYOLOGIA

Ranae esculentae.

(Hae Tabulae desumtae sunt e commentatione P. J. C. Ledeboer).

TAB. III.

N°. 1. Musculus intermaxillaris intermedius.
2. M. nasalis.
3. M. levator palpebrae inferioris anterior.
4. M. levator palpebrae inferioris posterior.
5. M. levator palpebrae superioris.
6. M. masseter.
7. M. depressor maxillae inferioris.
8. M. protractor acromii.
9. M. protractor scapulae anterior.
10. M. protractor scapulae posterior.

11. M. levator scapulae sublimis.
12. M. levator scapulae profundus.
13. M. deltoideus.
14. M. scapularis.
15. M. detractor scapulae posticus.
16. M. anconeus externns,
17. M. anconeus medius.
18. M. extensor digitorum.
19. M. supinator cubiti.
20. M. flexor ulnaris.
21. M. abductor digiti minimi.
22. M. abductor pollicis.
23. M. depressor acromii.
24. M. pronator brachii.
25. M. extensor radialis cubiti.
26. M. M. interossei externi.
27. M. quadratus lumborum.
28. M. obliquus.
29. M. sacro lumbalis.
30. M. Iliococcygeus.
31. M. transversus.
32. M. M. inter transversarii.
33. M. gluteus major.
34. M. gluteus minor.
35. M. iliacus internus.
36. M. pyriformis.
37. M. extensoris cruris caput medium.
38. M. extensoris cruris caput externum.
39. M. semimembranosus.
40. M. semitendinosus.
41. M. flexor tibialis externus.
42. M. gracilis.
43. M. flexor tibialis magnus.
44. M. gluteus minor.
45. M. Iliacus internus.
46. M. biceps.
47. M. vastus (externus).
48. M. peroneus.
49. M. gastrocnemius.
50. M. tibialis anticus.
51. M. accessorius tibialis antici.
52. M. tibialis posticus.
53. M. peroneus.
54. M. flexor digitorum pedis.
55. M. flexor externus.
56. M. abductor pollicis.
57. M. abductor digiti minimi.
58. M. adductor pollicis.
59. M. extensor tarsi infimus.
60. M. M. interossei interni.

* * *

TAB. IV.

N°. 1. Bulbus musculi lingualis.
2. Musculus mylosternoideus.
3. M. sterno hyoideus.
4. M. geniohyoideus.
5.
6.
7. } M. pectoralis major.
8.
9. M. brachio-abdominalis.
10. M. deltoideus.
11. M. sternoradialis.
12. M. pectoralis portio profundior.
13. M. subscapularis.
13*. M. depressor abdominalis scapulae.
14. M. pronator brachii.
15. M. supinator cubiti.
16. M. flexor digitorum longus.
17. M. pronator cubiti.
18. M. anconaeus medius.
19. M. abductor pollicis.
20. M. abductor digiti minimi.
21. M. flexor radialis.
22. M. M. interossei interni.
23. M. rectus abdominis.
24. M. obliquus.
25. M. transversus.
26. M. extensor cruris.
27. M. sartorius.
28. M. adductor magnus.
29. M. flexor tibialis latus.
30. M. flexor tibialis magnus.
31. M. iliacus internus.

32. M. addnctor brevis.
33. M. adductor longus.
34. M. semitendinosus.
35. M. biceps.
36. M. gastrocnemius.
37. M. tibialis posticus.
38. M. tibialis anticus simplex.
39. M. tibialis anticus biceps.
40. M. peroneus.
14. M. tibialis posticus.
42. M. accessorius tibialis antici.
43. M. extensor infimus: est duplex externus et internus.
44. M. extensor digitorum pedis.
45. M. extensor digiti minimi.
46. M. extensor pollicis.
47. M. adductor pollicis.
48. M. M. interossei externi.

Cf. De myologiâ, J. C. Zenker *Batracho-myologia. Jenae* 1825. 4. acc. tab. II, (quibus *Bufonum* musculi praesertim illustrantur).

E R R A T A.

Pag.	11.	*lin.* 1	*ab imo,*	*invenitur*	179 e 180	*mutetur in*	179 et 180
»	» 13.	» 6	» »	» » »	fluentem	» » »	
»	» »	» »	» »	» » »	datâoccasione	» » »	datâ occasione
»	» 16.	» 2	» »	» » »	monstruositatem	» » »	monstrositatem
»	» 24.	» 2	» »	» » »	Voyez	» » »	Vide
»	» 25.	» 8	» »	» » »	(1)	» » »	(2)
»	» »	» 9	» »	» » »	(2)	» » »	(3)
»	» 27.	» 4	» »	» » »	evolvuntur —	» » »	evolvuntur, —
»	» 31.	» 2	» »	» » »	Cap. VI	» » »	Cap. IV.
»	» 39.	» 8	» »	» » »	M. Peronalis	» » »	M. Peronaeus
»	» 41.	» 1	» »	» » »	suap te	» » »	suapte
»	» 56.	» 14	» »	» » »	(1) Animadversione	» » »	(1) » Animadversione
»	» 58.	» 12	» »	» » »	athmosphere	» » »	atmosphère

TAB. I.



T. C. Bruining del.

Lith. van Sprenger te Leijden.

NATURAL HISTORY

Fig. I.


1.
a
1.
2.
4.
3
c.
3.
10.
5.
d.
6
7.
7.
8
5.
9.
9.
10.

Fig. II.


4.
3.
2
b
2
d
3.
6
6
8
5
9.

Fig. IV.



Fig. V.



Fig. VI.



Fig. III.


a
a
4.
1.
b.
4.
2.
2
3
c.
c
5.
3
5.
6.
d.
6
7
7
8.
8.
10.
10.
9.
9.
10.'
10.'

Fig. VII.



Fig. VIII.



Fig. IX



Fig. X.



Fig. XI.



Fig. XIII.



Fig. XII


l
sc.
f
f.
sc.
C.
C
h.
p
h'
ru.
ru'.
1
2.
3.
4
5
6

Fig. XIV.



Fig. XV.



Lith. L. Springer te Leyden.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

TAB. III.


1
2
3
5
4
26
12
6
11
7
14
8
9
10
13
16
22
17
19
21
24
25
23
20
18
32
15
27
27
29
28
31
36
30
33
34
35
45
37
38
30
44
41
47
39
46
42
43
40
53
49
50
52
48
51
54
58
55
59
56
57
61

Lith. van L. Springer te Leiden.

NATURAL [illegible]


1
4.
2.
22
3
5.
6
7
8
10
11
19
15
21
20
12
16
18
13
17
14
9
13*
26
23
24
31.
32
25
33.
27
28
34
29
35
30
36
40
38
37
41
39
42
47
44
45.
43
46
48

Lith von L. Springer te Leyden

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI

a d. VIII *Februarii* MDCCCXXVIII, *ad d.* IX *Februarii* MDCCCXXIX.

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

CLARISSIMI ORDINIS PRAESES,

H. C. VAN DER BOON MESCH.

ACTUARIUS,

G. J. ROOIJENS.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET *PHYSICARUM PROFESSORES.*

H. C. VAN DER BOON MESCH.
J. P. S. VOUTE.

THEOLOGUS.

G. J. ROOIJENS.

JURIDICI.

J. H. VAN REENEN, Prof. Honor.
C. A. DEN TEX.
J. VAN HALL.

MEDICI.

G. VROLIK.
F. VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.
H. BOSSCHA.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. J. VAN LENNEP.
J. WILLMET.
J. P. VAN CAPPELLE.
T. ROORDA, Prof. extraord.

LECTOR.

H. DE HARTOG.

❋

SERIES LECTIONUM ET INSTITUTIONUM,

QUAE HABENTUR A PROFESSORIBUS ILLUSTRIS
ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS,

inde a feriis aestivis anni MDCCCXXIX *ad ferias aestivas* MDCCCXXX.

JACOBUS VAN HALL,

publice, selecta quaedam Juris Privati capita juventuti disceptanda proponit;
privatim, tradit Institutiones JUSTINIANI Imp.,
Pandectas Juris Romani,
Principia Juris Civilis Belgici,
Jus maritimum tum universum, tum imprimis Belgicum.

GERARDUS VROLIK,

publice; IN HORTO BOTANICO, tradet Elementa Botanica,
privatim, docebit
Obstetriciam theoreticam et practicam;
Physicam plantarum.

DAVID JACOBUS VAN LENNEP,

publice; praecipua quaedam Historiae et Literarum capita tractat, vel ipsi juventuti, exercitationis causa, disceptanda proponit;
privatim, tradit
Literas Latinas, interpretandis, CICERONIS Somnio Scipionis, Georgicorum VIRGILII libro tertio; explicandis Antiquitatibus Romanis.
Literas Graecas, interpretandis locis HERODOTI et XENOPHONTIS

quibusdam in *selectis principum Historicorum*, a WYTTENBACHIO editis, item PLUTARCHI vita Demosthenis, HOMERI Odysseae Rhapsod. M, EURIPIDIS Medea.

Historiam Doctrinarum ab initio ad renatas in Italia literas.

JOANNES WILLMET,

publice, *nonnulla Historiae Arabum Literariae capita* tractat, aut praecipua Philologiae momenta ad disceptationem proponit;

privatim, Corani quaedam capita interpretatur;

Lectiones vero *Grammaticas* atque *Exegeticas*, hoc iterum anno, habebit Vir Cl. T. ROORDA, illi honorifice Adjunctus.

JOANNES PETRUS VAN CAPPELLE,

publice, partes quasdam historiae literariae Belgicae tractabit;

privatim, de stilo Belgico aget;

De Poëtis seculi decimi septimi Batavis disseret;

Historiam Patriae tradet;

Exercitationes oratorias moderabitur.

FRANCISCUS VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.

privatim, tractabit

Pathologiam generalem,

Materiem Medicam,

Medicinam Forensem.

JOANNES PETRUS STEPHANUS VOUTE,

privatim, exponit Mathesin;

Physicam.

Elementa Psychologiae et Logicae tradit.

COR-

CORNELIUS ANNE DEN TEX,

publice, varia loca ex Jure Naturae, Publico et Gentium tractat, vel ipsi juventuti disceptanda proponit.

privatim, tradit Jus Naturae,
Jus Gentium,
Historiam Jurisprudentiae Romanae,
Historiam politicam atque diplomaticam Europae.

HENRICUS BOSSCHA,

publice, in THEATRO ANATOMICO, *Partium corporis humani fabricam* et *usum* explicat.
Operationes Chirurgicas demonstrat variasque eas instituendi exponit methodos.

privatim, tradit *Anatomiam Physiologiam*,
Chirurgiam Universalem.

HENRICUS CAROLUS VAN DER BOON MESCH,

privatim, tradit
Chymiae Doctrinam et Historiam;
Chymiam Pharmaceuticam, linguâ vernaculâ;
Doctrinae Chymicae usus, quoad artes;
Historiam Naturalem;
Zoologiam, anatomae comparatae conjunctam, habita Faunae Belgicae ratione. Lingua vernacula.

GISBERTUS JOANNES ROOYENS,

publice; Quaestiones aliquot Theologicas juventuti disceptandas proponit;
privatim, Doctrinam Religionis tradit, tum naturalis, tum divinitus patefactae;
Historiam Societatis et Religionis Christianae ab initio ad Carolum Magnum tractat;

Ean-

Eandem historiam a Carolo Magno ad nostra tempora exponere pergit; Loca quaedam selecta interpretatur Evangelii JOANNIS.

TACO ROORDA,

privatim, *Grammaticam Hebraeam* docebit, duce SCHROEDERO:
Antiquitatem Hebraeam, duce PARAVIO, Viro Clarissimo;
Exegesin veteris Foederis, interpretandis *Psalmis*, qui *Messiani* dicuntur;
Linguam Arabicam tradet, duce ROSENMULLERO, qui Institutiones suas et fundamenta linguae Arabicae edidit anno 1818; provectioribus explicabit capita quaedam Chrestomathiae Arabicae, a KOSEGARTENIO editae.

HENDRIK DE HARTOG,

Lector in de Wiskunde, Zeevaart- en Sterrekunde, zal Dingsdags, Woensdags en Donderdags, des middags om *twaalf* ure, in het klein *Auditorium* van het *Athenaeum Illustre*, publieke Lessen in het Nederduitsch, over deze wetenschappen geven; en dat wel in afloop van de volgende orde:

Eerstelijk over de *Rekenkunde*, *Decimale Breuken* en *Logarithmus-Getallen*; vervolgens over de *Meetkunde* en *Algebra*, en het maken der *Sinus-* en *Logarithmus-Tafelen*; voorts over de Platte en Klootsche *Driehoeks-meting* en eenige Hoofd-Eigenschappen der *Kegelsneden*; waarin over de beginselen der Sterre- en Aardrijkskunde; en laatstelijk over de Theorie der *Zeevaartkunde*; en wel inzonderheid over de berekening der *Lengte op Zee*, zal gehandeld worden: het een of ander Stuk echter meer of minder uitgebreid, of wel met bijvoeging van eenige verklaring der Zeevaartkundige Instrumenten, naar mate het getal en de lust der toehoorders zulks zal schijnen te vorderen.

ACTA ET GESTA IN SENATU PROFESSORUM ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS.

Die XX. m. Aprilis a. MDCCCXXVIII. Vir Clarissimus TACO ROORDA delatam sibi *Literarum Orientalium* Professionem Extraordinariam solemniter auspicatus est, habitâ Oratione *de Poëtriis Hebraeis.*

Die XXV. m. Junii, munus Praesidis in annum sequentem a. V. Cl. H. C. VAN DER BOON MESCH delatum est Viro Cl. J. VAN HALL.

TACONIS ROORDA

ORATIO,

DE

POËTRIIS HEBRAEIS,

QUAM PUBLICE HABUIT A. D. XX. APRILIS ANNI MDCCCXXVIII.

CUM PROFESSORIS LITTERARUM ORIENTALIUM EXTRAORDINARII MUNUS, IN ILLUSTRI AMSTELODAMENSIUM ATHENAEO, SOLENNI RITU ADIRET.

Ad vitam et societatem humanam animum advertentes, naturam videmus, sive potius, naturae artificem atque dominum, Deum, utrique generis nostri parti, virili femineaeque, munera atque officia distribuisse propria. Aliae viri partes, mulieris aliae; variae illae quidem pro variis terris, temporibus, sensu variorum populorum diverso; sed ita tamen ab ipsâ naturâ definitae atque descriptae, uti, si quando virum muliebria videamus agentem, feminamve virilia obeuntem negotia, aut risus nobis, aut stomachus moveatur. Quod ita tamen nobis haud accidit, quando sexum sequiorem cum fortiori certantem conspicimus laude virtutis et cultûs ingenii. De virtute ut dicam, non opus est, cum quae hâc destituta sit femina, ne sexus sui nomine quidem digna videatur: sed artes quoque ingenuas et liberales, quibus ingenium excolitur atque ornatur, quis nostro sexui ita proprias censeat, ut in feminâ non laudet? Quamquam enim doctae nomen mulieris non parum invidiae habeat; et lucubrationes laboriosae naturae femineae haud nimis convenire videantur; quis, quia femina fuit, stomachetur, quod Sappho pulcherrima venustissimaque condiderit carmina? quis, quia feminae sunt, in Staeliâ vituperet stilum politum ornatumque, in Wyttenbachiâ Atticam elegantiam festivitatemque? Sed nimirum habet illud sexûs discrimen suos fines ac limites. Quamvis enim magna cernatur corporis formae et constitutionis, morum etiam et affectuum discrepantia: una tamen omnibus hominibus, viri sint sive feminae, communis mentis natura; quâ ceteris animalibus praestant; quâ et inter se, et cum ipso Deo immortali, affinitate coniuncti sunt; quam denique quo magis quisque poliverit atque ornaverit veri, honesti venustique amore et studio, eo humanior, id est, eo magis homo erit.

Ex omnibus autem artibus, quae liberales dicuntur, cum praesertim poësis vi magis et facultate ingenii, quam variâ et multiplici, et magno cum labore acquisitâ doctrinâ, contineri videatur, ideoque naturae et moribus feminarum convenientior sit; quid mirum, si omnibus aevis et in omnibus fere populis mulieres exstiterint plurimae, quae huic studio et feliciter et cum laude praeessent? Non Graeciam citabo antiquam, non Romam, non vicinam Galliam, non patriam nostram: sed habeo, auditores, in animo, de unius populi, facultatis poëticae laude in primis clari, et cum studiis nostris coniunctioris; de *populi Hebraei*, inquam, *Poëtriis*, paulo latius explicare. Nam circumspicienti mihi argumentum, quo pertractando ritui et officio huius horae satisfacerem, hoc visum fuit, neque naturâ suâ a personâ et munere meo abhorrere, neque sterilitate teretibus auribus vestris indignum, aut perreconditâ obscuritate taediosum. Sed vero nunc praesertim penitus sentio, quam vere dixerit Cicero: *Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri, se esse, omnibus silentibus, unum maximis de rebus, magno in conventu hominum, audiendum.* Dicere enim aggredior, non tantum magno in conventu hominum, sed hominum doctissimorum, elegantissimorum: ad quorum benevolentiam atque humanitatem, cum eloquentissimos etiam clarissimosque oratores ducere video, sibi confugiendum esse dicturis, quanto magis mihi, infacundo adolescenti! Id autem studebo, ut, quod eloquentiâ non potero, patientiam et indulgentiam vestram, aliquatenus saltem, meruisse videar brevitate.

Mulieres Hebraeae, quarum integra ad aetatem nostram pervenerint carmina, duae solummodo sunt, Debora et Hanna. Debora, vates illa sub palmâ in montanis Ephraimiticis; mulier Dei, religionis et patriae amantissima; quae, omni in viris exstincto vigore atque virtute, sola vindicavit rei publicae libertatem. Cum enim viginti iam annos Jabinus, Phoenicum rex, du-

durissimâ eam saevissimâque pressisset tyrannide, illa suâ virtute, auctoritate, et vero etiam exemplo effecit, ut in populo, servitutis iugo iam nimis adsueto, amplius decem mille invenirentur, qui voluntarii arma caperent, fortissimeque pugnarent, et peregrinos dominos civitate expellerent. Et hanc victoriam, cuius non minima laudis pars sibi debebatur, immortali cecinit epinicio.

Ab hac poëtriâ moribus ut conditione longe diversa fuit altera, Hanna; indole mitissimâ, moribusque lenissimis, at sorte simul infelicissimâ. Nam ut nihil infelicius, nihil etiam ignominiosius mulieri in oriente accidere, quam sterilitas, possit, notum est: cum autem altera mariti Elcanae uxor Peninna foecunda esset plurimorum liberorum mater, ipsa sterilis, et huius infoecunditatis eam saepe Peninna momordisset exprobratione; mirum quantum passa sit animi tenerrimi femina. Tandem quod ardentissimis votis tam diu precata erat, consequitur, parit filium: exsultat atque triumphat: deleta ignominia est, refutata aemulae Peninnae convicia: laeta Siluntem tendit, ut quem Jehova ei donaverat, puerum Iehovae redonet ac tabernaculi ministerio consecret; et carmen fundit, totum quantum spirans gaudium matris.

Non animus est, auditores, de carminum horum argumento, ratione, atque praestantiâ multis verbis hoc loco exponere: nedum Latine conversa, vobis ea conspicienda, iudicanda, admiranda praebere. Si belgice dicerem, fortasse facerem, sed Latini sermonis quamvis multis meritò modis laudetur praestantia, carminibus certe orientalibus transferendis ineptissima est; nec vinum generosissimum transfundendo diluendoque tantum amittere potest saporis atque odoris, quam poëma Hebraicum vertendo in linguam Latinam sublimitatis magnificae, gravitatis sententiosae, concinnitatis elegantissimae. Itaque mihi propositum est, de hisce poëtriis ita deinceps disserere, ut primum de ipsis dicam, ut solis testibus, poëticae studium inter Hebraeos cultum quoque fuisse a feminis; tum ipsarum contempler carmina, ut sola, quae nobis supersint, poësis monimenta e temporibus Iudicum.

Utraque, Debora et Hanna, patriam Palaestinam habuit, quae pars est magni illius Asiae tractûs, qui austrum et occidentem spectat atque communi nomine oriens appellatur. In oriente autem conditio feminarum ab eâ, quae in nostris oris et omnino in Europâ obtinuit, usque adeo fuit estque etiam nunc diversa, ut ibi non altera generis humani pars, sed aliud genus animantium videatur. Hîc societatis humanae ornamentum et decus, oblectamentum et gratia: illic, tamquam generis humani labes, ex vitae communitate eiectae inque gynaeceorum exsilia pulsae. Hîc libertate utentes, eâ, quae hominibus debetur, dignitate fruentes; illic conditione propemodùm servili, ut, quum collocentur, a patre fere camelis, equis ovibusve vendantur; quum nuptae sint, herorum ancillae magis, quàm uxores, videantur. Hic in vitâ communi et celebritate versantes; illic arcte inclusae, suspiciose custoditae, raro prodeuntes in publicum. Hîc denique ita educatae, ut homines fiant; illic, ut feminae tantum. Quam, quaeso, requirimus in hac vitâ, in hac conditione, in hac consuetudine virtutem poëticam, in quâ omne, si quod naturâ adfuerit, ingenii lumen et sublimior spiritus exstinguantur, necesse videtur? Nullam profecto, si nostrates ita haberentur mulieres: sed illae, de quibus loquimur, orientales sunt. Quamquam enim non is sum, qui naturam putem homines orientales ad poësin cum propensiores finxisse, tum magis idoneos; ab hoc enim, in quo multi olim versati fuerunt errore, iam dudum carmina depulerunt Ossiani aliorumque excellentium poëtarum, quos frigida tulit et horrida et nebulosa plaga septentrionalis; at sine ullâ tamen dubitatione sic statuo et iudico, coeli solique naturam, qualis in oriente est, tum vitam moresque, qui ibi obtinuere, non dare quidem facultatem poëticam, sed excitare, alere, augere, amplificare. Tenue enim coelum nonne acuit ingenia? serenum nonne exhilarat? Deinde, siquidem verum est, ingenii soli, in quo orti et procreati sint, similia fere ingenia hominum esse, et rerum naturalium, quod quotidie sensibus offeratur, spectaculum ad formandos animos vim habere non minimam; cogitatione nos, auditores, convertamus in orientem. Quanta hîc et quàm mirabilis locorum amoenitas, soli fertilitas atque ubertas, eorum, quae natura profert, copia atque luxuria! nec minus eorum, qui has terras inhabitant, fertile luxuriansque ingenium, imaginum omnis generis, variarum, cumulatarum, laetissimarum amantissimum. Nec desunt, fateor, loca, deserta, intuta a feris, vasta ab naturâ et cultu humano: sed ipsam illam diram vastitatem, formidolosam solitudinem, horridam immensitatem, quantam habere censendum est vim ad id genus dicendi, quod in poëtis vel maxime solet efferri, ad sublatum dico! Accedit tertia causa, cuius, quam earum, de quibus dixi, vis etiam multo maior videtur. Hoc enim ab omnibus, qui de his rebus diligentius inquisiverunt, iam concessum video, esse eos fere populos poësi et deditiores et aptiores, qui ad eiusmodi gradum pervenerint humanitatis, ut nec nimis feri, nec nimis politi sint. Et nonne haec fuit per plurima deinceps secula populorum conditio orientalium? Exutâ enim illâ barbarie, in quâ nihil potest esse poësis, nisi mentis delirantis somnia inconditique affectuum indomitorum clamores; longissime tamen ab eâ semper remoti fuerunt politiore humanitate; quâ Graecia olim et Roma praestiterunt, et in quâ etiam nunc populi gloriantur Europaei plerique. Haec autem quantum virtuti poëticae, quae naturâ, non arte paratur, detrimenti afferat, incredibile dictu est. Nam cum virtus illa ne esse quidem possit, aut sine mentis quadam in fingendis formandisque imaginibus facilitate et ubertate, aut sine vi et irritabilitate affectuum; nonne ratio nos et historia docet, quo magis ingenia artibus, doctrinis et quavis humanitate poliantur, eo etiam illam mentis facultatem, quam Graeci φαντασιαν dicunt, magis imminui, et motus animorum mitigari fortasse emendarique, sed simul debilitari atque exstingui?

Haec, ut et properans, et apud doctos, et semidoctus ipse, quemadmodum ait apud Ciceronem Antonius, breviter percucurri, sed hoc iam intelligimus, credo, auditores, omnes, quam ad poëticum studium proni sint homines orientales et naturâ quasi ferantur; nec vero amplius admiramur, fontem istum perennem et suâ sponte fluentem ne in mulieribus quidem exsiccare potuisse conditionem, quâ utantur unâ omnium vel minime poëticâ. Sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? Ita enim res sese habet: quemadmodum merito miramur poëtarum numerum, qui in quovis genere apud quosvis populos in oriente floruerunt, ingentem ac paene innumerum; ita frequentissimis etiam huncce chorum distinctum conspicimus feminis. Ut e multis paucas commemorem, quarum aliqua ad me pervenit notitia, inter priscos Arabes, ante Mohammedis aetatem, celebris fuit mulier, nomine Zercaae, Locmani Aditae, ut perhibent, filia: cuius nomen ob duplicem virtutem in proverbium venit, alteram oculorum, al-

alteram ingenii. Tam acrem enim et acutam illorum tradunt, vel potius mentiuntur, aciem fuisse, ut tridui itineris intervallum emetirentur: nec minorem laudem habuit ab incredibili mentis perspicaciâ et in coniectando sagacitate. Haec igitur femina in tantâ sapientiâ non arithmeticae tantum, sed poëticae quoque inserviit; quin suas non raro etiam subductiones versibus complectebatur. Posthaec cum artium doctrinarumque studia, quae per prima illa Mohammedani imperii et bellicosiora tempora nimis iacuerant, rursus, Harûni Arraschidi quoque cohortatione ac munificentiâ, reviviscere coepissent; in huius ipsius chalifae gynaeconitide fuisse fertur puella, non magis venustate, quam poëticâ virtute excellens. Et huius rei testimonium etiam exstat memoria. Nam quum aliquando celebris quidam poëta, Almofaddalis nomine, ad Harûnum salutatum venisset, dum forte unâ cum eo esset ista puella, principem dicunt poëtam rogasse ut brevem quamdam rosarum, quae ad gratum odorem in calatho recens lectae ibi positae essent, diceret similitudinem: et Almofaddalem quidem ex tempore ita obtemperasse, ut satisfacere, puellam autem, licet minus verecunde, at ita tamen, eodem metri genere eâdemque versuum resonantiâ, continuo respondisse, ut ille etiam ab eâ victus videretur. Deinde ex Asiâ victricia arma Arabibus per Africam in Europam transferentibus, illuc etiam eos nativus iste comitatus est amor poëticae; et ingens vero, non modo virorum, sed feminarum etiam fuit numerus, quae per diuturnum illud splendidumque Saracenorum in Hispaniâ regnum clarum in hoc genere nomen adeptae sunt. Velut Abderrachmano, regum Cordubensium huius nominis tertio, qui ab ineunte seculo a fugâ Mohammedis quarto rerum potitus est, ab epistolis serva fuisse dicitur nomine Mosnae, cuius venustissima carmina ei in primis in deliciis essent. Idem rex libenter quoque legebat scripta Safiae, filiae Abdallae, itidem, ut memoriae proditum est, excellentis, iucundae et doctae poëtriae. Et quot quantaeque floruerunt regis, qui huic successit, Alhacemi Almostansiri Billae aetate, quâ cum omnes in Hispaniâ artes ingenuae, tum in primis poëtica, in maximo habebantur honore. Ipse rex in gynaeceo puellam habebat admirabilis venustatis, cui Lobna nomen, grammaticâ, poëticâ, arithmeticâ, et aliis disciplinis, eruditissimam. Stilus eius, ut ait historiae scriptor, quem hîc auctorem sequimur, tam pulcher, quam ma-

manus, quâ scribebat; ut Alhacemus, quum res permagni momenti, praesertim secretas epistolas, perscribendas haberet, illius uteretur ministerio. Uno verbo, in omni aulâ nemo huic Lobnae, aut acumine in scribendo, aut fluente in versibus metro, habebatur par. Tum Aischa, puella Cordubensis, Achmedis, Mohammedis filii, Cadimi nepotis, filia, tantam consecuta est eruditionis laudem, ut diligentissimus auctor, Abumervan Haianides, neget, quae hanc vicerit, aut corporis venustate, aut morum honestate, aut ingenii praestantiâ, aut orationis ornatu, aut eis dotibus, quae poëtriam ornent, omnibus, ullam in Hispaniâ exstitisse unquam. Carmina condidit, quibus regum et principum suae memoriae celebravit laudes, et omnes viri docti non minus scripta eius admirabantur, quam elegantem, tum in papyro, tum in membranis, litterarum ductum. Eodem tempore Chadiga, Gafaris Noseiridis filia, bonos faciebat versus et carmina sua dulci voce canebat. Ac Maria, Abuiacobi cuiusdam filia, virginibus etiam Seviliae nobilissimis, cum aliarum disciplinarum, tum poëticae, tradebat praecepta: quin magnam hac re sibi peperit laudem, et plurimae ab eâ profectae exstiterunt mulieres, his artibus insigniter eruditae, principum nobiliumque virorum in gynaeceis amores atque deliciae. Radia denique, cognomine faustum sidus appellata, regis Abderrachmani liberta et ab hoc filio eius Alhacemo cessa, pulchris suis carminibus et praeclaris historiis omnibus iniecit admirationem sui, susceptisque post obitum Abderrachmani per orientem itineribus, quocunque venit, laudes tulit eruditorum.

Mitto de multis aliis, de quibus aliqua quidem, sed non ita explicata memoria est; quales in Arabicâ gente Hurca, Villada, Mostacfii Billae filia, aliaeque, et in Turcicâ gente, quae illi in Orientis principatu successit, Zeineba atque Mihria, quam Osmanicam Hammerus vocitat Sapphûm. Etenim iam satis magnam fuisse, quam attuli, arbitror exemplorum vim; et, cum inter omnes orientales nationes virtute poëtica Hebraeorum populus ita micat non tantum,

— — velut inter ignes
Luna minores,

verum velut sol, cum diem Aurora reduxit, et omnes stellas, et ipsam lunam, pallescere facit atque obcoecat; nonne hoc igitur omnium maxime foret mirandum, si in hac gente, quae ad poëticum se applicaret studium, femina quoque exstitisset nulla? Quamquam ad communes illas omnium orientalium in Deborâ quidem et Hannâ alia etiam, quae poëticum ingenium et suscitaret et augeret, causa accedebat singularis: non tantum in Deborâ incredibilis ille in patriam amor, in Hannâ exsultans illud gaudium matris; qui enim sine affectu, qui inspiret atque incendat, esse potest poëta, quae poëtria? sed temporum dico civitatis, quibus utraque vixit, ratio atque conditio.

Atque ita iam in alteram, quam proposui, me delapsum sentio orationis partem, quâ, ut praedixi, temporum mihi, quibus poëtriae nostrae floruerunt, habenda ratio est. At qualia quaeso ista tempora! Consuevimus ea vocitare tempora Iudicum, nomine ducto ab illis, quorum tum civitatis Israëliticae nisi imperium, sed imperii tamen similitudo quaedam et imago erat, et qui a muneris, quo fungebantur, parte Suffetes sive Iudices vulgo dicuntur: sin autem horum temporum statum moresque proprios quaerimus, haud incommode, credo, heroïca appellabimus. Quâ vero appellatione non ea maxime designamus tempora, quibus multa sunt et magnâ cum fortitudine audaciâque gesta bella, multa magna memorabiliaque facta facinora; quae enim tum magis hoc nomine, quam Napoleontica aetas, dicenda sit? sed heroïcae quae vocantur aetates, eae sunt, quibus qui vivant homines, incredibili fere excellant corporis firmitate ac viribus; simul virtutibus praestent, simul vitiis maximis; non ratione ducantur, sed ruant, quo eos cumque ferocis appellat animi impetus; non libertatem velint, sed licentiam; nihil denique, nisi quod magnum et ingens et immensum et, paene dicam, nimium sit, habeant, sentiant, ament, sequantur. De quibus in veteribus memoriis et carminibus poëtarum, prisci Graeci legentes, eos non homines, sed *heroës*, id est, semideos, vocitarunt, cum ista scilicet eis hominum vulgarium modum superare viderentur. — Atque huiusmodi illa, de quibus quaerimus, tempora fuisse, quid opus est demonstrare? Ipse Iudicum liber, quo aetatis illius memoria continetur, quamquam, si diligentius inquiramus, summâ fide scriptus reperiatur, sed primâ tamen specie fabularum narrationi, quam verae historiae, videtur similior: ita omnia a nostris moribus et usu et consuetudine discrepant. Quid commemorem repetitum illud, quo aetatis istius tam egregie adumbratur licentia: *Illis diebus non erat in Israële rex, et faciebat quisque quod sibi bonum videbatur?* Quid de Simsone, altero illo Hercule, eius crinibus, robore, vitae ratione, rebus gestis, petulantiâ atque lasciviâ? Quid de Samgare, qui uno solum armatus stimulo, sed in manu herois telo sanequam horribili, sexcentos trucidavit Philistaeos? Aut quid memoriam repetam nefandi istius Gibeensium sceleris? pellicis Levitae hospitis in turpissimâ libidine necatae? corporis interfectae coniugis a marito dissecti, et in omnes Israëlitarum gentes dimissi? ultionis non minus dirae et atrocis, quam delictum fuisset; nec a Gibeensibus modo, sed ab omnibus Beniaminitis petitae? insaniae civilis belli, ad internecionem gesti, non in viros tantum, sed in senes adeo, feminasque et infantes saevientis? tum consecutae poenitentiae, furoris, qui praecessisset, magnitudini paris? ut reliquis, qui e communi strage fugâ evasissent, Beniaminitis uxores suppterent, poenae ab Iabensibus, qui manus fraterno sanguine soli non commaculassent, repetitae crudelissimae? virginum denique raptûs Silunte? Quid multa? quo enim cunque in historiâ Iudicum oculos convertamus, tempora cernimus, cuiusmodi ea fuerunt, e quibus fabulae Graecorum manarunt et quae cecinit Homerus; homines intuemur, a naturâ magnos, fortes, vigentes et acres, ab arte incultos inopesque; quos nulla adhuc effeminaverit humanitatis mollitudo, sed illis simul omnibus horrentes asperitatibus, quas liberalior demum ingenii morumque conformatio, et cultura quaedam, deradere possit atque polire.

Iam vero ex his seculis nulla alia nobis sunt reservata poësis monimenta, quam carmina illa Deborae et Hannae. Sed enim, ubi ne feminae quidem tacuerunt, quae ad Musas vulgo tardiores sunt, quis credat siluisse viros? Horum autem nulla iam nobis esse reliqua carmina, id unice tribuendum vetustati, omnia abolenti, et annalium istius aetatis paupertati gracilitatique, qui non historiam nobis, sed vix historiae quandam umbram servarunt. Quin immo nihil dubito assentiri summo Herdero, qui ista tempora sibi ait ex omnibus Israëliticae civitatis vel maxime appellanda videri poëtica. Neque enim, ut iam paullo ante monui, vera illa poësis, quae a naturâ, non ab arte est, valde legum amat et artis imperium, subtilitatemque rationis, atque perennem vitae politioris aequabilitatem; sed libertatem, sed affectuum vim, sed animi impetum, sed magna et rara facinora, cum audaciâ et mirabiliter facta: et haec omnia quando magis, quam istis seculis, umquam obtinuerunt?

Quodsi vero iam ita pergere velimus, ut quod in primis poëtica illa aetas appellanda sit, ideo de poëtis etiam, quos ea tulerit, praeclare et mirabiliter sentiamus, doleamusque graviter, praeter ista Deborae et Hannae carmina, nulla alia, et a viris condita, tempus edax rerum nobis reliqua sivisse; haud equidem scio, an nimis celeris haec dicenda sit et properata conclusio. Licet enim polita humanitas, artis norma et exculta disciplinis ratio ingenio poëtarum haud parum noceant; attamen ut praeclara sint, quae proferat illud ingenium, ut admiremur, ut divina dicamus, requiritur necessario sensus quidam, quem nulla ars docere, quem sola dare potest natura, sensum dico venusti pulchrique, eius, quod deceat, quod cuique personae, rei, loco, tempori, aptum et consentaneum sit. Hunc vero quis quaerat seculis istis rudibus efferatisque, et, ut ita dicam, immoderatis? Vultisne scire, qualis fere poësis tum conditio, qualis habitus fuerit? Arabes adite, non recentiores istos, qui omnia ante pedes posita, quamvis bona et apta, transsilire solebant, omnia longe petita, qualiacumque essent, captare, amplecti, exaggerare ad immensum, cumulare ad satietatem; sed veteres illos dico saniores, qui magis naturam sequebantur, quorumque mores et ingenia incredibile dictu est, quantam haberent cum eis aetatibus, de quibus iam dudum quaerimus, similitudinem; quod eo valet, ut Iudicum librum legentes, non historiam nobis Israëlitarum cognoscere videamur, sed antiquam gentium Arabicarum ante Mohammedem memoriam. Horum autem pervolutantes poëmata, magnam ingenii reperietis vim et copiam, sublimem spiritum, miram imaginum varietatem novitatemque; in verbis granditatem, in sententiis gravitatem; magnas prorsus et multiplices laudes: sed multas alias, nec minus magnas, desiderabitis; concinnitatem et elegantiam; in translationibus verecundiam, in ornatu temperantiam; sonum quendam, rei cuique et personae aptum; simplicem denique venustatis, sed naturalem colorem, non fuco illitum, sed quasi sanguine diffusum. Quibus virtutibus quam infinite his praestant Hebraeorum poëtae, plurimi certe optimique! ut qui Arabibus istis Mosem compararet, aut Davidem, aut Salomonem, aut Iesaiam, aut Micham, aut Nahumum et alios multos, non minorem hisce iniuriam faceret, quam Virgilio is, qui huius divinitatem cum grandiloque tumore Lucani componeret. Et iam porro quaeritis, quaenam tantae huius dissimilitudinis tantaeque distantiae fuerit causa; cum utrique sub eodem coelo, in vicinis terris, in consimili linguâ paribusque moribus nati et enutriti essent, eodem a naturâ donati ingenio, eodem arderent poëticae studio? Quaenam esse potuit, auditores, alia, quam acrior quidam sensus eius, quod deceat, quod iustum aptumque sit; quo ducti, velut auditu musici, sponte suâ, etiam sine praeceptis Aristoteliis, vitabant vitiosa. Atque hunc sensum si repetendum esse confirmaverim a legibus institutisque, cum ad civitatem, tum ad religionem pertinentibus, quibus prae reliquis hunc populum Deus ornasset; et illud dixisse videbor, quod in se probabile sit, et quod legislatori honorificentissimum. Quid enim magis potest ad sanitatem revocare ingenia hominum, quam legum sapientia et vera religio, quae affectus moderatur, rationem excolit, docetque aeternum illud intueri omnis pulchritudinis perfectionisque exemplar, Deum immortalem?

Iam vero huius sapientiae huiusque religionis quae vis, qui fructus esse potuit tempore Iudicum? Non maior profecto, quam praestantissimae religionis ad veram humanitatem aevis illis, quae media dicuntur. *Illis diebus faciebat quisque, quod sibi bonum videbatur*, non quod fuerat Deo Mosique visum: tantus erat Iovani cultûs neglectus, tantus omnium legum contemtus, tam superba et effrenata ferocitas, ut verendum esset, ne vix nata et alta, necdum corroborata res publica, iam in primâ adolescentiâ nimiae libertatis dissolutaeque luxuriae poenas daret praematuro interitu. Itaque, si quidem ea, quae de causâ praestantiae Hebraeorum poësis prae carminibus Arabum dixi, probanda videantur, non tam aegre feramus, omnium, quos aetas illa edidit aluitque, poëtarum monimenta delevisse tempus: hoc enim sine ullâ dubitatione confirmaverim, et ex eis, quae dicta sunt, iam effectum videtur, non potuisse tum poëtam exsistere, qualis in priscâ illâ vitae patriarchalis simplicitate fuit aut auctor Iobeïdis, aut postea, depulsâ istâ barbariae nocte, Davides, Iesaias, similesque. Et si tamen acre illud et heroicum et iuvenile ingenium penitius cupiamus cognoscere, nec videantur istiusmodi ingenii foetus prorsus sperni oportere; copia est adeundi Arabes, quorum antiquissima carmina desiderium nostrum satis superque explebunt.

At enim, inquiet aliquis, haec ita vero satis verbose disseruisti: sed quid, quaeso, istiusmodi ratiocinatione efficitur, cum ipsius reclament veritatis testimonia? Exstant enim Hannae et Deborae carmina, quae ne tu ipse quidem videris contemnere; ex hisce igitur monimentis potius, quam fallaci coniecturâ, de poëticâ iudicemus istorum temporum laude. Et si ita cecinerunt feminae, quid non de viris suspicemur! — Illud recte, Hannae me et Deborae carmina non contemnere. Licet enim alterius versus virtutibus forte non ita multis et raris excellant; at Deborae certe poëmate quod in eodem genere aut ad inventionem mirabilius, aut ad compositionem elegantius, aut ad picturam expressius, aut ad ornatum pulchrius, aut ad totum colorem habitumque naturae convenientius esset, me nondum fateor vidisse quidquam. Sed vero ex his iam duabus de toto aevo isto coniecturam facere, id equidem haud scio, an nimis inconsideratum sit. Nam principio ne illae quidem mulieres in ceteris quoque suae similes fuerint aetatis. Tam ardentis enim Dei religionisque studii, quod in Deborâ reveremur, antae animi lenitatis morumque suavitatis, quam in Hannâ diligimus, rara certe in annalibus istorum temporum exstant exempla. Et quis nostrûm tam arrogans est, tantus sui sexûs laudator, ut non libenter concedat, interdum feminas posse aliquid optime facere, quod eodem tempore non perinde viri queant? De ferociâ aetatis istius iam vidimus: quae tanta fuit, ut nisi aliquo modo aliquatenus certe mitigaretur, non posset tum poëta exsistere plane perfectus. Profecto eripi tum debuit lyra manibus virorum nimis vehementibus, utque pure, ut suaviter, ut divinitus sonaret, digitis pulsari mollioribus feminarum.

Quae quum ita sint, auditores, equidem gratias ago Divinae providentiae, quae quum ex priscis illis temporibus omnia virorum carmina interierint, haec feminarum tamen servaverit. Atque magis etiam, quod ex tanto veterum litterarum naufragio divinae tamen Hebraeorum poësis nobis salva evaserint tam multa, tamque illustria monimenta. In primis vero gratias ago eidem benignissimae providentiae, quae cetera in me collata beneficia, quae sane et multitudine et magnitudine infinita sunt, hoc iam ingenti auxerit cumulo, quod mihi concesserit, in studio horum poëtarum reliquarumque litterarum orientalium, non identidem, ad tempus duntaxat, velut in deversorio, commorari, sed totus atque perpetuo habitare.

Et post Deum vobis hoc debeo, illustris Athenaei curatores, huius civitatis consul et senatores, viri amplissimi. Atque laetor profecto, iam tempus venisse, quo possim pro tanto beneficio publice vobis gratias agere; utque nunc ago, ita semper habebo quam maximas. Quid enim unquam mihi ab ullo mortalium accidere potuit gratius exoptatiusque, quam hocce munus honorificentissimum, quod ad me deferre voluistis? quam hocce otium ad ea studia, quae tantopere amo atque amplector? Unum tamen est, quod me solet praecipue commovere; cogitatio scilicet iuvenilis aetatis, quae utique ad discendum, quam ad docendum accommodatior videtur, et quae saepe metum mihi iniicit, ut officio meo et vestrae exspectationi, quemadmodum volo, ita possim satis facere. Sed vero unum etiam est, quod haud parum me consolatur; vos ipsos, viri amplissimi, probe novisse, qualem vocaveritis; a iuvene autem non nisi iuvenilia postulari posse: et hoc semper studebo, ut si ingenium vobis doctrinamque nequeam, at voluntatem certe ac diligentiam probem. De reliquo et personam meam et studia mea etiam atque etiam vobis commendo.

Et vobis me commendatum volo, professores quarumvis artium doctrinarumque, viri clarissimi, quos sane non sine verecundiâ collegas appello. O praeclarum honorem, qui mihi iuveni obtigit, cum talibus tantisque viris iungi societate collegii! Infimum, quaeso, mihi concedite in vestro ordine locum, et eâdem, quâ coepistis; quid enim amplius rogem? me prosequi pergatis perhumanâ benevolentiâ. Si quid autem praeter amicum et observantem animum ego habeam, quo vobis prodesse possim, id quantulumcunque sit, velim vestrum esse putetis.

Vobis autem, Rooijensi, Hoeveni, Koopmansi atque Mullere, gratulor parem mecum adeptum in eâdem hac urbe honorem, mihi gratulor, me hoc nomine vos salutare posse: utque non eodem tantum nobis tempore haec provincia obtigit, sed maior etiam est studiorum vicinitas, ita nos acarctius iungat amicitiae vinculum. Mihi certe nihil erit gratius: itaque iunctis animis iunctisque viribus hoc enitamur, ut, quantum nos quidem ad id conferre possimus, multi etiam ex hac urbe, prodeant veri et germani theologi, id est, quemadmodum tu nuper, Hoeveni, dicendo copiose exposuisti, litterarum sacrarum interpretes.

Et tibi, venerande senex, clarissime Willmete, gratulor otium; otium cum honore et dignitate coniunctum; otium, quod et annis et meritis tuis debebatur. Mihi non modo honorificum, tibi et esse et dici adiunctum, sed gratum etiam, aliquid me afferre posse, quo tuam levem senectutem. Fruere iam otio parto labore, et utere etiam, si modo id rogare liceat, utere etiam ad proferenda ea in lucem et utilitatem publicam, quae in scrinia congesserit longa atque minime otiosa vita. Precor autem, ut vividam beatamque senectutem diu Deus tibi conservet; atque crescentes annos hac consolare cogitatione, corpus hocce terrenum esse quidem mortale, sed, uti animum, sic nomen immortale.

Quam autem laetor, te hîc coram ntueri, clarissime Hamakere, praeceptor dilectissime! O utinam nunc mihi suppeteret eloquentia Tullii, quâ magnitudinem possem tuorum in me meritorum verbis atque laudibus consequi! Quamquam si quidem verum sit, quod vulgò dicunt, pectus esse, quod disertum faciat, nemo iam me est disertior. Sed reprimam me, ut ne ceteris auditoribus meis molestus sim. Parum enim ad hos pertinet, quantis tu me devinxeris beneficiis; plurimum ad me, ut fiam immemor nunquam. Quod Deus avertat! et vero quod ne fieri quidem poterit: tam multa, tam magna sunt, tam penitus in animo meo defixa. Hoc tamen et a te, et ab omnibus, ad quorum aures vox mea penetret, sciri volo: quod iam ex hac cathedrâ verba facio, quod, quantuluscumque sim, eo tamen perveni, ut hinc verba mihi facere liceat, id ita me tibi praesertim acceptum referre, ut iudicare videar, me id tibi uni debere. Vive diu, vir praeclare, vive felix, lux litterarum nostrarum, splendor eius, quam ornas, Academiae, decus patriae; mihi autem exemplum, quod intuear, et, quamvis longo intervallo, sed pro meo ingenio tamen sequar. Perge vero, precor, sicut adhuc fecisti, consiliis tuis salutaribus atque fidelibus, doctrinâque copiosâ atque stupendâ, porro me adiuvare; et hoc volo tibi semper persuadeas, dum ego vivam, discipulum tibi vivere et gratissimum, et observantissimum.

Tandem ad vos se mea convertit oratio, bonarum artium studiosi, iuvenes ornatissimi; ad vos in primis, qui me studiorum comite atque duce uti voluistis, aut uti posthac voletis, commilitones optatissimi. Commilitones vos appello, et commilitonem me vobis praebeo, paullo quidem diutius in hisce studiis versatum, sed cui nihil sit gratius futurum, quam si quid longiori exercitatione acquisiverit, quo vestris commodis servire possit. Iungit nos, amici, aetatis fere aequalitas, iungit studiorum necessitudo; iungat etiam magis idem studiorum ardor. Nolo iam litteras eas, quas ego profiteor, laudare atque efferre: sed tamen quid iuvenili nostrae aetati magis convenit, quam illustris, et laeti, et vividi, et locupletis ingenii orientalium studium, fructuumque, quos ingenium illud tulerit, uberrimorum splendidissimorumque? quid ingenuo et liberali animo exoptatius esse potest, quam campus, ubi tot fulgent atque invitant palmae? quid denique magis necessarium Theologo, quam rerum, morum, linguarum cognitio orientis, ubi primum divinitus prolata fuit coelestis nostra religio, et unde ad nos permanavit, litteris consignata ab hominibus orientalibus? Quid statis igitur, iuvenes generosissimi? Itineris socium atque ducem quaeritis? Si me vultis, et si quid in me est, quo vos sublevare possim, lubenter vobis me offero. Agite igitur, iungamus dextras, et indefesso labore assiduâque industriâ ostendamus, quemadmodum posterius confirmavit omnium seculorum testimonium, ita prius non minus esse verum, in nobis certe, huius Arabum proverbii membrum: *Duplex est genus hominum, quod non saturatur unquam: qui quaerunt doctrinam, et qui quaerunt divitias.*

DIXI.

⁂

LECTIONES

IN SEMINARIO EUANGELICO-LUTHERANO-AMSTELAEDAMENSI HABITAE,

inde a feriis aestivis anni MDCCCXXVIII, *usque ad ferias aestivas anni* MDCCCXXIX.

D. JO. THEOPH. PLÜSCHKE, *Prof. Ord.*

Isagogen tradidit in studia Theologica.

Acta Apostolorum, itemque *selecta loca Jesaiae* interpretatus est.

Doctrinam fidei Christianae proposuit, eiusque praecipua capita cum provectioribus *colloquendo* pertractavit.

CHRISTIANUS HENR. EBERSBACH, *Prof. Extraord.*

Ethicam Christianam docuit, habita ratione tam eorum, qui primum his lectionibus interfuerunt, quam illorum, quos rerum perceptarum recognitio iuvare posse videretur.

GEORG. FREDER. SARTORIUS, *Prof. Extraord.*

Epistolas ad Timotheum et *Titum* populariter exposuit, eoque exemplo iuvenes imbuere studuit recta rationi Literarum S. S. pro concione explicandarum.

De officiis Pastoris Evangelici disseruit, adiunctis varii generis exercitationibus tam homileticis, quam catecheticis.

INDEX

EORUM, QUAE DECIMO QUARTO ANNALIUM LEIDENSIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

Nomina Professorum, Lectorum et Magistri Academici.
Series Lectionum in Academia Lugduno-Batava.
Acta et Gesta in Senatu Academiae Lugduno-Batavae.
Series Dissertationum Inauguralium publicè defensarum.
Judicia Facultatum de Commentationibus ad quaestiones anni superioris ad se perlatis.
Programma novarum Quaestionum, die VIII Febr. anni MDCCCXXIX propositarum.
Orationes J. BAKE.
J. VAN VOORST.
Commentationes P. J. Lemoine.
A. M. C. van Hall.
J. R. Werninck.
H. L. van Altena.

Nomina Professorum et Lectoris Athenaei Amstelaedamensis.
Series Lectionum in Athenaeo habitarum.
Acta et Gesta in Senatu Professorum Athenaei Amstelaedamensis.
Oratio T. ROORDA.

Series Lectionum in Seminario Euangelico-Lutherano Amstelaedamensi habitarum.